GRAMMATICA
162
H
42.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
H
42
NAPOLI

114
9
161

*Inter libros*
*Josephi Mariæ Paraschandolo*
*Antecessoris Regii*
A. L. N.

# DE
# SACRIFICIIS
LIBRI DUO;

Quorum Altero explicantur Omnia

# JUDÆORUM,
NONNULLA

# GENTIUM PROFANARUM
# Sacrificia:
ALTERO

# SACRIFICIUM CHRISTI.
UTROQUE

*ECCLESIÆ CATHOLICÆ* his de rebus Sententia contra *Faustum Socinum*, ejúsque Sectatores defenditur.

---

AUTORE

GUILIELMO OUTRAMO S.T.P.

Ecclesiæ S. *Petri* apud *Westmonasterienses Canonico.*

---

*LONDINI,*

Typis *T. Roycroft*, Impensis *Richardi Chiswell* ad Insigne Rosæ Coronatæ in Cœmeterio D. *Pauli.* MDCLXXVII.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. III NAPOLI

Imprimatur,

Dec. 14. 1676. *G. Jane* R. P. D. *Henr.* Episc. *Lond.* à Sacris Domesticis.

Nobiliſſimo Honoratiſſimoq; Domino, Domino *THOMÆ* Comiti de Danby, Vicecomiti de Latimer, Baroni de Kiveton, Partis occidentalis Agri Eboracenſis Militiæ Præfecto Regis Locum tenenti, Summo Angliæ Theſaurario, Regiæ Majeſtati à Conſiliis Secretioribus, Illuſtriſſimiq; Ordinis *Georgiani*, ſive Periſcelidis Equiti Aurato.

S. P.

*QUUM ea diu erga me fuit*, Clariſſime Domine, *tua*, Tuorumque *benevolentia, quam & mecum Ipſe ſæpe recolere debeam, & apud alios commemorare*;

*non committendum esse duxi, ut Libri hi de Sacrificiis à me scripti sine tui erga me favoris gratâ mentione edcrentur. Quæ quidem commemoratio mea etiamsi ad honorem tuum (quo te maximè tuæ ipsius virtutes cumulant) incrementi nihil afferre possit, eo minus tamen prætermittenda à me fuit, quòd alia mihi nulla sit ratio, aut facultas, quâ meliùs possim gratum erga* Te *testari animum. Neque verò ut* Amplitudinem *tuam permagno honore studióque colam, ea tantùm, quæ in Memetipsum beneficia contulisti, faciunt, sed multò magis officia illa, quæ quidem* Regiæ Majestati, *quæ* Ecclesiæ *nostræ* Anglicanæ, *quæ universæ* Reipublicæ *summâ cum Fide, & sapientia, maximáque diligentiâ præstas. Quæ quo diutiùs præstare possis, faxit Deus, ut valetudine, rerúmque omnium fælicitate animi tui altitudini, & singu-*

*lari*

*lari prudentiæ pari quàm diutissimè perfruare. Quæ* Tibi *ex animo precor, ut qui sim*

*Amplitudini &*

*Dignitati tuæ*

*Devotissimus*

Guilielmus Outramus.

# PRÆFATIO.

CUM *Vir perquam Venerandus*, Joannes Dominus Epiſcopus Roſſenſis *ſermones mecum ante annos aliquot de Sacrificio Chriſti ſereret, accidit, ut inter colloquia noſtra meam Ego eâ de re ſententiam ex concione recitarem ad* Populum *diu antè habitâ. Quâ perlectâ, hortari me continuò cœpit* Reverendus Pater (*cujus cùm autoritas, tum judicium plurimum apud me valebat*) *ut quæ vernaculâ oratione curſim atque breviter attigeram, ea paulo latiùs explicata literis Latinis conſignarem. Quod ſimul ac in me ſuſceperam, præcipuos Scriptores* Socinianos (*quibuſcum maximè certamen mihi futurum vidi*) *primos omnium relegendos duxi. Quos, qui eorum ſcripta legerit, ita de* morte *Ieſu Chriſti, ita de Illius* Sacrificio

(*quod*

( *quod à morte ejus ſemper ſejungunt* ) *judicâſſe ſentiet*, *ut* alteri *omnem planè detraxerint pœnæ vicariæ rationem, nihilque nobis gratiæ apud Deum* altero *impetratum exiſtimaverint: ut qui licet Mortis ejus vim aliquo modo circa Deum, vim tamen Sacrificii ejus circa homines primò verſari ſtatuerint. Quibuſcum etiamnum ſentiunt omnes Socini Sectatores.*

*V. Crell. contra Grot. c. 8. partic. 4 & c. 10. partic. 3.*

*Neque hos movet, quòd Chriſtus* peccata noſtra tuliſſe, *quòd* pro nobis, *quòd* pro peccatis noſtris, *quòd* propter peccata noſtra mortuus, *quòd* ſanguine ſuo peccata noſtra expiaſſe, *quòd* ſe ut ἀντίλυτρον pro omnibus dediſſe, animámque ſuam ut λύτρον pro multis, *quòd* ἐντυγχάνειν ὑπὲρ ἡμῶν, *quòd* Advocatus noſter *dicitur*. *Hæc enim omnia loquendi genera, aliáque, ſiqua ſint, ſimilia alium facilè recipere poſſe ſenſum dictitant, ac qui iis à multis ſæculis ab Eccleſiâ Chriſtianâ tributus fuit, aliúmque quidem, ſi rationem ſequi volumus, iis tribui oportere.* Ferre peccata *idem quidem, inquiunt, quod peccatorum pœnas luere in ſacris literis quandoque valet; ſed & idem etiam, quod peccata auferre, hoc eſt.*

*Iſai. 53. 12. 1 Pet. 2. 24. 1 Tim. 2. 6. Matth. 26. 26. 1 Cor. 15. 3. Gal. 1. 4. 1 Pet. 3. 18. Rom. 4. 25 Hebr. 13. 12. Matth. 20. 28. Rom 8. 34. Hebr. 7. 25. 1 Joh. 2. 1.*

*est*, *Extinguere*, *aut Remittere*. *Ex quo Deus ipse* peccata ferre *à* Mose *dictus est*. Pro nobis mori *nihil minus quàm vicariam pœnam designare judicant*, *quippe quòd nos ipsi* (*quibus aliena peccata luere in officio esse nemo dixerit*) *alii* pro *aliis* mortem oppetere, *si temporum ratio postulaverit*, *in sacris literis jussi sumus*. *Neque reliqua magis apud eos valent*; *ut quibus Christus* pro peccatis nostris mortem subiisse *dici visus sit*, *quòd mortem ad ea delenda subiit*, *non*, *quòd pœnas eorum luit*: *&* propter peccata nostra mortuus, *ut cui cruentæ mortis occasio nostris extiterit ex peccatis*: *itémque* suo ipsius sanguine peccata nostra expiâsse, quatenus (*ut* Crellii *verbis utar*) mortis suæ cruentæ interventu in cœlestia illa adyta penetravit, suâque curâ nos peccatorum reatu pœnâque solvit: *atque etiam* sese ut ἀντίλυτρον animamque suam ut λύτρον dedisse, *non quòd vicarias pœnas subiit*, *sed quòd ex impensâ vitâ suâ & nobis exemplum ad pietatem*, *rem ad salutem necessariam*, *& sibi jus & potestas extitit nos à peccatorum servitute*, *eorúmque pœnis liberandi*. *Ac denique ut*, *quæ*

*Exod.* 34. 7. *Numer.* 14. 18.

1 *Joh.* 3. 16.

*Ad Hebr.* 13. 12

*reſtant, exequar, nihil minus quàm Advocati munus in Ieſu Chriſto Advocato noſtro agnoſcunt Socini Sectatores, ut quem non ideo Advocatum, aut ἐνλυσχάνειν dici judicent, quòd nos, ac noſtra Deo commendat, ſed quod poteſtate à Deo acceptâ nos ab peccatis ſuppliciiſque, ſi ſe adeamus, tutos præſtat. Ita ſcilicet Socini Diſcipuli, quoties urgentur ſacris literis, vel ad verborum ambiguitatem, vel ad ſenſus quoſdam tralatitios, tanquam in caſtra, ſe recipiunt. Quas etſi latebras, his de rebus dum cogitarem, ipſâ locorum ratione, quibus de Sacrificio Chriſti agitur, iis occluſas nonnunquam vidi, tamen diſpiciendum exiſtimavi, an ex naturâ ipſarum rerum, nempe mortis & Sacrificii Chriſti, paulo certior elici, conſtituíque poſſet ſenſus earum omnium locutionum, quibus rerum earum vis, ac ratio in ſacris literis enunciatur: fore ratus, id ſi fieri poſſet, ut majorem paſſim res ipſæ verbis, quàm verba rebus lucem afferrent.*

*Quæ dum mecum reputabam, ſubibat animum ſacras literas de Chriſto, ut de Pontifice noſtro, de morte ejus non tantùm ut de morte* Martyris, *&* Teſtatoris *meminiſſe, verùm etiam* victimæ piacularis *pro pecca-*

*peccatis Generis humani cæsæ. Ad hæc, Pontificem Judæorum Iesum Christum Pontificem nostrum, eorúmq; victimas piaculares (nequid hîc de reliquis dicam) Christum, ut victimam, adumbrasse. Ac deniq; non dubitandum esse, quin quod* typis *adumbratum,* Antitypo *verè præstitum esset. Quæ cùm sententia mihi penitus in animo insedisset, aggrediendum existimavi ad Sacrificia Judæorum, & diligenter enucleandum, quæ propria sit Sacrificii ratio, quænam essent Sacrificiorum genera legibus* Mosaicis *designata, quænam præcipuè eorum generum Sacrificium Christi adumbraverint, quantus esset uniuscujusque generis delectus à Deo institutus, quibus personis genus quodque vel imperatum, vel permissum, quibusq; de causis, & quibus ritibus, & quo in loco immolandum, & conficiendum esset, quænam esset Tentorii sacri, quæ Templi Hierosolymitani, quæ aræ rite dedicatæ, quæ etiam mensæ sacræ ratio, quæ Sacerdotum, quæ Levitarum, quæ Offerentium inter immolandum partes fuerint, ac deniq; quid Doctores Judaici, quid populi profani de suis utriq; sacrificiis, quidque etiam veteres Christiani de utrisque olim judicaverint.*

*Quæ omnia (ut & alia multa) mecum in animo agitanti binæ de Sacrificiis Judæorum natæ mihi sententiæ erant. Primò*, eorum omnium vim, perinde ac vim sacrarum precum & gratiarum actionum, circa Deum propriè versatam esse; *ut quæ omnia ad ejus gratiam vel impetrandam, vel commemorandam divinitus instituta viderim. Deinde*, victimas piaculares peccata, de quibus immolabantur, pœnâ vicariâ expiâsse. *Quæ duo (ne Judæorum sacra, ritúsque ad ea pertinentes unà cum rebus Christianis eundem in locum cumulando his, quæ tractarem, obscuritatem, Lectoribúsq; tædium afferrem) seorsum priùs demonstranda duxi, quàm de Sacrificio Christi agerem. Ac cùm eadem pœne operâ, quâ duo illa jam proposita, Judæorum omnia Sacrificia exponi posse intelligerem, totum potiùs his de rebus locum, quàm quidem partes illius aliquas, earúmq; alias ab aliis distractas, patefaciendum existimavi. Atque ita factum, ut de Judæorum Sacrificiis (adjectis etiam, ubi id referre arbitrabar, quæ Gentium aliarum Sacrificia explicent) institutiones hasce scripserim. Quas iis utiles fore spero, qui (quod pernoscere omnium interest) quæ sit Sacrificii Iesu Christi vis, & ratio, scire cupiunt.*

# ELENCHUS CAPITUM.

## LIBRI PRIMI.


CAP. I. EXponuntur duo Sanctitatis genera Deo, aliisque aliquibus tributa; & quæ de Sacrificiorum Origine ultrò citróque disputari solent. p. 1

CAP. II. De locis ad Sacrificia facienda adhibitis. 19

CAP. III. De Templi Tentoriique sacri propria natura ac ratione. 29

CAP. IV. De Sacrorum Ministris. 42

CAP. V. De Consecratione Sacerdotum Aaronicorum. 52


CAP.

CAP. VI. *De vitæ, corporis, familiæque honestate in Sacerdotibus* Aaronicis *postulata.* 63
CAP. VII. *De Levitis.* 76
CAP. VIII. *Quid, & quòtuplex sit Sacrificium, ad Hebræorum sensum docetur. De fertis eorum speciatim agitur.* 81
CAP. IX. *De victimarum delectu apud Judæos habito.* 97.
CAP. X. *Proponuntur omnia victimarum genera Lege* Mosaïcâ *designata. De holocaustis speciatim agitur.* 106
CAP. XI. *De Sacrificiis salutaribus, eisque, quæ ad Salutaria aliquo modo referri possunt, qualia erant, quæ primogenitorum, & decimarum nomine facta erant.* 114
CAP. XII. *De Sacrificiis piacularibus* חטאות *appellatis.* 125
CAP. XIII. *De Sacrificiis piacularibus* אשמות *dictis. Itemque de Sacrificio Paschali.* 135
CAP. XIV. *De Sacrificiis totius cœtûs Israelitici.* 148
CAP. XV. *De Ritibus quibusdam Sacrificalibus, præsertim de Oblatione, & agitatione victimarum, manibúsque earum capitibus imponendis, precibúsque ei ritui adjunctis.* 157
CAP. XVI. *De mactatione victimarum. De aspersione sanguinis. De pellium detractione, ritúque, quo victimæ prosecandæ erant.* 174
CAP. XVII. *De victimis comedendis, & extra castra comburendis.* 192
CAP. XVIII. *Quæ typi sacri ratio ac vis sit, explicatur; & quæ Sacrificia Judæorum Sacrificii Christi typi præcipui extiterunt.* 201

CAP.

CAP. XIX. *Probatur omnium Sacrificiorum vim non circa homines, ſed circa Deum primò ac proprie verſatam fuiſſe.* p. 215

CAP. XX. *Oſtenditur Judæos ſacrificia ſua circa Deum verſari judicaſſe, Gentéſque profanas ſua quoque circa Deos ſuos. Quibus etiam additur Chriſtianorum eiſdem de Religionibus judicium.* 235

CAP. XXI. *Oſtenditur quid ſit pœna vicaria, eamque piacularibus hoſtiis irrogatam eſſe.* 248

CAP. XXII. *Piaculares victimas peccata, de quibus immolabantur, pœna vicaria expiaſſe, veterum Chriſtianorum, & Judæorum, perinde ac Gentium profanarum ſententiam fuiſſe demonſtratur.* 264

## LIBRI SECUNDI.

CAP. I. *Oſtenditur Sacerdotii Chriſti generale munus, & ordo, ac denique quibus præcipuè rebus Chriſtus ad Sacerdotium ſacratus erat.* 287

CAP. II. *Sacras literas Sacerdotium propriè dictum Chriſto tribuere demonſtratur.* 294

CAP. III. *Oſtenditur cujus generis ſit Sacrificium Chriſti, & quibus rebus contineatur.* 305

CAP. IV. *De obedientiæ illius vi, quam Chriſtus ſeſe ad mortem offerens Deo præſtitit.* 311

CAP. V. *De morte Chriſti; iiſque ſacræ Scripturæ*

*turæ locis, quibus morti ejus pœnæ vicariæ ratio tribuitur.* 318

CAP. VI. *De iis ſacræ Scripturæ locis, in quibus de expiatione agitur morte Chriſti facta.* 332

CAP. VII. *De eâ Oblatione, quâ ſe Chriſtus, ut victimam piacularem pro peccatis noſtris ante cæſam, Deo in cælo offerebat. Ubi Chriſtum illud præſtitiſſe ita erga nos affectum, ut & nos ac noſtra generatim, & ſpeciatim preces noſtras Deo continuò commendaverit, multis argumentis docetur; & vera etiam explicatur interceſſionis ejus ratio.* 352

DE

# DE
# Sacrificiorum Origine.

## CAP. I.

*Exponuntur duo Sanctitatis genera Deo, aliisque aliquibus tributa; & quæ de Sacrificiorum Origine ultrò citróque disputari solent.*

I. CUM summam Dei omnibus in rebus excellentiam, tum maximè *Sanctitatem* ejus passim commemorant Sacræ Literæ. Verùm ea voce non idem semper intelligitur; sed aliàs maxima illius puritas, (*a*) sive eorum, quæ recta sunt, constans & immutabilis voluntas (quo pertinet illud S. *Petri*. (*b*) *Secundum eum, qui vocavit vos, sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis*) aliàs autem Majestas illa, quæ in omni excellentiæ genere, summa scilicet in sapientia, & potentia, summoque in omnia dominio cernitur. Quibus rebus fit, ut Deus omni laudis genere, omnique cultu dignus sit. Ut *Sanctum* idem sæpe valeat, quod magnum, verendum, & venerandum. Quale utique Sanctitatis genus Deo tribuunt Scriptores Sacri, quoties eum *Sanctum Israelis*, noménve ejus *Sanctum* vocant. Nam *Sanctus Israelis* idem valet, quod venerandum Numen ejus, qui Israeli unicè colendus erat. Deique nomen *Sanctum* dicitur, ut summa reverentia invocandum. Id quod docet *Davidis* illud, (*c*) *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum*

(*a*) 1 Jo. 3. 3.

(*b*) 1 Pet. 1. 15.

(*c*) Ps. 99. 3.

*ctum est.* Quo in loco *Sanctum* idem est, quod venerandum, & laude dignum.

II. Jam duplici illa ex sanctitate, quam Deo tribuunt Sacræ Literæ, duo existunt Sanctitatis genera, quæ etiam ad alia quædam pertinent. Quorum alterum eorum proprium est, quæ ratione prædita sunt, qualis quidem Sanctitas eorum est, qui vitam ac voluntatem suam ad Dei voluntatem conformant; alterum ad ea omnia pertinet, quæ a profano usu remota ad religiosum adhibentur. Cùm enim Dei, qui omnia condidit,& conservat, omnia numine suo regit, summè inviolabilis sit majestas; fit sanè, ut non *personæ* solùm, sed & *res*, & *tempora*, & *loca* etiam, ac denique *ritus* aut *cæremoniæ*, quæ peculiari ratione ad Deum, ejusve cultum pertineant, sacris accenseri debeant.

In eis autem, quorum erat hoc sanctitatis genus, locum olim habebant sacrificia; qua voce etsi ritus illi, quibus res aliqua Deo sacrata & confecta fuit, apud Latinos (quantum memini) plerumque significari solent, Ego tamen (siquidem alia desit, quæ quidem sacra tam animantibus, quam rebus inanimis facta designet) & res ipsas, quibus ritus isti adhibiti erant, significare sæpe cogor. Quod tamen *Isidori* exemplo tacio, apud quem ista extare video. (*d*) *Duo autem sunt quæ offeruntur; donum, & sacrificium: donum dicitur, quicquid argento, auroque, aut qualibet alia specie efficatur. Sacrificium autem est victima, & quæcunque cremantur in ara, seu ponuntur.*

(*d*) De Origin. lib. 6. c. 19.

III. De Sacrificiis itaque deinceps dicere ingredienti id quidem, siquo modo posset, primò constituendum esset, Deine aliquo explicato jussu, an potiùs humano arbitratu primò sacrificari cœptum sit. Verum enimvero cum hic sit perobscurus locus, & perdifficilis

lis ad explicandum, ego ea potiùs ponenda duco, quæ hac de re ultro citróque disputari solent, vel saltem disputari possunt, quàm quicquam pro certo affirmandum.

Sunt itaque, qui Dei ipsius jussu primò sacrificatum judicant. Neque hos movet, quòd *Moses* nusquam in scriptis suis de tali aliquo jussu meminerit. Nam sicut sacrificiorum originem nulli Dei præcepto tribuit, ita neque sacrificantium arbitrio; sed rem planè integram reliquit. Neque mirum, inquiunt, quòd ita fecerit; siquidem multa ac magna fuerint, quorum ille summæ brevitati studens in historia sua nusquam meminit. Nusquam ille *Enochi* vaticinium, nusquam maximas *Loti* molestias pravis Sodomæorum moribus ortas, nusquam pia *Noæ* monita (quorum tamen alii meminerunt (*e*) in libris suis memoriæ prodidit. Neque verò (quod multò magis refert) *Caini* & *Abelis* sacrificia eo consilio memoravit, ut reliqua etiam omnia exponeret ad sacrificia pertinentia, sed ut inde natum *Caini* in *Abelem* odium, nefariumque parricidium induceret: quo minùs mirum, si quæ non nisi in transitu attigit, eorum originem prætermiserit.

(*e*) 2 *Pet.* 2. 5. 7, 8. *Jud.* 14.

Jam hanc sententiam qui tuentur, illud imprimis urgere solent, fieri neutiquam potuisse, ut sapienti & sancto viro, ut *Abeli*, unquam in mentem veniret fore, ut Deo gratæ essent vel animantium innocentium cædes, carnium, extorum, adipumque nidor, vel quidem maxima erga Deum animi ipsius reverentia, summaque itidem dominii ejus in vitam necemque veneratio, hujusmodi religionibus demonstrata, nisi Deus ipse explicato jussu hoc rituum genus instituisset. Præsertim cùm (ut his visum) nihil primitus immolaretur, nisi quod in victu humano erat, carnibus autem ad victum uti (ut probabilior fert sententia) ante dilu-

vium non liceret. Cujus sanè argumenti vis eò compulit *Hugonem Grotium*, sententiæ contrariæ defensorem, ut is *Abelem* nullis mactatorum pecorum profectis, sed viventium lacte ac lanis optimis (*f*) *Ad Gen.* 4. 4. (ita בכורות & חלב (*f*) interpretatur) ad sacrificia usum judicet. Cujus tamen sententiæ suæ haud scio an quenquam adjutorem habeat. Neque verò qui prima sacrificia a Deo imperata censent, hoc unum, quo nitantur, habent; sed & huc Apostoli illud afferunt. (*g*) *Fide majorem hostiam Abel quàm Cain Deo obtulit.* Fide autem, inquiunt, nihil fit, nisi quod fit Dei ipsius monitu. (*g*) *Heb.* 11. 4.

IV. Verumenimvero minimè desunt, qui quidem tantum abesse judicant ut hìc laudata *Abelis* fides explicato ullo Dei jussu niteretur, ut hoc ex loco contrarium potiùs effici posse arbitrentur. *Abel* enim, inquiunt, si Deo idcirco sacrificabat, quòd ejusmodi aliqua Dei lege sacrificare jussus esset, quid de *Cain*o judicandum? ut qui, si Deo sacrificaret, quòd & ipse quoque ejusmodi legem a Deo latam esse crederet, eandem planè quam ipse *Abel* fidem habuit. Quod tamen contrà fuisse constat. (*b*) Quod si nihil ejusmodi credidit, sanè nullo Dei explicato jussu, sed animi sui inductione ex donis sibi a Deo datis sua ipse sponte sacrificabat; id quod si *Cainus*, homo nequam, naturæ lumine ductus fecit, quanto magis *Abel*, vir bonus, idem feciſse judicandus? Quod enim dicitur, *Abelem* nisi divinitùs monitum nunquam judicare potuisse, rem Deo gratam se facturum, si dominium ejus, & bonitatem hujusmodi ritibus ac religionibus, quibus fusus erat animantium sanguis, palàm profiteretur, & coleret, id apud hos non multùm valet. Nobis enim, inquiunt, quibus alii mores, aliæ religiones inveterârunt, non est temere judicandum tanto temporis intervallo (*b*) *Heb.* 11.

tervallo, quid alteri in mentem venire posset, præsertim eorum, quæ non sunt contra naturæ leges, qualia utique erant sacrificia; ut quæ Deus, qui nihil unquam contra naturæ leges jussit, populo Hebræo imperabat. Neque mirum, inquiunt, si quæ primi illi homines Deo sacra faciebant, ea igne absumenda curarent (nisi forte igne de cœlo lapso consumpta essent) utpote quod faciendum erat, ne quod Deo sacratum fuit, ad usus profanos transferretur; id quod accidere potuisset, nisi quæ quisque Deo voverat, ea igni commisisset. Utcunque sit, temere ab eis factum judicant, qui lege aliqua a Deo latâ, cujus neque *Moses*, neque alius quisquam Scriptorum veterum usquam meminit, primò sacrificatum statuunt. Prorsus enim incredibile esse omnes planè Scriptores Sacros ejusmodi, siqua esset, legem, quæ primis omnium hominum parentibus, eorumque posteris a Deo ipso lata fuerit, quasi nullius momenti rem, tacitè præterire voluisse.

Quid autem his, qui ita statuunt, adeo laudata *Abelis* fides? Tanta, inquiunt, de Deo conditore omnium, ejusque dominio, & potentia, & bonitate existimatio, quâ factum erat, ut is optimam quamque pecudem Deo omnium largitori, ac quidem vitæ necisque domino, in Creatoris reverentiæ, gratique animi testimonium rite reddendam judicaret. Quâ tanta de Deo existimatione quia frater ejus *Cainus* caruit, quas ille fruges Deo obtulit, neque optimæ erant, neque Deo gratæ.

V. Hæc ergo quibus visa sunt, hi nullo Dei explicato jussu, sed naturali ratione primitùs sacrificatum statuunt. Ita nimirum primævos homines naturæ lumine institutos judicant, ut cultum & honorem conspicuum Deo adhibendum viderent, idque optimè fieri potuisse, si quod quisque optimum habuit, id ritu

sacro

sacro Deo redderet. Atque huc maximè *Mosis* illa valere judicant. (*i*) *Et factum est* (מקץ ימים) *in fine dierum, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Hæc enim sic intelligi volunt, ut *finis dierum Caino* messis exitus esset, *Abeli* autem tempus illud, quo pecorum fœtu auctus erat: ita factum esse, ut his temporibus suâ uterque ratione monitus (legem enim nemo profert) de donis sibi a Deo datis Deo nonnihil libandum duceret; ita tamen, ut alter nec satis grato pioque animo, nec id, quod optimum habuit, redderet, alter autem utrumque faceret. Huc etiam illa referri possunt, quibus Deus nimiam in sacrificiis populo Hebræo fiduciam objicit. (*k*) *Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes*; hoc est, non modò salutares (eas enim vox זבחים designat) sed & solidas etiam victimas vestras (quod tamen lege vetitum fuit) si vobis visum fuerit, edite. *Quia non sum locutus Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum.*

(*i*) *Gen.* 4. 3, 4.

(*k*) *Jer.* 7. 21, 22.

Quod enim Deus hic commemorat, nempe quòd Majoribus Hebræorum, quamprimùm eos ex Ægypto duxit, nihil de Sacrificiis præcepit, quo pacto imminuere potuit nimiam his de ritibus opinionem, si ab ipsis mundi incunabulis hoc idem religionis genus, hunc sacra faciendi ritum humano generi instituisset? Quis enim leges *Adamo* ipsi, posterisque ejus ab ipso mundi principio datas minoris habendas judicaverit, quàm eas, quæ Hebræis postea, Ægypto migrantibus latæ erant? ut nihil esset, cur Sacrificia, quasi minimi planè momenti res, seriùs jussa dicerentur, si a mundi initio jussa erant.

VI. Hæc

VI. Hæc itaque, atque his similia apud Veterum plerosque eò valebant, ut hi nullo Dei jussu, sed naturali ratione primò sacrificatum censerent. Ita Autor responsionum ad orthodoxos. (*l*) ὑλεῖς τῶν θυσάντων τὰ ἄλογα τῷ Θεῷ περὶ νόμου, καὶ τίνων θεία διάταξιν ἔθυσε, καὶ φάσκεται ὁ Θεὸς ταύτην προσδεξάμενος, τὴν ταύτης ἀποδοχὴν λευκύνων τὸν θύσαντα εὐάρεστον αὐτῷ. i.e. *Nemo, qui ex rebus ratione carentibus sacrificium ante legem faciebat, Dei præcepto id fecit; quanquam quidem Deum etiam tum sacrificium accepisse constat, eoque accepto sacrificantem sibi acceptum fuisse indicásse.* Et mox; τῷ δὲ Νῶε ὐδαμοῦ φαίνεται ὁ Θεὸς προστάξας προσαγαγεῖν αὐτῷ τῶν ἀλόγων θυσίαν· i. e. *Nusquam apparet Deum de bestiis immolandis ullam* Noæ *legem dedisse.* Et S. *Chrysostomus* ad ista *Mosis* verba. *Factum est autem in fine dierum, ut offerret* Cain *de fructibus terræ munera Domino.* Σκόπει πῶς τῷ σωεισδοτι τὴν γνῶσιν ἐναπέθετο ἡ φύσεως ὁ δημιουργός· τίς γὰρ ἂν, εἰπέ μοι, τοῦτον ἀδήγησε πρὸς τὴν τοιαύτην ἔννοιαν; ὑλεῖς ἕτερος, ἀλλ' ἢ ἐν τῷ σωεισδοτι γνώσις· ἤνεγκέ, φησιν, ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς γῆς θυσίαν τῷ Κυρίῳ· ἤδει γὰρ ᾗ ἥπτατο, ὅτι προσήκει καθάπερ τῷ δημιουργῷ τῶν οἰκείων κτημάτων προσάγειν τὰ τῆς γενῆς, οὐκ ἐπιδεὴς αὐτὸς ὢν, ἀλλ' ἵνα τὴν οἰκείαν εὐγνωμοσύνην ἐπιδείξηται αὐτὸς τῆς τοιαύτης εὐεργεσίας ἀπολαύων. i.e. *Vide quomodo naturæ conditor scientiam Conscientiæ indidit. Quis enim illum,* (*m*) *dic oro, ad hanc cognitionem perduxit? nemo nisi animi sui conscientia. Obtulit,* inquit, *de fructibus terræ sacrificium Domino; vidit enim, perspectumque habuit decere, ut*

(*l*) *resp. ad Quæst. 83.*

(*m*) Cainum.

*ut Deo, tanquam possessionum suarum Domino, aliquid ex rebus suis offerret; non quòd ille eo indigeret, sed ut gratum animum indicaret, qui tali beneficio fruebatur.* Et paulò pòst tam de *Abele*, quàm de *Caino* verba faciens; ὅτε γὰρ ἐκεῖνός τινα ἔσχε τὴν διδάσκοντα, ὅτε ὅτου τινὰ ὑποτιθέμενον, ἢ συμβουλεύοντα· ἀλλ' ἕκαστος ἐκ τοῦ σωφδότου διδασκαλίας, ἢ τῆς ἄνωθεν σοφίας τῷ τοῦ ἀνθρώπων γένει χορηθείσης κινούμενος ἅρμιζεν ἐπὶ τὴν τοιαύτην προσαγωγήν. i. e. *Neque ille Doctorem aliquem habuit, neque hic monitorem, & consiliarium; sed uterque conscientiæ suæ monitu, & sapientiâ humano generi divinitùs datâ ad oblationem istam incitabatur.*

(*n*) *Homil.* 12.

Et ad populum *Antiochenum* (*n*) de *Abele* loquens; ὁ γὰρ οὐδεὶς τινος μαθὼν, οὐδὲ νόμῳ τινὶ ἀπαρχὴν ἀφιερωμένην ταῦτα ἀνέζας, ἀλλ' οἰκοθεν, καὶ οὐδεὶς τοῦ σωσιδότου διδαχθεὶς τῷ θυσίαν ἐκείνην ἀνήνεγκε. i.e. *Neque enim ab ullo edoctus, nec lege accepta, quæ de primitiis aliquid constituebat; sed animi sui inductione, propriaque conscientia doctus sacrificium illud offerebat.* His, quos jam citavimus, Autoribus rectè accenseri posse videntur *Justinus Martyr*, *Irenæus*, *Tertullianus*, *Theodoretus*, *Cyrillus Alexandrinus*, aliique nonnulli Scriptorum veterum, qui Sacrificia *Judæorum* ea de causa institutа judicabant, (*o*) quòd populus diu in Ægypto hujusmodi religionibus assuetus in unius veri Dei cultu vix aliter contineri potuisset, nisi iis sibi indultis ritibus, & in religionem suam tralatis, quibus quidem & diu assueverat, & maximè quoque deditus erat. Quam rituum eorum rationem nunquam probâssent tanti viri, si eadem religionum genera à jactis mundi fundamentis divinitùs instituta putassent.

(*o*) *Vide viri doctiss.* Joan. Spenceri *dissertat. De* Urim *&* Thummim, *cap.* 4. *sect.* 7.

putassent. Neque enim eos latere potuit, quin siqua Deo ratio fuit, quare humani generis Parentibus Sacrificia primùm imperaret, eadem facere potuissет (idque moris Ægyptiis inveterati nullâ habitâ ratione) ut Hebræis ex Ægypto egressis eandem religionem institueret.

Idem de Sacrificiorum origine (ut mox videbimus) *Maimonidi* visum, idem etiam R. *Levi Ben Gerson*, utî verba ipsius (*p*) satis docent: הנה קין והבל לפי מה שספרנו מהם היו חכמים גדולים ולזה כשהגיעה להם החכלית המכוון מעלאכתן הביא כל אחד מהם מפיריו מנחה לה' וזה המנחה היתה לפי מה שאחשוב שהם כבר השיגו שכל מי שיתחדש מזה הוא מסודר מהש' והוא הפועל אותו עד אמת או אולי הקריבו מהם קרבן מפני שהם הגיעו שהכל הוא מאתו i. e. Cainus & Abel (*quemadmodum diximus*) *viri valdè sapientes erant; atque ita factum, ut, cùm ad laborum suorum finem propositum pervenissent, uterque ex facultatibus suis munus Deo offerret: ejusque muneris offerendi ratio, ut mihi videtur, illa fuit; quòd a Deo* (*cui laus*) *quæ nascuntur omnia, administrari scirent, Deumque eorum veram esse causam; vel forte ex eis munus offerebant, quòd omnia ab eo planè creata esse intelligerent.* Hos sequitur *Isaacus Abrahenel.* (*q*) והנה אדם ובניו הקריבו קרבנות לחשבם שבהם היו עובדים אלהים i. e. Adamus & *filii ejus sacrificia offerebant, quia ita se Deum colere putabant.* Quibus, ex recentioribus, suffragatur Vir doctissimus *Hugo Grotius*, qui *non ullo Dei jussu, sed dictante ratione honorem Deo etiam conspicuum habendum, idque optimè fieri posse datis Deo iis, quæ homini sunt carissima*, Cainum & Abelem sacrificasse judicat (*r*).

(*p*) *ad Genes. cap.* 4.

(*q*) *in præfat. ad Levitic.*

(*r*) *ad Gen.* 4. 3.

Jam verò *Eusebius Cæsariensis* ita de iis Sacrificiis differit, quæ *Abel*, *Noas*, & *Abrahamus*, optimusque quisque eis temporibus faciebat, ut aliter de eorum origine ac æquales sui statuisse videatur: (s)

(s) *De demonstrat. Evangelic. lib. 1. cap. 10.*

τότε δὲ τὸ λογισμὸν ἡγεῖσθαι εἶναι ὃ τὰ πίχρατα, ὑδ' ἀνθρωπίνως κεκινημένον, καὶ θείαν δὲ ἐπίνοιαν ὑποβεβλημένον. Ἐπειδὴ γὰρ ἑώρων ἅπαν τὸ πρόσπαιον εὐσεβεῖς, καὶ Θεῷ προσφιλῶς διακείμενοι, θείῳ τε πνεύματι τὰς ψυχὰς περφωτισμένοι μεγάλης αὐτοῖς θεραπείας δεῖν εἰς ἀποκάθαρσιν τῶν ψυχῶν πλημμελημάτων, λύτρον τ' αὐτῶν σωτηρίας τῷ καὶ ζωῆς καὶ ψυχῆς χρηναῖ προσοφείλεσθαι ἡγεῖτο. Ἐπεὶτα μηδὲν κρεῖττον καὶ τιμιώτερον τ' οἰκείας ψυχῆς καθιερῶν ἔχοντες, ἀντὶ ταύτης τ' ἀλόγων ζώων προσῆγον θυσίαν, τ' σφῶν ψυχῆς ἀντίψυχα προσκομίζοντες. i.e. *Hujus ego rei consilium non fortuitum, humanitúsve ortum judico, sed divina quadam ratione excogitatum. Quandoquidem enim viri pii, Deoque familiares, spirituque divino illuminati magno opus esse remedio viderent ad mortifera peccata expianda; Deo, vitæ animæque datori λύτρον dandum esse judicabant salutis impetrandæ causâ. Et quidem cum animabus suis nihil melius & præstantius, quod Deo consecrarent, haberent, earum loco bestias immolabant: ita scilicet animarum suarum vice alienas animas offerentes.* Quibus fit, ut quidam nihil dubitent, quin *Eusebius* prima Sacrificia Dei jussu facta judicaverit. Id quod ex his parum constat. Nihil enim ille hoc in loco de sacris ex inanimis datis, utpote qui, quæ talia erant, parum profuisse prius dixerat. Sed neque ipsa animalia ab *Abele*, *Noa*, & *Abrahamo* Deo immolata dicit explicatâ aliqua ipsius lege, sed divina quadam ratione, quæ non

omnium

omnium communis erat, ſed potiùs optimi cujuſque propria. Et quidem (ut rem in pauca conferam) ea *Euſebii* ſententia fuit, *Cainum* ſua ipſius ſponte res inanimas ſacrificaſſe, at pium quemque, ut *Abelem*, *Noam*, & *Abrahamum*, divina quadam ratiocinatione (quam jam poſuimus) inſtitutum, animantia primitùs immolâſſe.

Atque hæc de Sacrificiorum ortu; qua de re, me quod attinet, Ego nihil omninò malim, quàm quicquam pro certo pronunciare. Id unum, priuſquam ad alia tranſeam, hoc in loco monere viſum eſt, hos, qui ſua cujuſque ſponte primò ſacrificatum judicant, etiamſi fortè quibuſdam in locis incautiùs loqui videantur; hunc tamen ſacrificandi ritum ad naturæ leges propriè dictas, æternas utique & immutabiles non referre; ſed ad ejuſmodi inſtituta, quæ ratio naturalis excogitaverit tanquam ad conſpicuum Dei cultum apta ſatis & idonea. Prius illud ſi qui fecerint, ex eo falſi arguuntur, quòd Chriſtus ſacrificandi ritus apud veteres olim uſitatos penitùs apud ſuos delevit: qui idem tamen tantum abfuit, ut ullas aboleret naturæ leges, ut has omnes autoritate ſua ratas, certas, ac firmas fecerit.

VII, Jam verò licèt haud ſatis conſtet, Deíne certo aliquo juſſu, an dictante potiùs humana ratione prima facta ſint ſacrificia, id tamen minimè dubitandum, quin Hebræis ex Ægypto egreſſis, Deus ipſe ſacrificandi ritum ſcriptâ lege inſtitueret. Quòd quidem quo conſilio fecit, deinceps inveſtigandum eſt.

Atque hunc ad locum rectè monet *Moſes Maimonides*, (t) nihil in his religionibus, quæ in ſacrificiis verſabantur, Deo per ſe gratum fuiſſe, nihil, in quo propter ſe voluntas ejus acquievit; atque ita factum, ut idem Autor legem de ſacrificiis latam non ex *primo*

(t) *In more* Nevoch. *part.* 3. *cap.* 32.

Dei consilio, sed ex *secundo* profectam judicet. Hoc scilicet illa satis docent (quod & ipse quoque *Maimonides* vidit) *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini?*
(u) 1 Sam. 15. 22. (*u*) *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum: holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.*
(x) Isai. 1. 11. (*x*) *Non locutus sum cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens, audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis*
(y) Jer. 7. 22. *mihi populus* (*y*): eódem & illa referenda. *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Nunquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi, O homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; utique facere justitiam, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum*
(z) Mich. 6. 6, 7, 8. *Deo tuo* (*z*). Ex quibus intelligi par est aliam esse earum rerum rationem, quæ ad immutabile jus naturæ pertinent, aliam autem sacrificiorum. Illas per se Deo gratas esse, hæc autem ab illis sejuncta nihil omninò placuisse.

VIII. Verùm hæc etiamsi satis constant, causæ tamen non leves erant, quamobrem Deus populo Hebræo ejusmodi religionem instituerit, quæ in sacrificiis faciendis magnâ ex parte sita fuit. Ac quidem Veteribus Christianis ea hujus rei causa visa est, quòd idem hoc religionis genus etiam apud ipsum populum Hebræum, priusquam ex Ægypto migravit, altas admodùm

modum radices egerat. Hoc utique ritu *Adami* filii, hoc *Noas*, hoc *Abrahamus* ipse (cujus semper apud posteros suos magna fuit existimatio) Deum, ut satis constat, coluerant. Sed & maximè postea in Ægypto, cujus Incolæ diu fuerant Hebræi, idem invaluerat ritus. Quibus rebus Veteres factum judicabant, ut illud etiam apud Hebræos Sacrificiorum studium esset, quod commodè nec prohiberi potuit, nec (glisscente indiès superstitione) suo cujusque arbitrio permitti. Prohiberi, inquiunt, commodè non potuit, præsertim quidem apud Hebræos præter modum Sacrificiis deditos, mos eò usque inveteratus, ut nihil dubium videatur, quin Diis extraneis immolâssent, si vero minùs licuisset. Neque tamen suo cujusque arbitrio permittenda erat ea religio, quæ, nisi Dei ipsius legibus definita & circumscripta fuisset, in barbaros & externos mores facilè labi potuisset, populúmque superstitionum avidum in cultum extraneum sensim ducere. Atque ita evenisse judicatum, ut Deus sacrificandi ritum in proprium ipsius cultum transferret; quippe qui ritus ejusmodi fuit, qui commodè nec aboleri potuit, nec alio atque alio more, ut cuique placeret, celebrari.

Illud tamen non prætereundum, non sicut ipsa sacrificia, ita omnia, quæ profanæ gentes ad sacrificia adhibuerant, adscita fuisse in Dei sacra: nec enim omnia animantium, nec rituum sacrificalium genera, eadem in populi Israelitici, ac gentium aliarum sacris erant. Magno Deus ad sua sacrificia & rerum, & rituum delectu usus est. Ita quippe & populi ingenio aliquo modo indulgebat, & pravis occurrebat affectibus, quibus in extraneas superstitiones populus iste ferebatur.

IX. Hæc

IX. Hæc itaque ſunt, quæ tam Antiquis, quàm quidem Recentioribus quibuſdam apud Deum eò valuiſſe viſa ſunt, ut populo rerum cœleſtium rudi ſacrificandi ritum inſtitueret. Ita ſcilicet *Juſtinus Martyr*, (a) Ὁ Θεὸς ἁρμοσάμενος πρὸς τὸν λαὸν ἐκεῖνον καὶ θυσίας φέρειν ὡς πρὸς ἴδιον ὄνομα αὐτῷ ἐνετείλατο, ἵνα μὴ εἰδωλολατρῆτε· i. e. *Deus ad populum iſtum ſe accomodans hoſtias quoque offerre tanquam nomini ſuo juſſit, ne Deos externos coleretis.* Et *Tertullianus* adverſus *Marcionem*, (b) *Sacrificiorum quoque onera, & operationum & oblationum negotioſas ſcrupuloſitates nemo reprehendat, quaſi Deus talia ſibi propriè deſideraverit, qui tam manifeſtè exclamat.* Quo mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum? Et quis exquiſivit iſta de manibus veſtris? *Sed illam Dei induſtriam ſentiat, qua populum pronum in Idololatriam, & tranſgreſſionem ejuſmodi officiis religioni ſuæ voluit adſtringere, quibus ſuperſtitio ſæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, ſibi jubens fieri quaſi deſideranti, nè ſimulachris faciendis delinquerent.* Et *Origenes*. (c) *Deus, ſicut per alium Prophetam dicit, non manducat carnes taurorum, nec ſanguinem hircorum potat. Et etiam ut alibi ſcriptum eſt.* Quia non mandavi tibi de ſacrificiis vel victimis in die, qua eduxi te de terra Ægypti. *Sed* Moyſes *hæc ad duritiem cordis eorum, pro conſuetudine peſſima, qua imbuti fuerant in Ægypto, mandavit eis, ut qui abſtinere ſe non poſſent ab immolando, Deo ſaltem, & non Dæmoniis immolarent.* Et S. *Chryſoſtomus*. (d) Μὴ τοίνυν ἀνάξιον εἶναι νομίσῃς αὐτὸν δι' ἑτέρου αὐτοὺς καλέσαι, ἐπεὶ καὶ τὰ Ἰουδαϊκὰ πάντα διαβαλεῖς, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τὰς καθαρμούς, καὶ τὰς νουμηνίας, καὶ τὰ σίδωτον, καὶ τὸν

(a) *Contra Tryphon.*

(b) *Lib. 2. c. 18.*

(c) *Homil. 17. in numer.*

(d) *Homil. 6. in Matth.*

ναὸν δὲ αὐτόν. ἡ γὰρ ἐξ ἑλληνικῆς παῦτα παχύτητος ἔλαβε ἡ ἀρχήν. ἀλλ' ὅμως ὁ Θεὸς διὰ τὴν τῶν πλανηθέντων σωτηρίαν ἠνέσχετο διὰ τύπων θεραπευθῆναι, δι' ὧν οἱ ἔξωθεν ἀλλοτριας ἐθεράπευον, μικρὸν προελκύσας αὐτὰ, ἵνα αὐτὴς κατὰ μικρὸν ἡ συνηθείας ἀποπαύσας ἐπὶ τὴν ὑψηλὴν ἀγάγῃ φιλοσοφίαν.

i. e. *Ne opineris igitur eo* (Deo) *indignum fuisse, quòd illi* (Magi) *per stellam vocabantur. Ita enim Judæorum omnia, sacrificia, lustrationes, novilunia, templumque ipsum dedecoraveris. Siquidem ex Gentium prophanarum ignorantia hæc omnia originem habuerint. Sed Deus ad errantium salutem per hæc quidem se coli passus est, per quæ Gentes extraneæ Dæmonas coluerant; ea tamen aliquantum corrigens, ut eos paulatim à consuetudine revocatos ad altiorem perduceret sapientiam.* Eadem (quod alii (*e*) observârunt) *Cyrilli* Alexandrini, S. *Hieronymi*, *Isidori Pelusiotæ*, aliorumque Veterum sententia fuit. Quos, inter alios ex Recentioribus, longè doctissimus *Grotius* (*f*) sequitur. *Sicut*, inquit, *fines sacrificiorum diversi sunt, quos & apud* Arnobium *& apud* Iamblychum *reperias, partim & apud* Macrobium *3 Saturnalium ex* Trebatio, *ita & ritus, qui aut ab Hebræis ad Gentes alias venêre, aut, quod credibilius est, à Syris & Ægyptiis usurpati, correcti sunt ab Hebræis, & ab aliis gentibus sine ea emendatione usurpati.*

(*e*) *Vid. Joan. Spenceri dissert. de urim & Thum. cap. 4. Sect. 7.*

(*f*) *ad Levit. 2.*

Neque verò hæc Christianis tantùm, sed & Judæis aliquibus visa. Quod *Mosis* Ægyptii illa docent. (*g*)

(*g*) *In Mose Nevoch. part. 3. cap. 32.*

הורה מנהג מפורסם בעולם כלו שהיו או רגילים בו והעבודה הכוללת אשר גזלו עליו להקריב מיני בח בהיכלות ההם אשר היו מעשירים בהם הצלמים ולהשתחות להם ולקטר לפניהם והעובדים הגדושים היו

היו או האנשים הנתונים לעבודה ההיכלות ההם העשויים לשמש וליריח ולכוכבים כמו שבארנו לא נודעה חכמתו ותחבולתו המבוארת בכל בריאותיו שיצונו להניח מיני העבודות ההם כולם ולבטלם כי או היה מה שלא יעלה בלב לקבלו כפי טבע האדם שהוא חמיד נושה למורגל והיה דומה או כאלו יבא נביא בזמננו וה שיקרא לעבודת השם ויאסר השם ציוה אתכם שלא תחללו אליו ולא תצומו ולא תבקשו חשועתו בעת צרה אבל תהיה עבודתכם מחשבה סבלתי מעשה ומפני וה השאיר השם מיני העבודות ההם והעתיקם מהיותם לנבראים ולעניינים דבוניים שאין אמתות להם לשמו יתעלה וצונו לעשותן לו יתעלה וגו

i. e. *Consuetudo erat eis temporibus per totum orbem usitata, & religio omnibus populis communis, ut variaimmolarentur animalium genera in templis illis, in quibus imagines collocabantur; & ut quisque imaginibus illis procideret, & suffitum adoleret. Certique ut essent ministri dati, & ad cultum eum destinati, qui celebratus erat eis in templis, quæ in honorem Solis, Lunæ & aliarum Stellarum posita erant. Quibus de rebus priùs monuimus. Quapropter noluit sapientia & providentia Divina (quæ in rebus omnibus creatis elucet) in mandatis dare, ut derelinquerentur planè & abolerentur omnia ista religionum genera; quippe à cujusmodi mandato abhorruisset natura humana, quæ semper ad id, cui assuevit, propendet. Ac quidem perinde fuisset ejusmodi præceptum, ac si Propheta quis Dei honorem obtendens, temporibus his nostris veniret, qui diceret, Deus, ne oretis, ne jejunetis, ne opem suam in temporibus afflictis imploretis, monet. Sed ut tota planè religio vestra in animi cogitationibus consistat, nulla autem in factis cernatur. Propter hanc ergò causam retinuit Deus priùs usitata religionum*

*onum genera, eáque à rebus creatis, & fictitiis, quæ nihil omninò veri habent, ad nomen ſuum venerandum tranſtulit, eáque ut ſibi præſtemus, præcepit.*

*Maimonidem* ſequitur R. *Schem Tob* in Commentariis hunc ad locum ſcriptis. Item Vir, ut Judæus, admodùm doctus, *Iſaacus Abrabenel.* (*b*) Qui poſtquam *Maimonidis* opinionem contra *Nachmanidem* defenderat, ita Diſputationem finit. הנה החבאר סמן התורה ומן הנביאים ומן הכתובים ומדברי רוז בהרבה מקומות יש סיוע גדול לדברי הרב מורה ואינם בוה הבאי אלא דברי קדושה i. e. *Vides ergò Domini Ductoris ſententiam, & in Lege, & in Prophetis, & in Hagiographis, & in Rabbinorum recolendæ memoriæ dictis, eiſque quidem paſſim poſitis, magnum admodum firmamentum habere. Neque vana eſſe ejus hac de re verba, ſed pietati conſentanea.*

(*b*) *In præfat. ad Levit.*

X. Verùm hæc, quæ tot tantíque Viri cauſam præbuiſſe judicârunt, cûr vetus Sacrificandi ritus in fœdus *Moſaicum* transferretur, quamcunque fidem habere debeant, illud minimè dubitandum, quin Deus ſacrificia *Moſaica* eo conſilio inſtitueret, ut magnum Chriſti ſacrificium ſacrificiis illis adumbraret.

Ita fit, ut Apoſtolus ad Hebræos ſacrificia illa Hebræorum cum ſacrificio Chriſti conferens, *Legem umbram futurorum bonorum*, hoc eſt, Typum *habuiſſe* dicat. (*i*) Ita fit, ut cum Cœlo ſupremo intimum Tentorii ſacri adytum, cum Pontifice noſtro Ieſu Chriſto ſummum *Judæorum* Sacerdotem, & eorum denique ſacrificia, præſertim die expiationis facta, cum magno Chriſti ſacrificio, ut typos umbratiles cum antitypis, ut *terrena* cum *cæleſtibus*

(*i*) *Hebr.* 10. 1.

(k) *Heb.* 9. 24, 25, 26. comparet. (*k*) Atque hinc tales aliqui ritus præcipuis in victimis instituti, qui quidem in sacrificio Christi præcipua quædam adumbrarent. Enimverò quia futurum erat, ut Christus extra Ierosolymam, cujus populi castra simulachrum fuerant, mortem subiret; sanè hac de causa institutum, ut maxima Judæorum piacula extra castra illa comburerentur. (*l*) Et quia Christus, tum pontifex, tum piaculum nostrum, non nisi fuso proprio sanguine in Cœlum ingressurus erat, (*m*) hinc cautum ne Pontifex Hebræorum nisi fuso piaculorum sanguine in adytum intimum penetraret. (*n*) Sed de his aliàs fusiùs agendum. Reliqua ita exequenda, ut primò de sacrificandi locis, deinde de sacrorum Ministris, tum verò de sacrificiis ipsis, ritibúsque ad ea adhibitis agamus. Quæ cum explicata fuerint, tum demùm quæ Sacrificiorum propria vis & ratio fuit, facilè demonstrari poterit.

(l) *Heb.* 13. 10, 11, 12.

(m) *Heb.* 9. 12.

(n) *Heb.* 9. 7.

DE

# DE
# Tentorio Sacro.

## CAP. II.

*De locis ad Sacrificia facienda adhibitis.*

I. DE locis eis, quibus ritè sacrificari potuit, tria præcipuè quærenda sunt. Primò quænam ea erant. Deinde quæ eorum adyta, quæ atria, altaria, conclavia, reliquáque ejusdem generis fuere. Tum denique quæ natura, & ratio.

Ac quidem ad rem Divinam faciendam, priusquàm Dei ipsius jussu extructum erat Tentorium Sacrum, quemvis adhibere locum licuit; adeóque & sacella ista, quæ quoniam editioribus in locis posita erant, במות appellari solent. Quod post Tentorium Sacrum conditum Hebræis interdictum erat. (o) Quamdiu enim Tentorium illud, Arcæ sacræ receptaculum, vel in medio populi cœtu erat, (id quod in desertis contigit) vel quidem alio quovis in loco, ut in certa sede, positum erat, eò omnes victimæ ducendæ erant, ibíque ritè immolandæ. Huc pertinent Judæorum illa. (p) *Dum populus in desertis erat, lege cautum erat, nequis in Sacellis montanis immolaret; ita tamen, ut lex ista cessaret, cum ad Galgalem ventum esset; quippe quo in loco ut nulla erat Tentorio Sacro fixa sive*

(o) *Lev.* 17. 4, 5, 6.

(p) *Vide* Schilte Hagibborim *cap.* 57. & Isaac Abrab, & R. Levi Ben Gerson *ad* 1 *Reg.* 3. 3.

*certa Sedes; ita etiam populus universus varias in Sedes segregabatur. Ac posito Schiloitico sanctuario (quod parietibus lapideis extructum erat, etiamsi quidem aulæis tectum) iterum valebat Lex ista, quæ in desertis servanda erat. Nam hoc in loco Arca sacra fixam ac certam Sedem habuit. Quo fit, ut sanctuarium illud* Dei domus *passim appelletur.* (q) *Jam Arcâ eâ* Nobæ & Gibeoni *positâ, ubi nullam certam Sedem habuit, rursus in montanis Sacellis res Divina ritè fieri potuit. Quo factum, ut* Samuel *his temporibus tali quodam in loco immolaret.* (r) *Id quod Hebræis nunquam licuit post Templum Ierosolymæ conditum: quippe quod Templum Arcæ sacræ fixa ac perpetua Sedes erat.* Judæos sequitur Vir doctissimus *Hugo Grotius*; ut qui illa *Mosis* verba, (s) *Non facietis quæ nos hic facimus hodie*, ità explicet. *Non offeretis victimas quibuscvis in locis, sed in uno. Is locus fuit primum Silo: deinde Templum Hierosolymis. Medio tempore cessavit hæc Lex, quòd nullus sacro Tentorio certus esset locus. Fuit enim* Masphatæ, Gilgale, Nobæ, Gibeone, *in domo* Obededomi. Quò etiam illud ejusdem spectat; (t) *Eo tempore ob crebras migrationes nullus erat certus ad sacrificandum locus.*

(q) *Jud.*18.31. 1 *Sam.*1.24.

(r) 1 *Sam.*9.13.

(s) *Deut.* 12.8.

(t) *ad* 1 *Sam.* 9.13.

II. Cum esset itaque Tentorium sacrum primus omnium ad sacrificandum certus locus constitutus, deinde Templum Ierosolymæ; sequitur, ut eorum adyta, & atria, reliquáque antè dicta explicem. Ac quidem in Tentorio sacro (cujus omnem fabricam, & apparatum latè exponere nihil attinet) duo erant sacraria passo aulæo interscpta; quorum alterum interius, alterum exterius vocari solet.

Illud

Illud, ob eximiam ſanctitatem (erat enim ſymbolicæ Dei præſentiæ proprium quoddam domicilium, cœlíque ſupremi ſimulachrum, קדש קדשים *Sacrarium ſacerrimum* appellatur. In eo poſita Arca ſacra, cujus operimentum à *Moſe* כפרת, ab interpretibus Græcis aliàs ἐπίθεμα, i. e. *operculum*, aliàs ἱλαστήριον, i. e. *propitiatorium* dicitur. Supra propitiatorium (ne quâ loco deeſſet Cœli ſupremi ſimilitudo) bini eminebant Cherubi, alterius in alterum aſpectu converſo, utriuſque autem in propitiatorium, quod idem etiam alis expaſſis obtegebant. Hinc Deus *Moſem* alloqui (*u*) ſolitus, hinc ſacra edere oracula.

(*u*) *Exod.* 25. 22. *&* *Num.* 7. 89.

In ſacrario autem exteriori menſa quædam collocata erat, eadémque ſemper inſtructa panibus, qui panes *facierum* dici ſolent; item ara ad ſuffitum adolendum poſita, eadémque quatuor cornibus aucta. Utrique autem, nempe menſæ, & aræ, auri lamina obducta erat. Unde ara paſſim *ara aurata* appellatur. Eodem in ſacrario candelabrum erat ſeptem lucernis ſemper inſtructum, quæ (ut multis viſum) Cœli ſtellas, ut & locus ipſe mundum aſpectabilem, adumbrabant. Neque enim probabilitate caret, quin ut intimum ſacrarium ſupremi Cœli, ita extimum mundi aſpectabilis umbratile quoddam ſimulachrum eſſet; ita ut domicilium illud, quod Deus inter Hebræos habuit, magnum hoc ejuſdem *Templum*, univerſum mundum adumbraret. Quinetiam oſtio Tentorii ſacri atrium quoddam adjacebat aulæis undique paſſis clauſum. Quo in loco major erat ara ad victimas adolendas poſita, eadémque clivo, & cornibus etiam quatuor inſtructa. Hæc ære, non auro tecta fuit. Inter aram

ram autem & oſtium Tentorii æneum poſitum erat labrum, ubi manus ſuas, pedéſque lavabant Sacerdotes rem divinam facturi. Nefas enim erat ad ſacra facienda manibus pedibúſve illotis aggredi.

Jam nihil eſt, cur reliqua omnia, quæ ad Tentorium pertinebant, memorem. Illud unum adjiciendum, tentorium ipſum, atque etiam ejuſdem vaſa omnia, quò majorem haberent ſanctitatis ſpeciem, unguento ſacro uncta fuiſſe; quippe quæ ita conſecrari, ita ſibi dedicari Deus voluit.

## *De Templo Ieroſolymitano.*

III. Jam verò ut mobile ſanctuarium populo in deſertis erranti ſatis accommodatum erat; ita fixas Sedes, ampláſque opes in Canaane poſtea nacto parùm convenire viſum. Quod cùm *David* Rex optimus cogitaret, grande continuò meditatur opus, factum fore præclarum ratus, ſi fixam & auguſtam domum, *Templum* Deo conſtitueret. Laudatur inſtituti pietas, opus ipſum autem bellicoſum hominem, cædibúſque & ſanguine cruentatum parùm decere renunciatur. Id honoris *Solomoni* datur, ut Regi ad pacem & otium nato; qui, regnum, opes, & amicitiam (ad tantum opus valdè commodam) Hirami Tyriorum Regis adeptus, auguſtum Deo Templum condidit.

Templi, ac Tentorii ſacri eadem planè ſacraria erant. Sacrarii intimi eadem ſupellex, extimi autem in Templo auctior. Nam candelabro, quod *Moſes* fecerat, lychnuchi decem, hinc quinque, totidémque illinc adjecti erant; menſæque ſacræ de-

cem

cem menſæ. (*x*) Templo etiam duo atria erant, alterum Sacerdotum, (*y*) populi alterum, quod quidem an ſepto diviſum fuit, ut viri à fœminis ſegregati ſacra ſua Deo peragerent, mihi non conſtat. In atrio Sacerdotum poſita erat ara major, item labrum æneum; cui itidem, præter lacum fuſilem, decem alia labra addebantur. (*z*) Quinetiam in his Templi atriis conclavia multa condita erant ſuis quæque uſibus accommodata. Quæ tamen omnia ubi ſita erant, non docuerunt ſacræ literæ.

(*x*) 2 Paral. 4. 7, 8.
(*y*) *ib. v.* 9.
(*z*) *ib. v.* 2. & 6.

IV. Cæterùm quæ Templi primò conditi, eadem inſtaurati ſacraria, eadem altaria, ſed & eadem denique ſanctitas erat. Nec contrà valet, quod Arca ſacra, ignis cœleſtis, oracula per Urim & Thummim edita, Majeſtas Dei, שכינה dicta, Spiritus Sanctus, vel, ut aliis placet, unguentum ſacrum defuiſſe Templo inſtaurato dicta ſint, quæ primò conditum decoraverant. Enimverò quicquid ad primò conditum, idem ad Templum inſtauratum ritè ſacrandum pertinebat; quia loco ſemel conſecrato tam diu ſua conſtabat ſanctitas, quàm Legi *Moſis* obligandi vis; ídque eò magis, quòd Templum *Solomonis* nulla Dei ipſius Lege, ſed hoſtium injuriâ dejiceretur. Atque huc *Maimonidis* (*a*) illa refer de Templo ſecundo diſſerentis. במה נתקדשה בקדשה ראשונה שקדשה שלמה שהוא קדשה . העורה וירושלם לשעתן וקדשן לעתיד הבא *i. e.* Templi ſecundi *ſanctitas unde extitit? ex prima illa conſecratione, quæ à* Solomone *peracta erat. Ab eo enim ſanctitatis duratio ſanctuario & Ieroſolymæ ſtatuta fuit.* Is autem *utrumque in perpetuum ſacrabat.* Quibus adjice, quæ paulò poſt adduntur. קדשת המקדש וירושלם מפני

(*a*) *In Bith Habechira cap.6.*

מפני השכינה ושכינה אינה בטילה *i. e. Sanctuaris & Ierosolymæ sanctitas ex* Schechina *oritur*, Schechina *autem nunquam occidit.*

V. Jam Templi denuò instaurati quæ atria, quæ conclavia, quique denique præfecti erant, Judæi particulatim docent. Ac primò quidem (ut illi monent) cum Templi porticu continens erat Sacerdotum atrium, cum Sacerdotum atrio atrium virorum, cum virorum atrio atrium mulierum, cum atrio mulierum area quædam Hebræis חיל *i. e. intermurale* dicta. Templum ipsum (quod observari debet) היכל, & Naos dicitur. Cui si addideris Sacerdotum & virorum atria, totum illum habebis locum, qui מקדש, & ἱερὸν *i. e. Sanctuarium* vocari solet.

Jam quia magnus rerum apparatus ad ritualem Dei cultum spectabat, postulavit cultûs ipsius ratio, ut varia passim extruerentur rerum variarum receptacula. Ita factum, ut in quatuor angulis atrii mulierum quatuor conderentur ædificia subdialia. (*b*) Primum לשכת הנזירים *Conclave Naziræorum* dictum erat. Quippe in quo solebant *Naziræi* sacra salutaria coquere. Alterum בית שמנים *olei receptaculum* vocabatur; utpote in quo vinum & oleum recondita erant rei sacræ faciendæ apparata. Tertium לשכת עציים *lignorum receptaculum* appellabatur. In eo enim Sacerdotes vitiosi ligna secernebant verminosa. Quod enim lignum aliqua ex parte vermibus fortè exesum erat ab ara semper rejici solebat, ut pabulum igne sacro indignum. Quartum לשכת מצורעים *Conclave Leprosorum* dictum erat; quippe in quo post morbum exutum lavari solebant homines leprosi. Sed & atrio mulierum cellæ duæ patebant subter virorum

(*b*) Maimon. *in Beth Habechira cap. 5.*

rorum atrio sitæ. Hæ musici apparatûs receptacula erant.

Inter Sanctuarium & intermurale, *Aquilonem* versus, sita erat בית טוקר *domus focaria*; (c) quæ quatuor in conclavia divisa fuit. Quorum illa duo, quæ Sanctuarium spectabant, ratione sitûs sacra erant. Profana autem duo reliqua, quæ cum intermurali conjuncta erant. *Primum* horum conclaviorum לשכת טלאים *conclave agnorum* dictum erat. In eo enim explorabantur agni ad sacra quotidiana destinati, nequid in eis vitii inesset. Alterum iis datum erat, qui panes *facierum* dictos procurabant. Tertium בית חשמונאי *domus Asmonæorum* vocabatur. In eo enim *Asmonæi* aræ illius lapides recondebant, quam profanaverant Græcorum Principes. Ultimi duplex usus erat. Nam in eo Sacerdotes excubias agebant; atque etiam inde patebat aditus ad *lavacrum* quoddam בית טבילה dictum; quo Sacerdotes, ἐξοπισθόγυω polluti, lavandi & lustrandi erant. Juxta lavacrum perpetuò ardebat focus, ut altero loti altero continuò calefierent.

(c) *Vid. Misnam in Middoth cap. 1.*

In atrio virorum octo itidem conclavia erant. Ad Austrum tria, totidem ad Aquilonem, reliquáque duo juxta portam orientalem sita. (d) Aquilonem (vel ut *Maimonidi* (e) placet Austrum) spectabat לשכת מלח *conclave salis*. In eo enim sal reconditus ad sacra condienda apparatus. Et לשכת הפרוה *conclave Parvæ*, ubi victimarum pelles salitæ erant. Et לשכת המריחים *conclave Lavantium*, quo lavari solebant victimarum exta & prosecta. Austrum spectabat לשכת היוצרים *conclave lapidum Cæsorum* dictum, cujus illa pars, quæ Sanctuarium versus sita fuit, sacra erat; profana

(d) *Misna in Middoth cap. 5.*
(e) *In Beth Habechira cap. 5.*

fana autem, illa quæ intermurale spectabat. Atque hac in parte Senatûs magni tribunal erat. Item לשכת נוזרי *conclave scaturiginis*, ubi fons erat, in Templi usus aquas suppeditans. Et לשכת העצ *conclave ligni*; quod idem, ut *Maimonidi* (*f*) placet, Sacerdotis summi conclave fuit, & לשכת פרהדרין *conclave Assessorum* vocabatur. Hîc Pontifex ante diem expiationis in ritibus sacris instituì solebat, nequid fortè eo die perperàm ab eo maléque fieret.

(*f*) *In Beth Habtchira c. 5.*

Juxta portam orientalem situm erat לשכת חביתין *conclave eorum, qui fertum Pontificis quotidianum procurabant.* Item לשכת פנחס *conclave Pinchasi*; nempè vestiarii cujusdam ita dicti, vestibus pontificalibus præfecti. Quem hoc in munere qui exceperunt, hoc sibi proprium conclave habuere.

Quinetiam supra portam Sanctuarii extructa erant conclavia duo, *domus Astines*, & *domus Nitsots* dicta. (*g*) Quorum in priori confici solebat suffitus sacer, in utrâque excubiæ à Sacerdotibus agi. Sacerdotes enim tribus in locis, in *domo Astines*, *Nitsots*, & *Focariâ*, Levitæ in uno & viginti circa Templum noctu excubabant. Id quod *Maimonides* non tam ad custodiam Templi, quàm honoris causâ factum judicat.

(*g*) Maimon. *in Beth Habtchira cap. 8. & Misna in Middoth cap. 1.*

In Sanctuario duo conclavia erant. *Prius* בית חשאים *domus silentium* dictum erat. Huic optimus quisque id, quod in pauperes erogari voluit, clàm ac secretò ingerebat. *Alterum* לשכת הכלים *conclave vasorum* appellabatur; cui quisque vas omne intulit, quod in Templi usum dono dedit. Quod idem, si ad ministerium sacrum parùm aptum esset, vendi à Quæstoribus solebat, ejusque

ejusque pretium ad labem Templi curandam impendi.

VI. Cæterùm sicut multa conclavia, ita multi erant (*h*) Templi *præfecti*, à Judæis ממונים nominati. Quorum *primus* Sacerdotes, & Levitas, virósque (quos vocant) Stationarios hoc præconio convocabat. עמדו כהנים לויים לרונן וישראל למעמד *Surgite Sacerdotes, Levitæ ad suggestum, & Israelitæ ad stationem.* Fuere autem *viri stationarii* ad vices populi in sacris supplendas constituti. (*i*) Quandoquidem enim pro quibus sacra facta erant, suis quique sacris faciendis interesse debere censerentur, totius autem populi sacris totus populus interesse non posset, hinc usuvenit, ut optimi quique deligerentur, qui totius populi personam gerentes sacris publicis interessent. Hi dicti erant *viri stationarii*, eorúmque opera sacris data *statio* appellata. Jam *Alter* præfectus foribus Templi, *Tertius* portarum custodibus præfuit, dictúsque erat איש הר הבית *vir montis domus.* *Quartus* cantoribus præfectus erat, *Quintus* apparatui musico, *Sextus* iis sortibus, quibus suum cuique Sacerdoti in sacris obeundis ministerium obtigit. *Septimus* procurabat turtures, & columbas, quas, accepto pretio, sacra daturis suppeditabat. *Octavus* erat tesserarum custos; earum utique, quibus vox זכר. נדו. עגל aut חוטא inscripta ratam illam indicabat vini & similæ portionem, quæ victimæ cuique accommodanda fuit. Hic pretio statuto immolaturis tesseram dedit. *Nonus* tesserâ ab immolaturis acceptâ, eam vini similæque portionem suppeditabat, quæ tesserâ illâ demonstrata fuit. *Decimus* iis præfuit medicis, quibus

(*h*) Maimon. *in Chelei Hamikdesh cap. 7.*

(*i*) *id. ibid. c. 6.*

commissa fuit cura Sacerdotum; qui, cùm in Sanctuarii pavimento discalceati versarentur, dysenteria sæpe laborabant. *Undecimus* erat aquarum ductibus tam Ierosolymæ, quàm Sanctuarii præfectus. *Duodecimus* panes *facierum* dictos, *Decimus tertius* suffitum sacrum, *Decimus quartus* aulæa procurabat, eorúmque Textoribus præfectus erat. *Tredecim* autem erant Sanctuario aulæa; Septem utique illius portis septem, Templi porticui unum, unum sacrario exteriori, interiori duo, totidémque ὑφάσω Templi, quod à Judæis עליות (*k*) dicitur. *Decimus quintus* denique Templi præfectus sacris vestibus præpositus erat. Sed hæc hactenus. Nunc quæ Templi natura fuit, quæ ædis sacræ ratio, docendum. Quod quidem quare fieri debeat, alio in loco apparebit.

(p) *Vid. Mišnam in Middoth c. 4. Sect. 5.*

D. E

# DE
# Ratione Templi Ierosolymitani.

## CAP. III.

*De Templi Tentoriique sacri propria natura ac ratione.*

I. TEmpli ac Tentorii sacri eadem planè ratio fuit. Utrumque enim æquè sacrum, æquéque Dei sacrarium erat. Ac quidem (ne ad rem perspicuam quasi per ambages quasdam eam) ea utriusque ratio fuit, quæ sacri cujusdam domicilii, quo Deus Hebræorum Rex, quasi inter subditos habitabat. Ut inter domicilium illud, & Synagogas postea conditas magnum illud interesset, quòd Deus in his coleretur tantùm, in illo autem non tantummodò coleretur, sed insigni quadam ratione, ut jam docebimus, habitaret.

Atque hoc quidem ex illo ipso præcepto constat, quo conditum erat Tentorium sacrum. Quid enim Deus hac de re *Mosem* alloquens? (*l*) *Facient*, inquit, *mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Quod perinde est, ac si dixisset, eo habitabo in sanctuario, quod in mediis populi castris erit. Atque ita factum, ut castris Israeliticis immundi omnes movendi essent, nempè ne pollu-

(*l*) Exod. 25. 8.

erent castra illa, quorum in medio habitabat Deus.

(m) *Num.* 5. 3. us. (*m*) Neque aliud quid in causa est, quare in mediis Hebræorum castris Deus ipse *ambulâsse* di-
(n) *Deut.* 23. 14. *Levit.* 26. 11, 12. citur, (*n*) nisi quòd insigni ratione eo in Tentorio habitaret, quod quidem, dum in desertis erat, unà cum ipsis populi castris huc & illuc circumlatum erat.

Quinetiam ut Tentorium sacrum, ita Templum eo consilio conditum, ut Deus in eo habitaret.
(o) 1 *Reg.* 8. 13. Ex quo illud *Solomonis.* (*o*) *Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum firmissimum, solium tuum in sempiternum.* Quo eodem spectant *Mo-*
(p) *Exod.* 15. 17 *sis* illa. (*p*) *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine: sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ.* Quibus ex rebus intelligitur, eam fuisse Templi rationem, quæ sacri cujusdam domicilii, quod Deus inter populum suum sibi ipse incolendum cepit, & quidem insigni suâ præsentia, ut mox indicabimus, illustravit.

II. Sed & idem docet passim celebrata Templi Sanctitas; cujus nulla alia ratio fuit, nisi talis in eo Dei præsentia, qualem illud sibi propriam habuit, non cum aliis omnibus locis communem. Est enim loci duplex sanctitas, altera rei, altera autem loci, propria. Ac locum, si ut rem spectes, dedicatio ad Dei cultum sacrat: At verò locum, ut locum, sacrat insignis aliqua Dei præsentia, sive præsentiæ ejus species. Quamvis enim Deus nullo loco concludi, excludive queat; alia tamen præsentia ejus, sive præsentiæ ejus species, aliis atque aliis in locis (ut cuique patet) inesse potest.

Quænam ergo unquam in Tentorio, quænam in Templo præsentiæ Dei illustrior species, quàm quæ aliis

aliis in locis erat? Sanè splendida illa ac sacra nubes, quam sacræ literæ (*q*) כבוד, & δόξαι, Judæi שכינה vocare solent. Utpote quæ Tentorium diu comitata, in Templum posteà (*r*) demigravit. Neque alia loca in sacris literis sancta appellari solent, nisi quæ vel sacra illa nubes, vel altera aliqua præsentiæ Dei insignis species illustrabat. Ita factum saltem, ut *Terra Sancta* appelletur, quæ *rubo* ei vicina erat, unde Deus *Mosem* alloquebatur, (*s*) ut quo in rubo splendor Dei, δόξα ejus dictus, eluceret. Ita factum etiam, ut Sinai (*t*) & Sion (*u*) montes *sacri* dicti sint; quippe quorum utrumque illustrabat splendida præsentiæ Dei species. Quod idem etiam eo de monte dicendum est, quem *Petrus* Apostolus *sacrum* dixit. (*x*) Utpote quem (sicut alios illos) idem ille splendor consecraverat. (*y*) Sed & idem etiam de *Sanctuario* Sichemitico judicandum; (*z*) quippe cui nomen illud datur, quia Deus olim *Abrahamo* eo in loco apparuerat. (*a*) Nec aliud quid, nisi loci sanctitas in causa fuit, cur *Josbua* juxta Hierichuntem *calceos exuere* jussus erat, (*b*) nec alia sanctitatis ejus ratio, nisi quòd tum coràm adesset Angelus ille; qui *princeps exercituum Domini*, Deique quasi Vicarius erat. De quo ita *David Kimchius*; (*c*) לבי גדולתו וקדושתו נקדש המקום שנראה בו ליהושע *i.e. Illius dignitate & Sanctitate sacratus est locus, quo* Josbuæ *apparebat.*

(*q*) Exod. 16. 10. & 24. 16. & 40. 34. passim.
(*r*) 1 Reg. 8. & 2 Paralip. 5. 13, 14.
(*s*) Exod. 3. 5.
(*t*) Psal. 68. 17.
(*u*) Psal. 2. 6.
(*x*) 2 Pet. 2. 17.
(*y*) Mat. 17. 2. 5.
(*z*) Josh. 24. 26.
(*a*) Gen. 12. 6, 7.
(*b*) Josh. 5. 15.
(*c*) Ibid.

Neque verò refert, quòd *splendor* Dei δόξα dictus, non ita semper in sanctuario radios suos explicaret, ut sub oculorum sensum caderent. Nam Numen illud, cujus præsentiam splendor iste designabat,

nabat, in sanctuarium suum semel ingressum, id deinceps pro suo *habitaculo* haberi voluit. (*d*) *Ibi se nomen suum positurum, ibi oculos suos, & cor suum in perpetuum fore* dixit. (*e*) Ibique denique habitabat, donec longè insigniori modo in Templum suum spirituale, in Ecclesiam Christianam migrabat.

(*d*) *Exod.* 15. 17

(*e*) 1 *Reg.* 9. 3.

III. Jam illa quoque memoratu digna, quòd Deus nisi in Sanctuario nusquam sibi immolari vellet. (*f*) Quòd Sacerdotes eò ministratum euntes *ad Deum accedere* censerentur. (*g*) Quòd qui in Sanctuario apparuere, *coram Deo apparuisse*, (*h*) quæque in eo facta erant, *coram Deo* facta esse dicantur. (*i*) Quòd Deus ex Sacrario intimo sacra edere oracula soleret. (*k*) Quæ Dei in sanctuario ipsius præcipuam præsentiam indicabant.

(*f*) *Deut.* 12. 13, 14.

(*g*) *Ezek.* 44. 15

(*h*) *Exod.* 23. 17. & 34. 24.

(*i*) *Exod.* 28. 12. & 30. 8. *Lev.* 1. 5.

(*k*) *Ex.* 25. 22. *Num.* 7. 89.

IV. Sed & idem constat ex tralatitio nominis *Templi* usu. Neque enim Christus *corpus suum* aliâ de causa *Templum* dixit, (*l*) nisi quòd idem illud numen cujus *plenitudo* in Christo habitat, umbratili & symbolico modo Templum olim incolebat. Sed & caro ejus *velum* dicta, (*m*) ut numinis illius domicilium, quod intra Sacrarii intimi velum ratione symbolica habitabat. Quid quod Apostolus Christianos quoque *Templum Dei* appellavit? (*n*) Quamobrem verò? quia *Spiritus Sanctus in eis habitat*. (*o*) Quo eodem sensu & eorum *Corpora Spiritus Sancti Templum* dixit. (*p*) Quibus adde illa ad Ephesios. (*q*) *Ergò jam non estis hospites & advenæ: sed estis cives Sanctorum & domestici Dei: superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso angulari lapide Iesu Christo, in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum Sanctum in Domino: in quo & vos*

(*l*) *Joh.* 2. 19, 21.

(*m*) *Heb.* 10. 20.

(*n*) 1 *Cor.* 3. 16.

(*o*) *Ibid.*

(*p*) 1 *Cor.* 6. 19.

(*q*) *Ephes.* 2.

*vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* Ubi ut Eccleſiam Epheſinam ob Spiritum Sanctum in ea habitantem *habitaculum Dei* appellavit: ita univerſam Chriſti Eccleſiam, ob eandem cauſam, eodemque ſenſu *Templum* dixit. Quod nulla alia de cauſa dixit, niſi quòd Templum Ieroſolymæ, unde Templi nomen ad Eccleſiam tranſtulit, Dei habitaculum cenſeretur.

V. Idem quoque Judæis viſum. Utpote qui & in deſertis, & in ipſa quoque Canaane triplicia fuiſſe caſtra dicunt, *Populi*, *Levitarum*, & *Dei*. Caſtris enim populi in deſertis poſtea reſpondebat Ieroſolyma, Levitarum caſtris mons Domûs, ubi ſic Levitæ circa Templum, ut circa Tentorium, excubabant. Tentorio ipſi reſpondebat Templum. Cujus utriuſque à Judæis ea omninò ratio habita, quæ ſacri cujuſdam domicilii, quo Deus inter populum ſuum ut Rex ac Dominus habitabat. Huc ſpectant illa *Moſis* Ægyptii (*r*) שלש מחנות היו במדבר מחנה ישראל והוא ארבע מחנות ומחנה לויים שנאמר שהוא סביב למשכן יחנו ומחנה שכינה והוא מפתח חצר אהל מועד ולפנים וכנגדן לדורות מפתח ירושלם עד הר הבית כמחנה ישראל ומפתח הר הבית עד פתח העזרה שהוא שער ניקנור כמחנה לויים ומפתח העזרה ולפנים כמחנה שכינה. *i. e. Triplicia caſtra in deſertis erant. Caſtra Iſraelis (quæ & ipſa quoque quadruplicia erant) & caſtra Levitarum, quorum erat, ut diximus, circa Sacrum Tentorium caſtrametari. Et caſtra Majeſtatis Divinæ, intra portam atrii conventûs ſita. His alia illa in perpetuum reſpondent. Totum loci ſpacium inter portam Ieroſolymæ & portam montis domûs ſitum; quod juxtà ac Iſraelis caſtra æſtimatur. Item ſpatium illud, quod à porta montis domûs ad*

(s) Maimon. *in Beth habechira, cap. 7.*

*Sanctuarii portam* Nicanor *appellatam porrigitur; cujus ac castrorum Leviticorum eadem est habenda ratio. Et quicquid denique spatii erat intra portam Sanctuarii situm; ubi Majestatis Divinæ castra.* Quibus ex rebus intelligitur illud Apostoli ad Hebræos. (s) *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra; propter quod & Iesus, ut sanctificaret per sanguinem suum populum, extra portam passus est.* Illud nimirùm pro re concessa & nota sumit, populi castris in desertis Ierosolymam postea respondisse. Idque causæ fuisse docet, cur Christus extra Ierosolymam mortis supplicio afficeretur, quippe quòd illa sacrificia, quæ quidem sacrificii Christi typi præstantiores erant, extra populi castra cremari solerent.

(s) Hebr. 13. 11, 12.

Verùm hæc in transitu tantùm dicta: Nunc redeundum ad propositum; quò spectant ea, quæ *Moses Ben Nachman* ad illa Legis verba annotat. *Faciéntque mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* (t) ועשו לי מקדש ושכנתי בתוכם בבית ובנסא הכבוד אשר יעשו לי שם *Facient*, inquit, *domum, & vasa quasi sanctuarii Regis, domúsque regiæ. Egóque in eorum medio habitabo, in domo scilicet, solióque gloriæ, quod mihi facient.* Ubi sicut Dei sanctuarium domum regiam appellavit: ita domum regiam (ob personæ Regis sanctitatem) מקדש, hoc est, *Sanctuarium* dixit.

(t) Exod. 25. 8. בית וכלים כמקדש מלך ובית מסלכה

*Nachmanidem* sequitur *Isaacus Abrabanel*, (u) הנה נקרא הבית המקדש בשמות מתחלפות אהל מועד משכן יי משכן העדות מקדש יי כי הנה נקרא אהל מועד לפי שהיה במדבר בתמונת אהל בירושלים וקרשים ונקרא

(u) ad Exod. 25. 8.

ונקרא משכן מפני שכנה שם שכינת השם ונקרא משכן העדות לפי שהחנתה ולוחות שהוא העדות בין ישראל לאביהם שבשמים היה שם ומקדש מפני שלא יבואו שם ערל וטמא *i. e. Sacrarii Dei varia sunt nomina. Tentorium conventûs, Habitaculum Domini, Habitaculum Testimonii, & Sanctuarium Domini. Appellatur utique Tentorium conventûs, quia in desertis speciem habuit Tentorii aulæis & asseribus conditi. Vocatur Habitaculum, quia in eo habitabat Majestas Dei. Vocatur Habitaculum Testimonii, quia in eo condebantur Legum liber & Tabulæ, quæ quidem Testimonio fuere inter Israelitas, & Patrem eorum, qui est in Cælo. Vocatur denique Sanctuarium, quia præputiatis & immundis eo penetrare nefas erat.* Et paulò post. בהיכל היה השלחן והמנורה ומזבח הקטרת כאילו הם כלים לשרת לפני מלכו של עולם לא שהיה הוא יתברך צריך לדבר מכל זה חלילה וחס אלא להשריש בנפשותם כי יי אליהם מתהלך בקרב מחניהם *i. e. In Templo fuere mensa, & Candelabrum, & ara suffitûs, tanquam res ad ministerium Regis mundi aptæ. Non quòd illi (cui laus omnis) harum ullâ re opus esset. Absit, ut ita arbitremur. Sed ut populi animo penitùs insideret in mediis Israelis castris versatum esse Dominum Deum ipsius.* Huc adde illa *R. Schem Tob.* (x) השם יתברך צוה לעשות בית כבית מלך ובבית מלך ימצא כל אלו הדברים אשר אמרנו אנשים שישמרו את היכלו ואנשים שעבדוהו בעבודות המיוחדות למלך לתקן מאכלות ועשות כל שאר הדברים הצריכים למלך ויש אנשים אחרים שישוררו לפניו בכל יום תמיד בשירת ובקול ומרה ויש בבית המלך מקום אחד מוכן לעשות המאכל ויש גם כן מקום להקטיר לפניו קטורת סמים ויש שלחן בביתו וגם כן מקום

(x) *Ad Mare Nevochim, part. 3. cap. 45.*

סקום מוכן אשר בו ישב המלך אשר לא יכנס ארם שם כי אם המשנה לו ואוהביו ער מאר וכן רצה השם שיהיה לו בביתו כל אלו הדברים אשר לא יחסר לו ממלך מלכי ארמה אף כי הוא מלך גדול ואינו צריך לכל זה ונמשך מזה מחנות כהנים ולויים כמו שמלך נותן לאנשי משמרתו וזה כדי שיאמינו ההמון שהמלך יי צבאות ישב בקרבנו והוא מלך גדול נורא על כל העמים

*i.e. Deus, cui laus, talem ſibi domum condi juſſit, qualis eſſe ſolet domus regia. In domo regia, hæc omnia, quæ diximus, reperiuntur. Alii ſcilicet, qui cuſtodiant palatium ejus. Alii, qui fungantur officiis ad regiam dignitatem pertinentibus; qui epulas inſtruant, aliáque faciant Regi neceſſaria. Alii denique, qui voce quotidie, fidibúſque canant. Eſt etiam in domo regia locus ad cibos apparandos conſtitutus. Item locus, ubi ei odoramenta adolentur. Eſt etiam menſa in domo ejus, itémque conclave ipſi proprium, quò nemo pervenit, niſi qui ei ſecundus eſt, quóſve in maximè caris habet. Eundem ad modum voluit Deus, hæc omnia ut in ſua domo ineſſent, nequa in re Terrarum Regibus concederet. Eſt enim ille Rex magnus; ut his quidem rebus non indigeat. Verùm hinc facilè elucet ratio victûs familiaris Sacerdotibus & Levitis dati, utpote quem Rex quiſque miniſtris ſuis ſuppeditare ſolet. Atque hæc omnia eò ſpectabant, ut intelligeret vulgus Regem, nempe Dominum exercituum, inter nos verſatum eſſe. Eſt enim ille Rex magnus, omnibúſque Gentibus metuendus.*

VI. Ea itaque & Tentorii ſacri, & Templi ratio Judæis viſa eſt, quæ regii cujuſdam domicilii Deo in habitaculum poſiti; ut ita fere inter populum ſuum Deus habitáſſe cenſeatur, quemadmodum inter po-

populos suos terrarum reges habitare solent. Hinc scilicet, ut Judæis visum, splendidissima Sanctuarii supellex, & quasi rei familiaris magnificus admodùm apparatus. Hinc longè amplissimum famulitium, ministríque varii, variis utique muneribus præpositi. Alii nimirùm, qui sacra procurarent, alii, qui custodirent domum, alii qui musicæ operam darent, qui dum flagrabant holocausta, vinúmque ritè libabatur, voce, buccina, chordísque canerent, ut inter epulas regias fieri solet. Hinc mensa semper panibus instructa, ignis in ara perpetuò ardens, suffitus bis quotidie incensus, totiésque victimarum prosecta ad aram, ceu mensam Dei, admota; prosectisque sal, vinum, & ferta addita. Hinc festi nonnúnquam dies celebrati, conviviáque statis temporibus agitata. Hinc multa Templo conclavia addita, tanto rerum apparatui necessaria. Neque enim hæc arbitrio humano, sed afflatu divino designata (*y*).

(*y*) 1 Par. 28. 12.

VII. Cæterùm quia Dei sanctuarium peculiaris præsentiæ ejus umbratile quoddam domicilium erat, postulabat rei ipsius ratio, postulabat etiam & ipse Deus, (*z*) ut tam augusti sacríque loci magna esset reverentia. Quæ quanta apud Judæos erat, *Maimonidis* illa satis docent (*a*), מצוה עשה לירא מן המקדש שנאמר ומקדשי תיראו ולא מן המקדש אתה ירא אלא מפי שצוה על יראתו ואיזה היא יראתו לא יכנס אדם להר הבית במקלו או במנעל שברגליו או באפונדתו או באבק שעל רגליו או במעות הצרורין לו בסרינו ואין צריך לומר שאסור לרוק בכל הר הבית אלא אם נורמן לו רוק סבליעו בכסותו ולא יעשה הר הבית דרך שיכנס מפתח זו ויצא בפתח שכנגדה כדי לקצר הדרך אלא יקיפו מבחוץ ולא יכנס לו אלא לדבר מצוה *i.e. Reverentia Sanctuarii præcepto.*

(*z*) *Lev.* 9. 30. & 26. 2. *Eccles.* 5. 1.

(*a*) *In Beth habechira, cap.* 7.

*cepto jubenti nititur. Dictum enim est*, & Sanctuarium meum revereamini. *Nec tamen ipsum Sanctuarium verebere, sed eum, qui ejus reverentiam jussit. Quænam autem est reverentia ejus? ut nequis cum baculo, cum calceis in pedibus, cum tunica loculis instructa, cum pedibus pulverulentis, montem domûs ingrediatur. Nec opus est dicere in montem domûs sputum excreare non licere, sed sputum ibi fortè obortum* vestimento excipiendum *esse. Nec quis montem domûs pro calle habeat, ut unâ ejus portâ ingressus alterâ inde egrediatur, eúmque viæ compendium faciat. Sed eum foris circueat, nec ingrediatur nisi officii præstandi causâ.* Et paulò post. כל שהשלים עבודה ונסתלק לו אינו יוצא ואחוריו להיכל אלא מהלך אחרוניות מעט מעט ומהלך על צידו עד שיצא מן העזרה וכן אנשי משמר ואנשי מעמד ולויים מרוכנין כך הם יוצאים מן המקדש כפי שפוסק אחר תפלה לאחריו כל זה ליראה מן המקדש לא יקל אדם את ראשו כנגד שער מזרחי של עזרה שהוא שער ניקנור מפני שהוא מכוון כנגד בית קדש הקדשים וכל הנכנס לעזרה יהלך בנחת במקום שמותר לו להכנס לשם ויראה עצמו שהוא עומד לפני הארון ה' שנאמר והיו עיני ולבי שם כל הימים ומהלך באימה וביראה וברעדה שנאמר בבית אלהינו נהלך ברגש *i. e. Qui officio functus è Sanctuario exierit, tergum suum Templo non obvertet; sed pedetentim retroibit, latere eò versùs obliquato, donec è sanctuario egressus fuerit. Sic etiam Sanctuarii custodes, virique stationarii, Levitæque à suggesto regressi eodem modo, quo precibus functi, è Sanctuario retroire debent. Sed & hæc etiam omnia ad Sanctuarii reverentiam pertinent. Ut nequis leviter caput agitet coram orientali Sanctuarii portâ* Nicanor *dicta, ut-*

*pote*

*pote quæ è regione Sacrarii sacerrimi sita sit. Ut quisque, Sanctuarium ingressus, modestè, quo sibi licet, eat. Ipsa autem illius Reverentia est, ut stet quisque coram Domino Deo, quia dictum est,* (b) & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus. *Et ut timidè, reverenter, & pavidè incedat. Propterea quòd dictum sit.* In domo Dei nostri ambulabimus cum tremore (c).

(b) 1 Reg. 9.3.

(c) Ps. 55.15.

VIII. Quinetiam quia Sacrarium intimum Cœli supremi simulachrum erat, & quidem Majestatis Dei proprium quoddam penetrale, ideò locus quisque Sanctuarii eò Sanctior à Judæis habitus, quò sacrario ei propinquior erat. Quod docent illa *Mosis* Ægyptii; (d) quæ eò libentius huc transfero, quia, quæ locorum omnium ratio à Judæis habita erat, indicat. כל ארץ ישראל וגו׳ *Universa Terra Israelis aliis est omnibus Terris sanctior. Quænam autem est illius sanctitas? Ex ea ferunt omerum messis, duos panes Pentecostes, & primitias;* (e) *quæ aliis ex terris non ferunt. Urbes muris circundatæ reliquâ sunt terrâ sanctiores. Ex iis scilicet leprosos ejiciunt,* (f) *nec in eis mortuum ullum sepeliunt, nisi vel septem probatorum, vel omnium planè civium consensu. Sin forte mortuum tali quavis ex urbe efferant, eundem eò referre non licet vel omnibus civibus consentientibus, &c. Ierosolyma sanctior est aliis urbibus muro cinctis; quia Sacra levia, & Decimas secundas illius intra mœnia comedunt. Mons domûs sanctior est Ierosolymâ. Quippe quò viris, fœminisve fluxione laborantibus, mulieribus menstruatis, puerperisve progredi nefas. Mortuum autem eò ferre licet. Ideóque cadavere funestatum eo quoque pervenire licere, nihil est cur moneam. Intermurale*

(d) In Beth habechira, c. 7.

(e) Lev. 23.

(f) Josh. 7.3.

*termurale sanctius est monte domûs, quippe quod extraneis, cadavere funestatis, aut fœminæ menstruatæ concubitu pollutis ingredi non licet. Intermurali sanctius est atrium mulierum. Eò enim pervenire nemini licet eo die, quo propter impuritatem lotus est. Verùm hoc ne liceat non nisi Senatûsconsultum est. Lex enim ob impuritatem loto, eo ipso die quo lotus est, in castra Levitica* (g) Lev. 16. 28. *ingressum permittit.* (g) *Sed neque piaculi reus est, qui, cum sit cadavere funestatus, in atrium mulierum ingreditur. Atrio mulierum sanctius est atrium Israelis. Huc enim rite pervenire nequit, qui expiatione caret. Israelis atrio sanctius est atrium Sacerdotum. Neque enim eò progrediuntur Israelitæ nisi officii præstandi causa. Ut victimæ scilicet manus imponant, ut juxta eam peccata deprecentur, ut eam mactent, aut prosecta agitent. Ea atrii Sacerdotum pars, quæ inter porticum & aram sita est, sanctior est ejusdem parte altera. Huc enim Sacerdotibus vitiosis, caput apertum, vestésve dissutas habentibus, pervenire non licet.* Quo gravius erat eorum sce-

(h) Matt. 23. 35. lus, qui *Zachariam* ibi trucidarunt. (h) *Templum Sanctius est ea atrii illius parte, quæ porticum inter & aram jacet. Quippe quod nemo ritè ingreditur nisi lotis manibus pedibúsque. Templo sanctius est sacrarium sacerrimum. Huc enim nisi uni Pontifici nemini planè penetrare licet; neque huic quidem nisi uno expiationis die, ipsóque ministrandi tempore.* Hoc scilicet Adytum

(i) ad Lev. 16. (quod *Abrabenel* (i) ipse observavit) supremi Cœli imago fuit. Hîc propitiatorium, ut Scabellum Dei; Hîc Cherubi, ut Cœlestes Ministri; quos

(k) Psal. 80. 1. & 99. 1. inter Deus habitâsse dicitur, (k) atque hinc ora-

cula

cula edidisse. (*l*) Quo minus mirum, si cuique, præter unum Pontificem (qui Princeps populi apud Deum Patronus & Advocatus erat) locus adeò sacer occluderetur. (*l*) *Exod.25.22.*

IX. Eundem morem in multis Deorum suorum Templis secutæ sunt profanæ Gentes. *Quædam fana*, inquit *Minutius Felix*, *semel anno adire permittunt*, *quædam ex toto nefas visere.* Sic etiam *Pausanias* in *Bœoticis* de Templo *Dindymenes* loquens, μιᾷ δ' ἐφ' ἑκάστῳ ἔτει ἡμέρᾳ καὶ ὃ πέρα τὸ ἱερὸν ἀνοίγειν νομίζουσι. *Unico tantùm singulis annis die Templum aperire fas habent.* Et de fano *Eurynomenes* eodem in libro, ἡμέρᾳ δὲ αὐτῇ καθ' ἕτος ἕκαστον τὸ ἱερὸν ἀνοιγνύουσι τῆς Εὐρυνομένης, ἢ δ' ἄλλον χρόνον ὅ τι ἐστὶν ἀνοίγνυσθαι καθέστηκε. *Eodem die quoannis Templum* Eurynomenes *aperiunt*, *alio quotvis tempore ne aperiant*, *cautum est.* Ita etiam in secundo Eliacorum de *Orci* Templo, ἀνοίγνυται μὲν ἅπαξ καθ' ἕτος ἕκαστον, εἰσελθεῖν δὲ ὅτε καὶ ἐφεῖται παράγε τὸν ἱερομνήμονα. *Semel quotannis aperitur*, *ingredi autem vel tunc quidem nulli*, *nisi Sacerdoti licet.* Fanum denique *Neptuni Equestris* omnibus semper clausum fuisse idem ille in *Arcadicis* narrat. Ita scilicet gentibus extraneis visum, Templa ritè dedicata Deorum habitacula & domicilia, eorúmque numine plena fuisse; eâque de causa ab hominibus rarò aut nunquam ingredienda.

# DE
# Primis Sacrorum Miniſtris.

## CAP. IV.

### *De Sacrorum Miniſtris.*

I. SAcerdotium in primis mundi ſæculis penes primogenitos fuiſſe ſtatuunt multi tam Chriſtiani, quàm Judæi. Quod qui cenſent, cur ita judicent, multa afferunt. Primum illud eſt, quòd primogeniti Hebræorum homines eſſent Deo ſacri, ut quos præcipuo quodam jure Deus ipſe *ſuos* appellaverit. (*m*) Quos autem Deus ſuos ac ſibi ſacros dicit, hos Sacerdotes fuiſſe judicant.

(*m*) *Num.* 8.17.

Deinde & illud etiam afferunt, quòd Levitæ, qui ſacri Miniſtri erant, Deo dati eſſent pro primogenitis, eorúmque in locum ſubſtituti; ita ut quales erant Levitæ in locum primogenitorum ſuffecti, tales eſſent primogeniti, quamdiu locum ſuum tenebant. Sed & huc ſpectare judicatur, quòd *Moſes* ad ſacra obeunda juvenes quoſdam adhiberet. (*n*) Quos quidem ex primogenitis fuiſſe *Juvenum* nomen docere putant. Extremum id eſt, quod *Eſavo*, quia jus primogeniti vili vendidit, inuſta ſit hominis profani nota. (*o*) Hoc enim ideò factum judicatur, quòd, ætatis ſuæ prærogativâ cum vili pretio commutatâ, ſe ipſe Sacerdotio exueret. Id quod hominis profani fuit.

(*n*) *Exod.* 24.5.

(*o*) *Heb.* 12.16.

II. Verùm

II. Verùm his (etiamſi veri aliquam ſpeciem habeant) & reſponderi poſſe judico, & alia quædam repugnare, quæ hanc ſententiam labefactent.

Nam ut Hebræorum primogeniti homines eſſent Deo ſacri, nec ætatis ſuæ prærogativâ, nec jure ad Sacerdotium factum eſt, ſed ſalute ſibi à Deo præſtitâ, dum primogeniti Ægyptiorum ſubito excidio interirent. (*p*) Ita quippe Deo viſum fuit, ut illud hominum pecudúmque genus, quod ipſe Hebræis incolume præſtabat, eodem inter Ægyptios cæſo, ſibi deinceps ſacrum eſſet. (*p*) *Num.* 3.13. & 24. 5.

Sed hæc primogenitorum ſanctitas non niſi inter Hebræos tantùm, nec quidem inter Hebræos ipſos ante id tempus locum habuit, nec eò denique poſteà valuit, ut primogeniti Sacerdotes eſſent, ſed Sacerdotum peculium quoddam, quo factum erat, ut quinis ſiclis Sacerdotibus (*q*) datis redimendi eſſent. (*q*) *Num.*18.16

Nec magis valet, quòd Levitæ (licèt hi quidem ſacri Miniſtri eſſent) in locum primogenitorum ſuccederent. Utpote qui, licèt eo in loco conſtituti, non tamen Sacerdotes erant, ſed Sacerdotum adminiſtri; nec tamen eorum adminiſtri, priuſquàm ſacris quibuſdam ritibus ad munus ſuum ſacrati erant.

Jam verò quòd juvenes quidam ſalutares victimas & holocauſta *Moſis* juſſu obtuliſſe dicti ſunt, (*r*) id, ſi rectè intelligatur, rem propoſitam non concludit. Nec enim conſtat Juvenes illos lectos fuiſſe ex primogenitis, nec illi ſanè, quicunque erant, (quòd Sacerdotum proprium fuit) ſanguinem aræ aſperſerunt. Id muneris *Moſes* ipſe obiit, (*s*) qui tunc temporis Pontificatum cum Principatu (*r*) *Exod.*24.5. (*s*) *Ibid. v.*6.

conjunctum habuit. Ex quibus intelligi par est eâ de causâ juvenes illos victimas obtulisse dictos esse, quia eas ad aram adducebant, (id enim offerendi voce passim designant sacræ literæ) eâque oblatio in sacrificiis hominum singulorum munus eorum proprium fuit, pro quibus immolatum erat, nec in sacrificiis totius cœtûs ad ipsos semper Sacerdotes, sed ad alios quosdam pertinebat cœtûs illius personâ indutos.

Neque denique me multùm movet, quòd *Esavus* ob ætatis prærogativam vili pretio addictam homo profanus appellatur. (*t*) Neque enim Apostolum jus *Esavi* ad Sacerdotium, sed ad duplicem in hæreditate portionem, & quidem ad principatum ipsum, dum illa scriberet, intuitum judico. Principatus enim, & amplior hæreditas, cùm ad primogenitos pertinerent divino quodam ac sacro jure (utpote quod & antiquissimum (*u*) & naturâ ipsâ (*x*) fundatum erat) Divina quædam beneficia erant, quæ nemo potuit parvi facere ut non idem profanus esset; præsertim quidem in eis sæculis, in quibus præcipuus quidam Dei amor talibus in rebus eluceret.

(*t*) *Hebr.* 12. 16.

(*u*) *Gen.* 4. 7. & 43. 33.

(*x*) *Deut.* 21. 17

III. Hæc itaque cum ita sint, Ego in antiquissimis sæculis ita comparatum fuisse judico, ut in sacris pro se uno factis sibi quisque suus Sacerdos esset. Nam *Cainus* & *Abel* (quod satis docent (*y*) Sacræ literæ) sua ipsi sacra per se Deo offerebant. Quod unum indicat in primis sæculis tale nullum primogenitorum ad Sacerdotium jus fuisse, quale omne sacrificandi jus aliis omnibus abrogabat. Siquidem *Abel*, natu minor, perinde ac *Cainus* primogenitus, rem Divinam Deo fecerit, eámque quidem Deo gratam. Qui autem *Cainum* & *Abelem* sacra Deo destinata ad *Adamum* adduxisse judicant

(*y*) *Gen.* 3. 3. 4.

ab eo rite porricienda, hi cur ſic judicent nihil afferunt; ſed & ſacris literis, ut jam monuimus, haud obſcurè adverſantur.

In ſacris autem pro familia quavis deſtinatis nihil dubium quin ipſe Paterfamiliâs Sacerdotii obeundi jus habuerit. Eóque jure *Noa*, (*z*) & *Jobus* (*a*) pro ſe, ſuíſque immolabant.

(*z*) *Gen.* 8. 20.
(*a*) *Job.* 1. 5.

Jam verò poſtquàm pro eis cœtibus, qui variis ex familiis conſtabant, ſacrificari cœptum fuit, mos erat, ut cœtûs cujuſque princeps (ſi modò ipſi viſum eſſet) publica Deo ſacra faceret. Quo jure *Moſes* ante *Aaronem* conſecratam eo ſanguine aram imbuebat, quo fœdus ſacrum ſancitum erat. (*b*) Sed & *Melchiſedecus*, (*c*) ante *Moſem*, idem & Rex & Sacerdos fuit, & quidem tali Sacerdotio, quali alius nemo, niſi Chriſtus, prædítus. Quandoquidem enim *Melchiſedeci*, magni & perilluſtris viri, Pater nullus, nulla mater, nullus ortus, aut obitus memoretur (quod in aliis omnibus viris magnis contrà à *Moſe* fieri ſolet) ſit primò, ut ille *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia eſſe* dicatur, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* (*d*) Deinde, (ut qui talis eſſet, ſimúlque Sacerdotio prædítus, *Sacerdos in perpetuum manere* dictus ſit.

(*b*) *Exod.* 24. 6.
(*c*) *Gen.* 14. 18. *Hebr.* 7. 1.
(*d*) *Hebr.* 7. 3.

Neque verò (quod notatu dignum) à communi loquendi uſu abhorret, ut nullis parentibus eſſe dicantur magni & illuſtres viri, quorum parentes non memorantur. Nam *Seneca* (*e*) duorum Regum meminit, *quorum alter*, inquit, *patrem non habet, alter matrem.* Quod mox explicans *de Servii matre dubitari* monet, *Anci patrem nullum dici.* Qua de re *Camuleius* apud *Livium* (*f*) contrà quidem ac *Seneca*, loquutus eſt, ſed eodem loquendi genere uſus. Nam *Servium captivâ Corniculanâ natum*, ſed

(*e*) *Epiſt.* 108.
(*f*) *Lib.* 4. *c.* 3.

*patre*

*patre nullo* fuisse dicit. Eódem spectat *Horatii* illud, Lib. 1. Sermon. Satyr. 6.

——*persuades hoc tibi rectè,*
*Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum*
*Multos sæpe viros nullis majoribus ortos*
*Et vixisse probos, magnis & honoribus auctos.*

Quo itaque loquendi genere nullis parentibus nati dicuntur clari atque celebres viri, quorum parentes non nominantur; eodem dicitur *Melchisedecus* (sed hic Spiritûs Sancti afflatu) nec ortum, nec obitum habuisse. Cúmque id ut æternum proponatur, cui nec sit ortus, nec interitus; commodè sanè in *Melchisedeco* (Deo ita rem instituente) æternitas adumbrata fuit. Quod autem in eo adumbratum, id quidem in Christo verè impletum est.

Verùm hæc loco non suo dicta sunt. Neque enim nunc aliud ago, nisi ut in primis mundi sæculis eum fuisse morem doceam, ut cœtûs cujusque Rex ac Princeps publica Deo sacra faceret. Atque huc spectat *Virgilii* illud, *Æneid.* 3.

*Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbiq; Sacerdos.*

Ubi *Servius*; *Sanè Majorum hæc erat consuetudo, ut Rex esset etiam Sacerdos, vel Pontifex. Unde hodiéque Imperatores Pontifices dicimus.* Idémque ad ejusdem illud *Æneid.* 10.

*Vigilásne Deûm Gens?* ——

*Verba*, inquit, *sunt Sacrorum. Nam Virgines Vestæ certa die ibant ad Regem Sacrorum & dicebant. Vi-*

*Vigilásne Rex? Vigila. Quod* Virgilius *jure dat Æneæ, quasi & Regi, & quem ubique Pontificem, & sacrorum inducit peritum.*

## *De Sacerdotibus Judæorum.*

IV. Jam verò apud populum Hebræum ex Ægypto in deserta egressum Sacerdotium à principatu divisum, & ad *Aaronem*, ejusque posteros Dei jussu translatum fuit. His enim tunc temporis data, quæ propria erant Sacerdotii munera, ut *Deo rem divinam facerent, ejusque nomine populo benedicerent*: sed & penes hos deinceps erat rerum sacrarum æstimatio, dijudicatio mundorum & immundorum, quæ tamen non tam Sacerdotum, quatenùs Sacerdotes erant; quàm quatenùs Juris Divini periti, propria munera judicari debent. Quo fit, ut quando ea munera, ad quæ Sacerdotes Sacrati erant, in sacris literis recensentur, his in duobus consistatur, nimirùm in re Divinâ faciendâ, populóque Dei benevolentiæ solenni prece commendando. *Hos*, inquit *Moses* de Sacerdotibus *Aaronicis* loquens, (*g*) *elegit Dominus Deus tuus, ut ministrent ei, & benedicant in nomine ejus.* Quibus etiam alia illa adde, (*h*) *Separatus est* Aaron, *ut ministraret in Sancto Sanctorum, ipse, & Filii ejus in sempiternum; & adoleret incensum Domino secundum ritum suum, ac benediceret in nomine ejus in perpetuum.* Jam alia illa, judicium de litibus, legúmque sacrarum interpretatio non munera Sacerdotum propria, sed aliis etiam communia erant. Neque enim ex *Aaronicâ* tantùm, sed & quâvis aliâ

(*g*) *Deut.* 21. 5.

(*h*) 1 *Par.* 23. 13.

aliâ ex familia, qui jus dicerent, & docerent, deligi ritè potuerunt.

V. Cæterùm in Sacerdotio *Aaronico* duo gradus lege ſtatuti erant; Quorum ſuperior *Aaroni* ipſi, reliquiſque deinceps Pontificibus, inferior aliis Sacerdotibus datus. Ex quo intelligitur ea munera, quæ *Aaroni*, in ſacris literis, ut ipſi propria tribuuntur, non niſi ad Pontifices ſpectâſſe, reliqua ab aliis Sacerdotibus ritè præſtari potuiſſe. In duplici autem Sacerdotii gradu octo erant dignitatis loci Senatus conſulto conſtituti.

Horum primus Pontifici datus eſt. Pontificis ea dignitas erat, ut ei niſi illibata virgo uxor nulla ducenda eſſet. (*i*) Ut funeri nulli intereſſe, ut ne in parentibus funeſtari, neque his, aliiſve propinquis mortuis veſtes ſuas lacerare liceret. Quibus alia multa addunt Judæi tanquam ad honorem pontificalem apta. Pontifex enim, inquiunt illi (*k*) quinque in rebus Fratres ſuos antecellere debuit. בנוי בכוח בעושר בחכמה ובמראה *Corporis elegantia, viribus, divitiis, ſapientia, & coloris pulchritudine.* Ita enim נוי à מראה diſtinguunt (*l*) ut vocem illam in *corporis eleganti fabrica* ponant, hanc in *coloris pulchritudine.* Quarum utramque in Pontifice, in bonæ indolis ſignum poſtulatam dicunt. Alii tamen (*m*) in Pontifice non tam coloris pulchritudinem, quàm ætatem provectam ſpectandam judicant. Neque ſatis ſibi conſtat *Maimonides*; ut qui in Sacerdote ſummo aliàs coloris pulchritudinem, aliàs Fidem ſummam poſtulat. (*n*) העיקר אצלינו כי כהן גדול צריך שלא יהיה באנשדורו מן הכהנים יותר אלם שלם בחכמה באמונה ביופי בעושר בכוח *i. e. Apud nos pro fundamento ponitur, neceſſarium eſſe, ut Sacerdos*

(*i*) *Lev.* 21.13. *v.* 10,11.

(*k*) Maimon. *in Chele Mikdaſch, cap.* 5. *& Bartenor. ad Joma cap.* 1. *& Autor libri Siphra in Paraſcha* אמור *cap.* 2.

(*l*) *Aaron Ben Chajim ad dictum Siphræ locum.*

(*m*) *Rabboth in* אמור. *& Baal Turim ad Lev.* 21.

(*n*) *Ad Miſnam in Joma cap.* 1.

*dos maximus nulli temporis sui Sacerdoti in Sapientia, fide, forma, divitiis, aut viribus concedat.* Quod si Sacerdotis summi hæres in divitiis tantùm, non in reliquis illis dotibus Sacerdoti fortè cuivis concederet, æquum visum est, ut tantus vir reliquorum Sacerdotum opibus eò usque augeretur, ut omnium opulentissimus esset. (o) Neque enim temerè Senatus magnus (cujus erat, ut Judæis placet, Sacerdotem maximum constituere) ei, qui Pontificis hæres erat, Pontificatum abjudicabat. Ea quippe regula apud Hebræos valere solita. (p) הקודם לנחלה קודם לשורת המת *Cujus est ad hæreditatem, ejusdem est ad mortui principatum jus primarium.* Quo jure (cætera si convenirent) Pontificatus ad hæredem Pontificis pervenit.

(o) *v. Rabbotis ad* אסור & Maimon. *in Chele Mikdasch c. 5. & Obadiam de Bartenora ad Joma, c. 1.*

(p) Maimon. *in Chele Mikdasch cap. 4.*

Sed & illa etiam seu dignitatis, seu officii Pontificalis (q) erant; Ut quisque Pontificatu præditus sese à plebe removeret, ut ne se nudum populo præberet, ut cautè semper abstineret à publicis balneis conviviisque, eamque semper gravitatem quæ se decebat, tueretur. Ut, si ad eos, qui in luctu erant, prodire vellet, Sacerdotibus aliis comitatus iret. Ut capillos quâque hebdomade tonderet; nunquam tamen novaculâ raderet: Ut in Sanctuario quotidie adesset, nec, nisi bis singulis diebus, domum iret. Ut non nisi de eis rebus, quæ ad regem spectabant, ad testimonium dicendum adigeretur, nec de his quidem, nisi à Senatu magno. Ut unam tantùm eodem tempore uxorem haberet. Ut Templum ingrediens tres alios sibi Sacerdotes adjungeret. Ut non sortitò (quemadmodùm reliqui Sacerdotes) sed quoties vellet, rem sacram faceret, sibique sumeret, quodcunque placuit, sacrificium.

(q) Maim. *in Chele Mikdasch cap. 5.*

Secundus in Sacerdotio locus Sacerdotis maximi Vicario cessit. (r) Is à Judæis סגן dictus est. Isque omnibus ferè in officiis Pontificis administer erat.

(r) Maimon. *in Chele Mikdasch cap.4.*

Tertio in loco collocati erant, quos Judæi corruptâ voce Græcâ שני קחיקולין, hoc est, *duos* κἀθολικοὺς vocant. De quibus ita *Moses Maimonides* (s), מסגן קחיקולין להיות לסגן כמו הסגן לכן *i. e. eum locum* τοῖς κἀθολικοῖς *tribuunt, ut hi id præstent Pontificis Vicario, quod Pontificis Vicarius Pontifici præstat.* Hos autem alii (t), quæstoribus præfectos, eorúmque rationes putàsse dicunt.

(s) *Ibid.*

(t) *Glossa in Schekalim in Talm. Jerosol. cap.5. Vid.etiam* Baal Aruch *&* Buxtorf. *in voce* פתיקולין.

Quarto in loco positi erant septem custodes clavium Sanctuarii, Judæis אמרכלין dici soliti. Quibus tamen ita claves illæ commissæ erant, ut non suo cujusque arbitrio, sed omnium conventu & consensu porta cuique data aperienda esset (u).

(u) Maimon. *in Chele Mikdasch c.4. & ad Schekal, c. 5. & Obadias de Barton. ibid.*

Quinto in loco constituti erant tres *Quæstores*, à Judæis גוברים nominati. Quorum munus erat sacra omnia, à quibuscunque debita, rerúmque redemptarum pretium exigere. Quò spectant illa *Mosis Maimonidis* (x), הם פורים את הערכין ואת החרמים ואת ההקדשות ומעשר שני *i. e. Hi rerum æstimatarum, devotarum, consecratarum, & decimarum secundarum redemptionem procurant.* Quibus illa ejusdem Autoris adde, הם שגובים כל ההקדשות ופורים את הנפדה ומוציאים אותן בדברים הראויין לתן להוציאן *i. e. Hi omnia consecrata exigunt, dimittúntque ea, quæ redimuntur; eis autem conditionibus dimittunt, quibus quidem talia dimitti debent.*

(x) *ubi suprà utroque in loco.*

Sextum locum habuit *Vigiliæ caput*, Judæis ראש המשמר

המשם dictus. Erat enim totus Sacerdotum numerus à *Moſe* (ut *Maimonidi* (*y*) placet) in octo Claſſes diſtributus, à *Davide* autem in viginti quatuor; quibus ſingulis ut ſua in Sanctuario ad miniſtrandum hebdomas data; ita ſuus etiam præfectus erat. Iſque *Vigiliæ caput dictus.*

(*y*) *In Chele Mikdaſch, c.* 4.

Septimum ille locum habuit, qui ראש בית אב *paternæ familiæ caput* dictus eſt. (*z*) Sicut enim totus Sacerdotum numerus in quatuor & viginti Claſſes, ita claſſis quæque (ſecundum hebdomadis cujuſque dies) in ſeptem familias diviſa fuit; ut uniuſcujuſque diei miniſterium datum eſſet unicuique familiæ; cujus quicunque princeps erat, *paternæ familiæ caput* vocatus eſt. In pares claſſes & familias Levitæ quoque diviſi erant, virique, quos diximus, Stationarii (*a*).

(*z*) *Ibid.*

(*a*) Maimon. *in Chele Mikdaſch c.* 6.

Ultimum in locum rejecti erant Sacerdotes gregarii, qui הדיוטים *i. e. Idiotæ* dicti ſunt. (*b*) Erat tamen præter hos omnes Sacerdos quidam *ad bellum unctus*, (*c*) Judæis משוח מלחמה dictus. Cui id negotii datum fuit, ut populum in aciem prodeuntem ad prælium ſtrenuè committendum erigeret. Huic in caſtris ſecundum Pontificem ſummus haberi ſolebat honor, in Sanctuario autem nullus, niſi qui Sacerdotis gregarii fuit (*d*).

(*b*) *Idem in eodem tractatu, c.* 4.

(*c*) *Deut.* 20. 2, 3, 4.

(*d*) Maimon. *in Chele Mikdaſch c.* 4.

## CAP. V.

### *De consecratione Sacerdotum Aaronicorum.*

I. JAM Sacerdotes *Aaronici*, nequa Sacerdotio deesset sanctitatis aut honoris species, multis ritibus ac cærimoniis ad munus suum consecrati erant. Primò scilicet aquâ lustrati, tum vestibus cuique propriis induti, postea unguento sacro uncti, itémque victimis quibusdam cæsis expiati ritè, & initiati.

Ac primus consecrationis gradus, quo quisque de tam sancto munere sanctè fungendo moneretur, à lavacro (utì diximus) incepit. (*e*) Quâ eâdem ferè ratione fit, ut nos ipsi Christiani, fœdus novum inituri, fonte sacro initiemur. Ita quoque familiis extraneis ortos, siquando ad religionem Judaicam accederent, aquis mersari moris fuit. (*f*) Idémque fuit profanis gentibus suos etiam initiandi ritus. Unde illud *Clementis Alexandrini* (*g*), ὡς ἀπόῤῥητος ἄρχ. καὶ τῆς μυσηρίων τῆς παρ' Ἕλλησιν ἄρχει τὰ καθάρσια, καθάπερ τοῖς βαρβάροις λυτρόν. *Ab expiatoriis incipiunt Græcorum mysteria, sicut Barbarorum à lavacro.* Adde & *Tertulliani* (*h*) *illa, Certè ludis* Apollinaribus & Eleusiniis *tinguntur, idque se in regenerationem, & impunitatem perjuriorum suorum agere præsumunt: Item penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aquâ se expiabat.* Quò eódem spectat, quod *Augustinus* de baptismo contra *Donatistas* scribit; *In multis Idolorum sacrilegis sacris baptizari homines perhibentur.*

(*e*) *Exod.* 29. 4. *Levit.* 8. 6.

(*f*) *Maimon. in Issure Bia, c.* 13.

(*g*) *Strom.* 5.

(*h*) *De Baptismo, c.* 5.

II. Jam

II. Jam simul atque aquis ritè lustrati erant *Aaron* ejusdemque filii, primus *Aaron* ipse amictu Pontificali induitur. (*i*) Qui quidem, quò illustrior esset Sacrorum & Sacerdotii honor, splendidus & magnificus erat. Quo factum, ut vestes Pontificales לכבוד ולתפארת *ad gloriam & honorem* fieri dictæ sint. (*k*) Vestes autem Pontificis illæ erant, חותנת מכנסים אבנט מעיל אפוד חשן מצנפת וציץ *Tunica, femoralia, balteus, pallium, ephodus, pectorale, tiara, & lamina.* Quarum omnes, quoniam pulchræ erant, quædam etiam auro contextæ, à Judæis *aureæ* dici solent. Hæ *Aaroni* indutæ erant, hæ ad sacra omnia obeunda, nisi uno expiationis die, à Pontifice quoque adhiberi solitæ. Ad illius autem diei sacra quatuor tantum vestes adhibebantur, *Tunica, Femoralia, Balteus*, & *Tiara*. Hæ lineæ erant, Judæisque *vestes albæ* dictæ. Eum utique diem decebat dolor, dolorem nulla vestium pompa.

(*i*) *Exod.* 29.5. *Lev.* 8.7.

(*k*) *Exod.* 28.2.

III. Jam vestium omnium Pontificalium prima induebantur femoralia; quæ à coxis ad poplites pertinebant. (*l*) Gentium quidem profanarum Flamines, quæ occultari maximè decebat, coram Pehore aperiebant. Deus autem Sacerdotes suos, ut verecundos & modestos; ita tecto corpore esse voluit. Quo factum etiam, ut non per gradus, ne fortè corporis verenda apparerent, sed per clivum quendam ad aram ascenderent. (*m*) Quæ eadem etiam ratio fuit, (ut rectè observavit *Abrabenel*) cur, cùm reliquæ vestes sacræ *Aaroni* à *Mose* induendæ essent, (*n*) femoralia (verecundiæ causâ) *Aaron* ipse sibi secretò indueret.

(*l*) Maimon. *in Chele Mikdasch c.* 10. *& Kimchi ad Ezek.* 44.18.

(*m*) *Ex.* 20.26.

(*n*) *Vid. Exod.* 29.5,6. *& Lev.* 8.7,8,9.

Fe-

Femoralibus addita erat Tunica, (o) Camisia utique lino facta, manicata, & opere tessellato texta; quæ ad pedes usque promittebatur.

(o) Maimon. in Chele Mikdasch c.8.& 10.

Tunicæ accinctus erat Balteus, quæ fascia quædam linea fuit, tres, (p) quatuórve (q) uncias lata, cubitósque triginta duos longa, variis amplexibus corpus cingens. Eóque factum, ut Sacerdotes & frigoris patientiores essent, & ad operam suam expeditiores.

(p) Maimon. in Chele Mikdasch c.8.

(q) Joseph. Antiq. lib.3.cap.8.

Post Balteum induebatur Pallium; quæ vestis hyacinthina fuit, (r) nullas habens manicas, (s) à collo duas divisa in alas, quarum altera à supremo pectore, altera autem à cervice ad talos ferè demittebatur. Harum infimis limbis appendebantur septuaginta duo tintinnabula, quæ malis puniceis affabrè factis alia ab aliis sejuncta erant. Pallio additus erat Ephodus (t) ex auro, hyacintho, cocco iterato, & byssо bilice, opere Phrygiano factus. Cujus pars anterior ab axillis ad imum pectus, posterior autem ferè ad talos pertinebat. Huic etiam parti, quæ à tergo fuit, duæ maniculæ adjunctæ erant, quæ, hinc & inde ab axillis ductæ, medio pectore constringebantur. His, sicut & Ephodo ipsi, aurum affabrè intextum erat. Unde dictæ erant חשב האפוד *artificium Ephodi.* (u) Sed & Pallium quoque, quia his cinctum, Ephodi Pallium vocabatur. (x) Quinetiam Ephodo adjuncta erant duo humeralia, humeralibusque duo onyches inditi, iidémque palis aureis inclusi; quorum alteri sex tribuum nomina, totidémque alteri insculpta erant. Quod ideò factum videatur, ut Pontifex semper in memoriâ teneret, quorum sibi cura commissa fuit, quantíque oneris munus impositum. Levius id, quod Judæi monent, ita his lapidibus

(r) Joseph. ibid. & Philo Judæus de vita Mosis.

(s) Maimon. in Chele Mikdasch c.9.

(t) Exod.28.6.

(u) Exod.28.8.

(x) Ibid.

pidibus tribuum nomina inciſa fuiſſe, ut utroque in lapide viginti quinque literæ eſſent. Quod ut eveniret, יהוסף pro יוסף cœlatum ferunt. His etiam humeralibus quatuor aurei annuli annexi erant, duo nimirùm in ſupremis humeris, reliquíque in ſupremo pectore, alter hinc, altérque illinc.

Ephodo adjunctum erat monile quoddam, *pectorale* dictum, iiſdem filis, eodemque opere, quo Ephodus, contextum; idémque pontificis pectori applicatum: pectorale longum erat cubitum, latum autem dimidium cubiti, ut altera ex parte in alteram replicata dimidium cubiti quadratum exiſteret. (*y*) Ejus inter plicas repoſita erant *Urim*, & *Thummim*; pérque *Urim* talia oracula edita, qualia ad rempublicam pertinebant, (donec Regnum, rejecto Dei imperio, ad *Davidis* Familiam tranſlatum fuit.) Eoque factum, ut pectorale חשן המשפט *pectorale judicii* dictum eſſet. Jam pectorali inſertæ erant duodecim gemmæ, eædémque circulis aureis incluſæ, quibus, eo ordine, quem patrum ætas poſtulabat, totidem Tribuum nomina inciſa erant. Undè didicit Pontifex quam charæ ſibi eſſe debebant tribus illæ, quarum nomina pectori cordíque ſuo Dei juſſu applicata erant. Sed & Deus etiam Humeralibus & Ephodo tribuum nomina inſculpi voluit, ut quorum ipſe curam maximam in ſe ſuſceperat, eorum nomina in ſanctuario quaſi oculis ſuis obverſarentur, idque, ut docent ſacræ literæ (*z*) לזכרון hoc eſt, *recordationis ergo*. Quo *Symbolo* ſe ſuorum omnium ſemper memorem fore ſignificabat.

(*y*) Maimon. *in Chele Mikdaſch cap. 9. vide etiam Exod. 39. 8, 9.*

(*z*) *Exod.* 28. 12. 29.

Supra nomen *Reubenis*, ut tradunt Judæi, (*a*) voces illæ inſculptæ erant, אברהם יצחק ויעקוב infra nomen *Benjamini* שבטי ירה atque ita factum, ut

(*a*) Maimon. *in Chele Mikdaſch cap. 9.*

ut, in pectorali omnes existerent literæ Hebraicæ. Cæterùm ut Humeralibus Ephodi; ita etiam angulis Pectoralis quatuor aurei annuli juncti erant, superioréſque alterius annulos alterorum superioribus astringebant duo aurei torques, inferiores autem inferioribus totidem vittæ hyacinthinæ. (*b*) Cavendum utique (*c*) Pontifici fuit, (fortè ne à munere sibi impoſito animum removere videretur) ne pectorale ab humeralibus distraheret. Quod si sciens ac prudens faceret, verberibus castigandus erat (*d*).

(*b*) *Exod.* 28.

(*c*) *Ibid.* 2.28.

(*d*) Maimon. *in Chele Mikdasch c.9.*

Pontifici hunc in modum ornato mox induta est Tiara, nimirùm fascia quædam linea, fedecim cubitos longa. Quâ variis voluminibus contortâ caput illius cingebatur. Huc refer *Josephi* (†) illa, ὑπὲρ δὲ τὴν κεφαλὴν φορεῖ πῖλον ἄκωνον, οὐ διϋφασμένον εἰς πᾶσαν ἀυτὴν, ἀλλ' ἐπολίγον ὑπερβεβηκότα μέσους. *i. e. Super caput autem gestat pileum non fastigiatum, neque totum caput comprehendentem, sed paulò plus quàm medium.* Ita factum, uti Judæis (*e*) placet, ut inter Tiaram & auream laminam commodus pateret Phylacteriis locus. Deus autem Sacerdotes suos operto capite ministrare voluit, quia apud Gentes orientales caput opertum reverentiæ, nudum audaciæ signum erat. Quæ ratio est, cur quos *Moses* ex Ægypto manu elatâ egressos dicit, eos Chaldæus בריש גלי *nudo capite* exiisse dicat (*f*).

(†) *Antiq. l.3. cap.8.*

(*e*) Maimon. *in Chele Mikdasch cap.10.*

(*f*) *Exod.* 14.8.

Ultima Pontificis fronti accincta est Auri Lamina, *Corona* dicta. (*g*) Cui, ne loco moveretur, per duo foramina partibus in extremis facta vitta hyacinthina trajecta fuit, arctéque in occipitio ligata. Coronæ autem, quo Pontificem Deo sacrum esse con-

(*g*) *Ex.* 39.30.

constaret, cœlatura sigillari insculptum erat (*h*) קורש ליהוה *Jehovæ Sacrum.* Sed & Gentium aliarum Sacerdotes rem sacram coronati faciebant. Quod *Plinius* in Historia Naturali docet, (*i*) *Antiquitùs quidem nulla corona nisi Deo dabatur; Viritim verò ne in certamine quidem ulli: ferúntque primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo, sed ex hederâ; posteà Deorum honori sacrificantes sumpsere. Novissimè & in sacris certaminibus usitatæ.* Quibus adde *Tertulliani* illa, (*k*) *Igitur purpura illa, & aurum cervicis ornamentum eodem modo apud Ægyptios, & Babylonios insignia erant dignitatum. Quo more nunc prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, vel aureæ coronæ Sacerdotum provincialium, sed non eâdem conditione.*

(*h*) *Exod.*39.36

(*i*) *Lib.*16. c.4.

(*k*) *De Idololat. cap.*18.

III. Jam *Aaron* vestibus his indutus, mox, in majorem dignitatis speciem, sacro unguento ungebatur. (*l*). Id quod Judæi capiti ejus primò affatim affusum docent, (*m*) deinde ita fronti illitum ut in eâ Græcam literam X, (*n*) vel, ut aliis (*o*) placet, Græcam K, vel, ut aliis visum, (*p*) Hebræorum כ describeret; à quâ literâ vox כהן incipit. Nihil enim est, quod *Judæi* argutiis suis non persequuntur. Habuit autem unguentum sacrum honoris, & gaudii significationem, item sanctitatis, & afflatûs divini. Atque huc pertinet *Davidis* illud, (*q*) *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ Consortibus tuis.* Ita factum etiam, ut Dei filius, supra modum Spiritu Sancto præditus, (*r*) משיח, hoc est, *Unctus* dicatur. Sed & hinc ipsi Christiani, quasi Sacerdotes & Reges spirituales facti, (*s*) *uncti*, (*t*) & *unctionem accepisse*

(*l*) *Exod.*29.7. & 30.25. & *Lev.*8.12.

(*m*) Maimon. *in Chele Mikdasich c.*1.

(*n*) *Ibid.*

(*o*) *Vid. Abrabin. ad* 1 *Reg.*1.

(*p*) *Ibid.*

(*q*) *Psal.* 45.7.

(*r*) *Job.*3.34.

(*s*) *Apoc.* 1.6.

(*t*) 2 *Cor.*1.21.

(u) 1 *Joh.* 2. 27. *pisse* dicti. (u) Hinc denique apud veteres Christianos unctio ad Baptismum adhibita. *Exinde egressi de lavacro*, inquit *Tertulli unus* (x), *perungimur benedictâ unctione, de pristinâ disciplinâ, quâ ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant. Ex quo* Aaron *à* Mose *unctus est; unde Christus dicitur à Chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit.*

(x) *De Baptism. c.* 7.

IV. His ritibus *Aaroni* adhibitis, mox filiis ejus Vestes ipsis propriæ induuntur. (y) Erant autem Sacerdotum gregariorum Vestes, כתונת מכנסים *i. e. Tunica* (z), *Femoralia*, *Tiara*, & *Balteus*. Quarum duæ primæ Pontificalibus similes fuerunt. Tertiæ quoque nondum indutæ eadem quidem, ac Pontificalis, indutæ alia species erat. Gregarii enim Sacerdotes (secùs ac Pontifices, modò ex *Josepho*, feciſse diximus) *Tiaras* ad Galeæ ſimilitudinem capitibus ſuis accingebant (a). Sed & Baltei Sacerdotum minorum eadem, ac Pontificalis, forma fuit; pretium minus, textura quoque minùs elegans. Hæ quatuor veſtes lineæ erant, (quales etiam, ad innocentiæ ſpeciem, Sacerdotum (b) Ægyptiorum erant.) Nec tamen ad miniſterium aptæ, ſi vel ſordibus inquinatæ, vel vetuſtate corruptæ eſſent (c). Sed & *Cicero* (d), *Colorem album præcipuè decorum Deo ex Platone* dixit.

(y) *Ex.* 29. 8, 9. & *Lev.* 8. 13.

(z) *Tunica nonnunquam in sacris litteris Ephodus linius appellatur. vid. Buxt. Lex. Hebr. in voce* אפוד

(a) Maimon. *in Chelè Mikdaſch c.* 8.

(b) *Plutarch. de Iſide, & Oſiride.*

(c) Maimon. *in Chelè Mikdaſch c.* 8.

(d) *De Legib. lib.* 2.

V. Poſt hæc omnia ritè præſtita, pro *Aarone* Filiiſque ejus triplex factum eſt Sacrificium. Primò piaculare, deinde holocauſtum, ultimò verò ſalutare. (e) Piaculare, ut λύτρον quoddam, quo primùm omnium luſtrandi erant. Holocauſtum, ut munus, ſive donum, quo Domino ſuo commendarentur. Salutare denique, ut ſacrum epulum, quo Dei Familiæ initiarentur. Sacrificiis enim ſalutaribus veſci ipſis etiam offerentibus licuit; iiſque ritè qui veſcebantur, pro

(e) *Exod.* 29. & *Lev.* 8.

Dei

Dei Famulis habiti erant. His de victimis (quarum prima ex bubus lecta fuit, duæ reliquæ ex arietibus) ita differit R. *Levi Ben Gerson* (*f*), ראוי (*f*) *Ad Ex.29.*

שלא ישלם ממנו הסבה בסדור אשר באלו קרבנות וזה כי החטאת היה קרב ראשונה לכפרה וחלב סועט ממנה היה קרב לשם יתעלה כי הבעלים בלתי ראויים שיקח השם יתעלה מהם מנחה ודורון ואחר שנתכפר להם יקריבו עולה שהוא כלה לשם יתעלה להודות שהם מתקרבים לעבודת השם יתעלה ואחר העולה יבוא הקרבן שהוא בסדרנה חשלמים שקצתו קרב לשם יתעלה וקצתו לכהנים וקצתו לבעלים להודות שהם באהבה עם השם ער שיאכלו יחר על שלחן אחר *i. e. Observari debet ratio ordinis, quo facta erant hæc sacrificia. Nam primum omnium, in peccatorum expiationem factum erat sacrificium piaculare. Cujus nihil, nisi aliquanta adeps, Deo (cui laus) offerebatur; quia offerentes nondum digni erant, à quibus Deus munus & donum acciperet. Postquam autem jam lustrati erant, quo eos sacro ministerio devotos esse intelligeretur, holocaustum, quod totum aræ datum est, Deo (cui laus) immolabant. Post holocaustum autem sacrificium simile salutari, (cujus pars Deo, pars Sacerdotibus, pars offerentibus dari solet) eum in finem offerebant, ut eos jam in gratiam apud Deum eò usque receptos esse constaret, ut communi cum eò mensâ uterentur.* Quæ eadem docet *Isaacus Abrabenel* in Commentariis eundem ad locum scriptis.

Cæterùm Arietis illius sanguine, qui victimæ salutaris nomine, ut modò diximus, immolabatur, mox imbuuntur Sacerdotum omnium aures dextræ, dextrarúmque manuum pedúmque pollices. (*g*) Ita scilicet quanta discendæ legis, ministerii sacri, (*g*) *Ex.29.20. & Lev.8.23,24*

& viarum denique, (quæ mores apud Hebræos designant) adhibenda cuique cura erat, Sacerdos quisque monitus fuit. Quò pertinent *Abrabenelis* illa, (*h*) הענין כלו להעיר את הכהן שישתדל להבין ולשמע תורת האלהים ושישתדל לעבוד עבודתו בידיו וללכת במצותיו ברגליו והיה כל זה מהאזן ובוהן הידים והו גל ם היסנ ת להעיר שתהיה שמיעתו והלכותיו תמיד לצד ימין כי הוא צד השלמות *i. e. Hæc omnia eò spectabant, ut inculcaret Sacerdos quisque Legis sacræ studio gnaviter sibi incumbendum, manúsque suas ministerio sacro sedulò adhibendas esse, Deique præceptis ac viis insistendum. Dextrâ autem in aure, dextrarúmque manuum, pedúmque pollicibus, hæc quidem omnia facta erant, ut intelligeret Sacerdos quisque, auditum, opera, & mores suos ad dextram semper spectare debere. Dextra enim perfectionem notat.* Quæ eadem docet R. *Levi Ben Gerson* (*i*).

(*h*) *Ad Ex.* 29.

(*i*) *Ibid.*

VI. His præstitis, *Moses* (cui his in sacris Sacerdotis partes obeundæ dantur) arietis modò dicti adipem, caudam, omentum, fibram jecoris, renes ambos, armúmque dextrum, item panem unum, unam placentam oleo perfusam, crustulúmque unum non fermentatum *Aaronis* & Filiorum ejus palmis imponit, manúsque suas eorum manibus subjiciens, omnia illa quaquaversùm agitat, Deóque omnia possidenti porrigit; porrectáque mox in arâ adolet. Pectus autem ejusdem arietis eodem modo agitatum sibi ipse sumit, ut Sacerdotis partibus functus. (*k*) Quo facto, (quod jam reliquum fuit) *Aaronem*, atque Filios ejus, eorúmque vestimenta omnia sanguine ab arâ repetito, sacróque unguento aspergebat. (*l*) Ita scilicet & Sacerdotes ipsos, & vestes sacrabat Sacerdotales. (*m*)

(*k*) *Lev.* 8.25, 26,27,28.

(*l*) *Lev.* 8.30.

(*m*) *Ibid.*

Sanguis

Sanguis autem hunc ad ritum adhibitus ejusdem illius arietis erat, cujus, quæ modò diximus, prosectis Sacerdotum manus implebantur. Qui quidem aries eâ de causâ איל מלואים *Aries impletionis* dictus est (*n*).

(*n*) *Ex.* 29.31. & *Lev.* 8.22.

VII. His itaque ritibus ac cærimoniis per septem dies repetitis (*o*) Sacerdotio primùm initiabatur tota familia *Aaronica*. Sed & *Aaronis* quotquot erant in Pontificatu Successiores, quamdiu superfuit unguentum sacrum, Pontificatum adituri per totidem dies (*p*) inuncti erant, vestibúsque Pontificalibus induti. Unde Pontifex aliquoties in sacris literis *Sacerdos unctus* appellatur. (*q*) Consumpto autem unguento sacro à *Mose* composito (quod *Judæi* (*r*) nunquam renovatum ferunt) ad Pontificatum capessendum suffecit vestium Pontificalium indutus per septem dies repetitus. Quo fit, ut hujusmodi Pontifex quisque מרובה בגדים *i. e. vestibus initiatus* dici soleat. (*s*) Hæc scilicet à Judæis tradita; rectè, an secùs, ipsi viderint. De facto nihil temerè dixerim. Lex illud planè postulabat, ut Pontifex quisque ad munus suum unguento sacro ungeretur. (*t*) Nec usquam in sacris literis cautum est, ne unguentum illud renovaretur. Nam quod *Judæi* huc afferunt, (*u*) profanum unguenti sacri usum, non renovationem ejus vetat.

(*o*) *Lev.* 8.33, 34.

(*p*) *Exod.* 29. 29,30.

(*q*) *Lev.* 4.3,5, 16.

(*r*) *Vid. Abrab. ad* 1 *Reg.* 1.

(*s*) Maimon. *in Chelc Mil-dasch. c.* 4.

(*t*) *Exod.* 29. 29,30.

(*u*) *Vid. Exod.* 30.32,33.

Jam verò gregarii Sacerdotes (secùs atque in Pontificibus factum est) post patres suos, *Aaronis* filios, à *Mose* semel consecratos nunquam denuò sacrati erant. Cujus ea discriminis ratio fuit, quòd Pontificatus virtutis merito, Sacerdotium jure hæreditario ad Sacerdotes perveniret. Idem mos (quod notatu dignum) in Regibus etiam ungendis valuit. Neque enim apud Hebræos uncti, nisi vel familiarum suarum qui primi

primi omnium Reges erant, quales quidem erant *Saulus*, & *David*, (nequid hìc de *Jehu* dicam) vel quorum de jure ad regnum paternum lis aliqua movebatur, quales erant *Solomon*, *Joas*, & *Joachazus*. Qua de re præclarè *Moses* Ægyptius,(x) אין מושחין מלך בן מלך שהמלכות ירושה למלך לעולם שנאמר הוא ובניו בקרב ישראל ואם היתה שם מחלוקת מושחין אותו כדי למלך המחלוקת ולהודיע לכל שהוא מלך לבדו כמו שמשחו שלמה מפני מחלוקת ארונהו ויואש מפני עתליה ויהואחז מפני יהויקים *i. e. Regem Regis filium non ungunt; quia Regnum perpetua est Regis hæreditas. Id quod ei ex verbis constat.* Ipse, & Filii ejus inter Israelitas, (y) *Sin fortè de regno certetur, Regem quidem eo consilio ungunt, ut litem dirimant, omnésque certiores faciant hunc unum pro Rege habendum esse. Ita scilicet* Solomonem *ungebant ob tumultum ab* Adonia *motum*, Joam *ob* Athaliæ *tyrannidem*; Joachazum, *ut* Joacimum *exuerent.* Horum enim Fratrum, ut monet *Abrabenel*, *Joachazus* natu minor erat, (z) sed majore gratiâ apud populum; ab eóque quidem, non à Senatu, Rex creatus. Quod & in ipsis sacris literis non obscurè monitum videtur; (a) in quibus utique *Joachazus*, nullâ principum mentione factâ, à *populo terræ* unctus dicitur. Uncti ergo apud Judæos erant, quorum adhuc jus ad munus aliquod, quod eo ritu dignum fuit, aut nullum, aut incertum erat. Quorum autem jus ad munus suum apud omnes in confesso erat, hi sanè eo ipso jure satìs sacrati videbantur.

(x) *In Chele Mikdasch, c. 1.*

(y) *Deut. 17. 20.*

(z) *Vid. 2 Reg. 23. & confer v. 31. cum v. 36.*

(a) *2 Reg. 23. 30. & 2 Par. 36. 1.*

## CAP. VI.

*De vitæ, corporis, familiæque honestate in Sacerdotibus* Aaronicis *postulatâ.*

I. CUM ritus eos, ac cæremonias, quibus *Aaronici* Sacerdotes ad Sacerdotium sacrati erant, satis explicâsse videamur; deinceps sequitur, ut doceamus quanta fuit in Sacerdotibus vitæ, familiæque honestas, corporísque dignitas postulata. Quemadmodùm enim Sacrorum rituum populo Hebræo præceptorum, ita & Ministrorum etiam, quibus ritus illi obeundi erant, summus habitus est delectus. Neque enim ritè ministrare, rémve sacram, ut decebat, facere, quales sequuntur, censebantur. (*b*) העובד עבודה זרה הור בעל מום הערל הטמא טבול יום מחוסר כיפורים האנן השבור מחוסר בגדים יותר בגדים פרום בגדים פרוע ראש שלא רחץ ידים ורגלים היושב מי שיש בין רגליו ובין הארץ דבר חוצץ מי שיש בין ידו ובין הכלי דבר חוצץ מי שעבד בשמאלו כל אלו פסולין לעבודה ואם עברו חללו חוץ מפרוע ראש וקרוע בגדים והשוחט לעבודה זרה בשוגג שאם עברו עבודתם כשרה

(*b*) *v.* Maimon. *in Biath Hamikdasch, c.* 7.

*i. e. Idololatra, Extraneus, Corporis vitio notatus, Præputiatus, Immundus, Ad lustrationem lotus, eo die, quo lotus est, ministrans; Expiatione carens, Lugens, Temulentus, Vestibus destitutus, Vestibus redundans, Vestes laceras habens, Comam*

*Comam promittens, Manus, Pedésve illotos habens, Sedens, Cui inter pedes & terram medium quid interpositum erat, Cui medium quid erat inter manum vásque sacrum interpositum, Qui manu sinistrâ pro dextrâ utebatur. His omnibus ministerio interdictum; Hi, si ministrent, rem sacram polluunt, iis tantùm exceptis, quibus coma promissa, vestésve laceræ, victimáve Deo cuivis extraneo per imprudentiam mactata fuit, quorum, si jam ministrâssent, ministerium pro legitimo habitum est.* Hæc *Maimonides*, de quibus singulis jam videndum.

II. Ac primò, inquit, Sacerdotio quisque movebatur, qui Deum quemvis extraneum coluerat. Id quod Judæi ex eo colligunt, quòd in Visione *Ezekieli* (c) oblatâ Sacerdotio planè exutos videant Sacerdotes Idololatriæ reos; nec quidem aliò valuisse eorum ad Deum conversionem, quàm ut munera quædam inferiora deinceps obire permitterentur. Sed & eadem leviori culpæ à *Josiâ* pœna statuta fuit; ut qui eos Sacerdotes, qui Deo in montibus immolaverant, aris omninò amovebat. (d) Ex quo illud *Hugonis Grotii* (e), *Aliæ culpæ, pœnitentiâ sequente, non amovebant reos à functione Sacerdotii: Idololatria, & cultus in loco illicito, amovebant.*

(c) Ezek. 44. 10, 11, 12, 13.

(d) 2 Reg. 23. 9.

(e) Ibid.

2. Neque ritè Sacerdotio fungi nisi *Aarone* ortus potuit. Alii omnes hoc in munere à Judæis זרים *extranei* dici solent. Extraneo autem munus hoc arripienti mortis pœna statuebatur (f).

(f) Num. 3. 10.

Hinc

Hinc generis totius Sacerdotalis cenſus aliquoties habiti. (*g*) Hinc (quod docet (*h*) *Moſes* Ægyptius) cujuſque familia explorata, priuſquàm in Sacerdotium cooptaretur. בית דין הגדול היו יושבין בלשכת הגזית ועיקר מעשיה התדיר שהיו יושבין ודנין את הכהנים ביוחסין ובמומין כל כהן שנמצא פסול בייחוסו לובש שחורים ומתעטף שחורים ויוצא מן העזרה וכל מי שנמצא שלם ובשר לובש לבנים ונכנס ומשמש עם אחיו הכהנים מי שנמצא כשר בייחוסו ונמצא בו מום יושב בלשכת העצים ומחלע עצים למערכה וחולק בקדשים עם אנשי בית אב שלו ואוכל שנאמר לחם אלהיו מקדשי קדשים ומן הקדשים יאכל *i. e. Senatus Magnus in Conclavi lapidum Cæſorum ſedet, idque negotii, præſertim quotidiani, habet, ut de Sacerdotum familiis, vitiiſque judicet. Sacerdos quiſque, cujus familia à Sacerdotio aliena reperta eſt, pullam ſibi veſtem induens, pullóque velo caput obnubens, è Sanctuario mox egreditur. Cujus autem & familia legitima, & corpus integrum judicatur, is, albas continuò veſtes induens, abit, & cum fratribus ſuis, ejuſdem familiæ. Sacerdotibus, miniſtrat. Qui legitimâ familiâ ortus judicatur, corporis tamen vitio notatus, is in conclavi lignorum ſedet, lignáque omnia verminoſa, ne ad aram ferantur, à reliquis ſeparat. Sacris tamen cum paterna ſuâ familia veſcitur. Quippe de quo illud dictum eſt. Panem Dei ſui, tum de ſacris ſacerrimis, tum de ſacris comedet* (*i*).

(*g*) *Exr.* 2. 61, 62, 63.

(*h*) Maimon. *in Biath Hamikdaſch, c.* 6. *vide etiam Miſnam in Middoth, c.* 5

(*i*) *Lev.* 21. 22.

Quinetiam ne in Sacerdotium labes ulla inveheretur, magna in conjugio Sacerdotum cautio ſemper adhibenda fuit. Pontifex enim ne viduam quidem uxorem ducere ritè potuit; (*k*) ſed neque gregarii Sacerdotes זונה גרושה וחללה *meretricem,*

(*k*) *Lev.* 21. 14

(l) *Ibid. v. 7.* *cem, repudiatam, aut profanam.* (*l*) Quibus addunt Judæorum Magistri à viri defuncti fratre recusatam; ut quam æquè dedecoratam ac mulierem repudiatam judicant. His etiam adde, quod *Ezechiel* (*m*) in viso divinitùs objecto monet, vel à gregario Sacerdote nullam, nisi Sacerdotis, viduam deinceps in matrimonium ducendam. Jam זונה à Judæis plerisque dicitur Israelitis quæque à viro quovis vitiata, cui nubere ritè non potuit, itémque omnis mulier extranea. (*n*) חללה Verò, hoc est, *profana* dici solet, quam vel Sacerdos maximus ex viduâ, vel gregarius ex meretrice aut repudiatâ genuit. (*o*) Alii autem, paulò simpliciùs, vocem זונה in *meretrice* ponunt, חללה in muliere *suspectæ pudicitiæ*. Qualis quidem serva quæque fuit, item Captiva, Caupona, & Stabularia (*p*).

(m) *Ezek. 44. 22*

(n) *v. Maim. in Isure Bia, c. 18.*

(o) *Idem in eodem tractatu, c. 19. & R. Solomon ad Lev. 21.*

(p) *Joseph. Antiq. lib. 3. c. 10.*

Quòd si fortè Sacerdos ullus conjugio illegitimo nexus uxorem repudiare recusaret, istius ea pœna fuit, ut sacro ministerio moveretur. Quò refer illa *Mosis* Ægyptii. (*q*) נהן שהיה נושא נשים בעבירה אינו עובד עד שירוהו בית דין על דעת רבים כדי שלא יהיה הפרה שלא יוסיף לחטוא ועובד וירד וטגרש *i. e. Sacerdos conjugio illegitimo nexus non ministrat, donec voto ex aliorum sententiâ delato (cujus obligatio dissolvi nequit) coram Senatu fidem dedit se in peccato non perstiturum. Tunc verò ministrat, domum abit, & uxorem quamque illegitimam repudiat.*

(q) *In Biath Hamikdasch c. 6.*

3. Jam corporis quovis vitio notatus ne Sacerdotio fungeretur, explicatè in sacris literis cautum est. (*r*) *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus: Si cæcus fuerit, si claudus, si parvo*

(r) *Lev. 21. 17. &c.*

*parvo, vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi jugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel hernioſus.* Pro vitiis autem in Sacerdotio apud Judæos haberi ſolent non hæc ſolummodò, quæ hâc in lege enumerantur, ſed & alia omnia his ſimilia, qualia *Maimonides* centum & quadraginta numerat (*s*). Quæ verò in lege exponuntur reliquorum exempla fuiſſe ſtatuunt, quemadmodùm idem Autor docuit (*t*), ולא המומים הכתובים בתורה בלבד הן שפוסלין בכהנים אלא כל המומים הנראין בגוף שנאמר כל אשר בו מום מכל המקום ואלו הכתובים בתורה רובמה *i. e. Sacerdotes vitiant non tantùm maculæ in lege ſcriptæ, ſed & aliæ quæcunque in corpore apparent. Quippe dictum eſt* (*u*) omnis qui habuerit maculam, *quocunque in loco. Maculæ autem in lege expoſitæ pro reliquarum exemplis proponuntur.*

(*s*) Maimon. *in Biath Hamikdaſch, c.8.*

(*t*) Maimon. *in eodem tract. c.6.*

(*u*) *Lev.21.22.*

4. Sed & illi ab aris arcendi erant, quibus non detractum erat præputium. Præputii utique, ac generis extranei eadem habita fuit ratio. Ad genus autem extraneum pertinet, quod Deus apud *Ezekielem* (*x*) monet. *Incircumciſus corde, & incircumciſus carne non ingredietur in Sanctuarium meum.*

(*x*) *Ezek.44.9.*

5. Quinetiàm aris prohibebantur rituali immunditiâ polluti. Cùm enim Sacerdotibus eis, qui corporis vitio notati erant, ſacris quidem veſci liceret, iis autem operari nefas eſſet; immundis ſanè, quibus non licuit ſacra edere, (*y*) facere multo minùs licuit. Immunditiæ autem, ut docet *Maimonides*, (*z*) undecim omninò fontes erant. *Immunditia reptilium, immunditia morticini, immunditia cadaveris humani, immunditia ex ſemine ejecto orta,*

(*y*) *Lev. 22.4.*

(*z*) *In Præf. ad Mikvaoth in Miſna.*

*immunditia aquæ piacularis, immunditia victimarum piacularium, immunditia viri fluxione affecti, immunditia fœminæ fluxione laborantis, immunditia fœminæ menſtruatæ, immunditia puerperæ, & immunditia lepræ.* In quibus omnibus nihil fuit, cujus tanta erat immunditia, quanta erat cadaveris humani; quippe quod non eos tantùm, qui id tangebant, ſed & tectum, (*a*) in quo erat, ſubeuntes, ita continuò polluebat, ut hi etiam omnia, quæ tangebant, immunda rederent. (*b*) Atque hâc de cauſâ lege cautum, ne Sacerdos maximus vel in parentibus funeſtaretur. (*c*) Ne, niſi in parentibus, aut liberis, in fratribus, aut ſororibus ſuis, quæ virgines illibatæ erant, ſe funeſtarent Sacerdotes reliqui; (*d*) quibus etiam, quoties in luctu erant, nè ritibus externis uterentur, ne capita raderent, ne barbas tonderent, ne corpora ſua notis compungerent, ſacroſanctâ lege præceptum fuit (*e*).

(*a*) *Num.* 19. 14.

(*b*) *Num.* 19. 22.

(*c*) *Liv.* 21. 11.

(*d*) *v.* 2, 3.

(*e*) *v.* 5.

Ac quidem apud profanas gentes tanta labes, & immunditia cadaveris humani cenſebatur, quanta quemque funere inquinatum ab aris, ſacríſque amovebat. Ita ſcilicet *Servius* ad *Æneid.* 11. *Conſuetudo*, inquit, *Romana fuit, ut polluti funere minimè ſacrificarent.* Et ad *Æneid.* 3. *Moris Romani fuerat ramum cupreſſi ante domum funeſtam poni, ne quiſquam Pontifex per ignorantiam polluëretur ingreſſus.* Quo ſpectant etiam *Porphyrii* illa (*f*), οἱ τ' τῆδε ἱερεῖς καὶ ἱεροσκοποι καὶ τάφων ἀπέχεσθαι κελεύσιν ἑαυτοῖς τε καὶ τοῖς ἄλλοις. Dæmonum *Sacerdotes, & Aruſpices tum ſibi, tum aliis præcipiunt, ut à ſepulchris abſtineant.*

(*f*) *De Abſtin. lib.* 2. §. 50.

6. Sed

6. Sed & perperàm quoque miniſtrabat, qui eodem die, quo ad munditiam lotus erat, manus ad ſacra admovebat. Ut cui, licet aquis luſtrato, ad munditiam ſibi perficiendam expectandus eſſet ſolis occaſus (*g*). (*g*) *Lev.22.6,7*

7. Neque verò ritè rem divinam Sacerdos quiſquam faciebat, qui expiatione indigebat. Expiatione autem indigere dicti ſunt, qui quidem tempus integrum tranſegerant immunditiæ ſuæ conſtitutum, ſed ea nondùm ſacra fecerant, quibus ad munditiam luſtrandi erant. Quâ de re *Moſem Æ*gyptium audi. (*h*) ארבעה הן נקראין מחוסרי כפרה (*h*) *In Mechuſ-ſere cappara, c.1.*
הוברה והיולדת והזב והמצורע ולמה נקראין מחסרי
כפרה שכל אחד מהן אף על פי שטהר מטומאתו
וטבל והעריב שמשו עריין הוא חסר ולא נמרה
טהרתו כדי לאכול קדשים עד שיביא קרבנו
*i. e. Quatuor hominum genera expiatione indigere dicuntur. Fœmina fluxione laborans, puerpera, Vir fluxione affectus, & leproſus. Qui autem fit, ut horum quiſque expiatione indigere dicatur? Quia eſt, quo talis quiſque indiget, licèt immunditiâ purgatus fuerit, licèt aquâ lotus, licèt Sol occiderit;* neque enim adeò *mundus eſt, ut ſacris ritè veſci poſſit, donec victimam ſibi imperatam dederit.*

8. Sed neque eis, qui in luctu erant, rei Divinæ operari datum. Cùm enim vitioſis Sacerdotibus veſci quidem ſacris liceret, (*i*) eis autem operari nefas eſſet; (*k*) Lugentibus, (inquit (*l*). *Moſes* Ægyptius) quibus non licuit ſacris veſci, (*m*) eis operari minùs licuit. In luctu autem Sacerdos eſſe cenſebatur, quando quis è propinquis ejus, in quo funeſtari ritè potuit, mortem obierat. Tempúſque luctui Sacerdotis (ut Judæis viſum) lege datum una tan-

(*i*) *Lev.* 21.22.
(*k*) *Lev.*21.21.
(*l*) *In Biath Hamikdaſch, c.2*
(*m*) *Lev.*10.19. *Deut.*26.14. *Hoſ.*9.4.

tantùm illa dies erat, quâ talis aliquis è propinquis ejus, qualem jam diximus, mortem obibat. Neque eò minùs ita Senatui magno viſum, ut totum temporis intervallum, quod inter propinqui defuncti mortem funúſque ejus intervenit, Sacerdotis luctui adderetur, totáque etiam dies funebris (*n*).

(*n*) *v.* Maimon. *in Biath Hamikdaſch, c.* 2.

9. Quinetiam Sacerdoti cuique, rem divinam mox facturo, vino ac temeto abſtinendum erat. Ita Deus *Aaroni* edicit; (*o*) *Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis, tu, & filii tui, quando intratis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras. Et ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum.* Quam ſatis explicatam legem Judæi miris modis implicant; utpote de quâ ita diſſerunt. (*p*)

(*o*) *Lev.* 10. 9.

(*p*) *v.* Maimon. *in Biath Hamikdaſch, c.* 1.

כל כהן הכשר לעבודה אם שתה יין אסור לו להכנס מן המובח ולפנים ואם נכנס ועבר עבודתו פסולה וחייב מיתה בידי שמים שנאמר ולא תמותו והוא ששתה רביעית יין חי בבת אחת מיין שעפרו עליו ארבעים יום אבל אם שתה פחות מרביעית יין או ששתה רביעית והפסיק בה או סוגה במים או ששתה יין מנתו בתוך ארבעים יום אפילו יתר מרביעית פטור ואינו מחלל עבודה שתה יתר מרביעית מן היין אע"פ שהיה מזוג ואע"פ שהפסיק ושתה מעט מעט חייב מיתה ופיסל העבודה

*i. e. Sacerdoti ad miniſterium apto à vino modò antè potato ultra aram penetrare interdictum eſt. Si ultra penetret, & miniſtret, irritum eſt miniſterium ejus, iſque ipſe morti addictus per Dei manus infligendæ. Quippe quia,* ne moriamini, *dictum eſt. Verum hoc de eo intelligendum, qui quadrantem* (logi) *vini vividi, cui dies quadraginta*

*draginta acceſſerunt, ſine ullo temporis intervallo inter bibendum interjecto biberit. Quod ſi vel quadrante minus, vel quidem ſi quadrantem biberit, ſed vel temporis aliquod intervallum inter bibendum interpoſuerit, vel vino immiſcuerit aquam, vel denique ſi vinum è torculari intra quadrageſimum diem biberit, tum licèt plus quadrante epotaverit, culpæ expers eſt, nec miniſterium profanat. Sin fortè vini* vetuſtioris *plus quadrante epotaverit, tum, licèt aquam ei immiſcuerit, licétque temporis intervalla inter bibendum interpoſuerit, morti tamen addictus eſt, atque etiam miniſterium polluit.* Quod ſiquis aliâ ullâ re, præterquàm vino, inebriatus, manus ad ſacra admoveret; de eo Judæi ita judicant, ut nec miniſterium ejus irritum, nec ipſum quidem morti obnoxium, ſed verberandum fuiſſe doceant (*q*). (q) Maim. *ibid.*

Sacerdotibus autem ſacra facturis (ut miſſas faciam has argutias) idcircò vino, temetóque abſtinendum erat, ut & conſtaret rationis uſus, (*r*) & abeſſent libidinis incitamenta. Quæ eædem etiam fuere cauſæ, quare Ægyptii Sacerdotes vino parciſſimè uterentur. Atq; huc ſpectant *Porphyrii* illa, (*s*) (r) *Lev.* 10. 10.

Οὔτε γὰρ οἰνῷ ἅπαντες, οἱ δὲ ὀλίγῳ ἐχρῶντο, νεύρων αἰτιώμενοι βλάβας, καὶ πλήρωσιν κεφαλῆς, ἐμπόδιον εἰς ἔρωτα, ἀφροδισίων τε ἔφασαν αὐτὸν ὀρέξεις ὑποφέρειν. (s) *De Abſtinen. lib.* 2. §. 6.

*i. e. Vinum enim alii non omninò, alii parciſſimè deguſtabant. Cauſam interponentes, quòd nervos læderet, caput gravaret, inventionem impediret; cauſabantur etiam, quòd libidines venereas excitaret.*

10. Sed

10. Sed & illud etiam Sacerdoti cuique cavendum erat, ut nunquam rem Divinam faceret nisi vestibus sibi propriis indutus. Erant enim, ut suprà diximus, utrique Sacerdotii gradui vestes propriæ constitutæ; ut qui eis non indutus manus ad sacra admoveret, huic mors denunciata esset. (t) Atque huc refer *Maimonidis* illa de Sacerdotibus differentis. (u) בזמן שבגדיהם עליהן כהונתם עליהן אין בגדיהם עליהן אין כהונתם עליהן אלא הרי כורים ונאמר והזר הקרב יומת *i. e. Vestibus sibi propriis induti, Sacerdotio quoque induebantur, vestibus autem suis exuti, exuebantur Sacerdotio, & quidem pro extraneis habiti. Extraneus autem, ut dictum est,* (x) *qui ad ministrandum accesserit, morietur.*

(t) *Exod.* 28. 40, 41, 42, 43.
(u) *In Chele Hamikdasch, c.* 10.
(x) *Num.* 3. 10.

11. Neque verò minùs cavendum erat Sacerdotibus rem divinam facturis, ne plures fortè vestes induerent, quàm quæ sibi statutæ erant, (y) cùm enim certus vestium numerus Sacerdotio constitutus esset, Sacerdoti cuique tenendus erat numerus à Deo imperatus.

(y) Maimon. *in Chele Hamikdasch, c.* 10.

12. Adde quòd perperàm ministrare Sacerdotes illi censerentur, quibus vestes suæ laceratæ erant. Enimverò vestes lacerare lugentium consuetudo fuit. (z) Quo factum (utì Judæis placet) ut quibus vestes laceratæ erant, eis, æquè ac his qui in luctu erant, ministerio sacro interdictum esset.

(z) *Lev.* 10. 6.

13. His annumeratur פרוע ראש quâ locutione Christiani *eum, cui caput adapertum*, Judæi *eum, cui coma promissa erat*, intelligunt. (a) Comam autem promittere censebatur, qui quidem ad *Naziræi* morem, triginta dies eam alebat. (b) Id quod Pontifici (cujus erat quotidiè in Sanctuario ad-

(a) *v. Rabbinos ad Lev.* 10. 6. & *Lev.* 21. 10.
(b) Maimon. *in Biath Hamikdasch, c.* 1.

adeſſe) nunquam non illicitum erat. (*c*) Sacerdotibus reliquis ſemper licitum, niſi quando eis in Sanctuario miniſterii vices obeundæ erant. Sicut autem Pontifici comam alere, ita reliquis omnibus Sacerdotibus caput radere interdictum. (*d*) Quod contrà ferè fieri ſolebat inter gentium profanarum Sacerdotes. Ita *Minutius Felix* in *Octavio*, *Iſis perditum filium cum Cynocephalo & Calvus Sacerdotibus luget, plangit, inquirit.* Ita etiam *Lampridius* de *Commodo*, *Sacra Iſidis coluit, ut & caput deraderet, & Anubin portaret.* Ita denique *Herodotus* in *Euterpe*, οἱ ἱερεῖς τ̃ Θεῶν τῇ μὲν ἄλλῃ κομέυσι, ἐν Αἰγύπτῳ δὲ ξύρευνται. *i. e. Sacerdotes Deorum alibi quidem comam alunt, in Ægypto autem raduntur.* (*e*) Quorum neutrum Hebræorum Pontifici licuit.

(*c*) *Liv.* 21. 10.

(*d*) *Ezek.* 44. 20.

(*e*) *v. etiam* Plutarch. *de* Iſide, *&* Oſiride.

14. Neque Sacris ritè operari potuit, cui manus, pedéſve illoti erant. Monentur enim Sacerdotes, ut rem divinam aggredientes manus ac pedes aquâ lavent. Secùs facientibus denunciatur mors. (*f*) Ita etiam & apud alias Gentes mos erat ante ſacra lavare. Unde *Hectoris* illud apud *Homerum*, *Iliad.* 2.

(*f*) *Exod.* 30. 20, 21.

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισιν Διὶ λείβειν αἰθοπα οἶνον
Αἴζομαι———

*i. e. Manibus verò illotis Jovi libare nigrum vinum vereor.* Adde illud *Heſiodi in operibus & diebus.*

Μηδέ ποτ' ἐξ ἠῶθεν μὴ λείβειν ἄκρητα οἶνον
Χερσὶν ἀλίτροισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.

*Neque unquam manè Jovi libato nigrum vinum*
*Manibus illotis, neque aliis immortalibus.*

Quò etiam quidam *Plauti* illud in *Rudente* referunt.

——*Siqui sacrificant, semper petant*
*Aquam hinc.*——

15. Sed & sacra temerare censebatur, qui eis *Sedens* operam dabat; ut qui minus reverentiæ Deo immortali adhiberet, quàm quæ à mortalium famulis patrifamiliâs adhiberi soleat. Atque hinc illud *Mosis* Ægyptii (*g*), אין עבודה אלא מעומד שנאמר לעמוד לשרת וכל העובד וחוא יושב חלל ועבודתו פסולה *i. e. Nullum est nisi Stantis ministerium. Propterea quòd dictum sit*, (*h*) ut stent ad ministrandum. *Quisquis itaque Sedens ministrat, profanus est, irritúmque est ministerium ejus.* Quod idem docet R. *Solomon Jarchi* ad *Deut.* 18. 5. Neque verò Sacerdotes tantùm, sed & alii omnes in Sanctuario sacra stantes peragebant. Ex quo etiam *Maimonidis* illud (*i*), אין מתפלל אלא מעומד *Nemo ritè nisi stans orat.* Atque ita fit, ut à Judæis אנשי מעמד *viri stationarii appellentur*, qui totius cœtûs personâ induti sacris publicis interfuere, eorúmque ut opera sacris data ab iisdem מעמד *statio* dici soleat.

(*g*) Maimon. *in Eiath Hamikdasch, c.* 5.

(*h*) *Deut.* 18. 5. *v. etiam* S. Chrysostomum *ad Hebr.* 10. 11.

(*i*) *Tephilla ubirchath Cohanim, c.* 5.

16. Vitiosum quoque judicatum erat Sacerdotis cujusque

cujuſque miniſterium, cui inter pedes & atrii ſolum medium quid interpoſitum erat. Ita enim qui miniſtrabat, perinde facere cenſebatur, ac ſi calceatus miniſtraret. Calceatis autem ne quidem ingredi in ſanctuarium, nedùm miniſtrare licuiſſe Judæi omnes ex eo colligunt, quòd *Moſes* (*k*) & *Joſhua*, quando locis ſacris verſabantur, calceos exuere juſſi eſſent. Hunc morem imitatus eſt *Pythagoras*: cujus apud *Iamblychum* tertium illud *Symbolum* eſt, Ἀνυπόδητος θύε, καὶ προσκύνει, *i.e. ſine calceis ſacrificato, & adorato.* Id quod eò pertinebat, ut quiſque Deum reverenter coleret.

(*k*) *Exod.* 3.5. *Joſh.* 5.15.

17. Perperàm quoque ſacra tractare cenſebatur, cui inter manus & vas ſacrum medium quid interpoſitum erat. Lotis nimirùm manibus pedibúſque facienda erat res divina. Jam fruſtrà omninò manus lotæ, niſi nudæ etiam ſacris admotæ.

18. Sed & labem denique, ut Judæis viſum, ſacris afferebat, qui ſiniſtrâ pro dextrâ utebatur. Dextra ſcilicet *Aaronis* (*l*) dextræ etiam filiorum ejus (*m*) Sacerdotium mox aditurorum ſacrificali ſanguine ſacratæ. Sed & dextræ quoque auſpicatior viſa eſt, ideóque potior in ſacris opera.

(*l*) *Lev.* 8.23. (*m*) *v.*24.

III. Verùm hâc de re, ut ſibi libet, quiſque judicet. Illud conſtat, alios quidem eorum rituum, qui Gentium aliarum Sacerdotibus in uſu erant, Sacerdotibus Hebræis imperatos, alios planè illicitos fuiſſe; eóque Deum his in rebus delectu uſum, qui Sacris & Sacerdotibus ſuis (nequid amplius hoc in loco dicam) præcipuum quendam honorem adderet. Sed hæc hactenùs; nunc ad Levitas tranſeamus, qui Sacerdotibus Hebræorum pro adminiſtris dati erant.

CAP. VII.

# De Levitis.

1. IN Sacerdotum administris, qui ex patre, à quo ortum ducebant, Levitæ appellari solent, ista præcipue consideranda. Consecratio, Munus, & Ætas ea, quâ munus illud adeundum erat.

Consecratio ab aquis lustralibus cœpit, quibus ritu sacro conspersi erant, (*n*) ut munus sacrum mundiores accederent. Qui idem erat eos etiam purgandi mos, qui funere contaminati erant. (*o*) Eis autem aquis lignum cedrinum, coccum iteratum, hyssopus, vaccæque rufæ cineres immiscebantur. Earumque ea vis erat, ut eædem & funestatos mundare (*p*), & mundos quoque polluere (*q*) solerent. Alterum, quia vacca rufa, cujus cineres eis immisti erant, victima piacularis erat populi lustrandi causâ cæsa: (*r*) alterum; fortè quia tales victimæ, quales extra castra cremabantur (quasi sontium peccatis in se translatis contaminatæ) reciprocâ quâdam immunditiâ tangentes quosque inquinabant. (*s*) In eo enim victimarum genere rufa, quam diximus, vacca fuit. (*t*) Ut quæ & extra castra cremaretur, & cremantes quoque contaminaret.

Levitæ autem aquis lustralibus jam conspersi, mox, ad majorem munditiæ speciem, corpora novaculâ radere jubentur. (*u*) Quo de ritu ita differit R. *Le-*

(*n*) *Num.*8.7.

(*o*) *Num.*19.13.

(*p*) *Num.*19. 17,18,19.

(*q*) *Num.*19,21

(*r*) *v. Abrab.ad Num.*19.

(*s*) *Lev.*16.27, 28.

(*t*) *Num.* 19.3.

(*u*) *Num.* 8.7.

*vi*

*vi Ben Gerſon* (*x*), צוה אותם לגלח את כל שערם (*x*) ad Num. 18.
נאלו יעידם וה שיעזבו את הדברים החמריים
כפי היכלת וישתדלו בעבודת ה' יתב׳ *i. e. Deus his præcepit, ut omnes planè pilos abraderent, id monitos volens, ut, abjectâ quantum fieri potuit, rerum corporearum curâ, ſe totos ſacro miniſterio darent.* Quinetiam, ne immundo amictu mundata corpora polluerentur, veſtes etiam aquâ perluere jubentur (*y*). (*y*) Num. 8.7.

Atque his ritibus emundati, populíque ſibi manibus impoſitis (quod deinceps (*z*) factum) conſecrati, quaſi viventes quædam hoſtiæ Deo ab *Aarone* porriguntur. (*a*) Quos ita ſibi primogenitorum loco datos Deus continuò Sacerdotibus, ut ſacra quædam ſervitia, tradit. (*b*) Deerat adhuc ad peccatorum expiationem, præſertim munus ſacrum adituris, piaculare ſacrificium. Bove itaque ſacrum expiatorium faciunt. (*c*) Quo facto, quod unum reliquum erat, bovem alterum, holocauſti nomine, (*d*) eumque quidem ferto mactum (*e*) Domino ſuo ut donum offerunt. Eóque illi dono dato in familiam ejus adſciſcuntur. (*z*) Num. 8.10. (*a*) Num. 8.11. (*b*) Num. 8.18, 19. (*c*) Num. 8.12. (*d*) Ibid. (*e*) Num. 8.8.

II. Jam his cærimoniis initiati continuò munus ſuum adeunt; Quod aliud, atque aliud erat pro variâ temporum ratione. Enimverò priuſquàm Arca ſacra certam nacta eſſet ſedem, id negotii Levitis datum, ut cuſtodirent Tentorium ſacrum, ut, quoties loco movendum erat, omnia ad illud pertinentia vel ſuis ipſi humeris portarent, vel plauſtris ſibi datis impoſita, quò oportuit, circumvehenda curarent. Nam Arca ſacra, panum *appoſititiorum* menſa, ara utraque, & candelabrum, & quidem omnia vaſa ſacra à Cahathenſibus bajulanda erant. (*f*) Aulæa autem, & tegumenta (*f*) Num. 7.9.

Ten-

Tentorii ſacri, quibus Gerſhonenſes præfecti erant, item aſſeres ejus, columnæ, & baſes, reliquáque omnia ejuſdem generis, quorum cura Merarenſibus commiſſa erat, plauſtris circumvehenda erant. Atque ita factum, ut his Familiis (Gerſhonenſem dico, & Merarenſem) plauſtra darentur, & ju-
(g) *Num.* 7.7,8. menta (*g*); quæ Cohathenſibus non data e-
(h) *Ibid. v.* 9. rant (*h*).

Utprimùm autem Arcæ ſacræ ſedes non mutanda contigit, nullus his laboribus Levitarum locus
(i) 1 *Par.* 23.26 deinceps relinquebatur. Quo factum erat (*i*) ut à *Davide* (qui Arcam ſacram in Ieroſolyma, fixâ utique ſede collocavit) Levitarum alii negotiis civilibus præfecti eſſent, apparitores, judicéſve facti,
(k) *v.* 4. (*k*) alii Sanctuarii portis præpoſiti, (*l*) alii muſicis
(l) *v.* 5. inſtrumentis, cantúque ſacra celebrare juſſi, (*m*)
(m) *Ibid.* alii denique Sacerdotibus, omnibus in rebus, mi-
(n) 1 *Par.* 23.28 niſtrare, quæ ad Sanctuarium pertinebant. (*n*) Hi panem menſæ ſacræ impoſitum, hi ſimilam, & ferta procurabant. (*o*) Hi, ſi quando opus erat,
(o) *v.* 29. (quod feriis majoribus accidebat) victimas mactabant, (*p*) mactatis pelles detrahebant, (*q*) aliá-
(p) 2 *Par.* 35. 6, 11. que officia exequebantur pro re natâ impera-
(q) 2 *Par.* 29.34 ta (*r*).
(r) *vid. v.* 16.

III. Cæterùm ſtante Tentorio ſacro Levitæ ad varia officii munera ætate variâ vocabantur, nempe ad cuſtodiam Tabernaculi ab anno vigeſimo quinto exacto; at verò ad onera bajulanda, vel quidem plauſtris imponenda nec annos triginta nondùm nati, nec ultra quinquageſimum provecti. Ita in conſenſum rediguntur duæ ſpecie contrariæ leges, quarum altera à trigeſimo anno, (*s*) altera à
(s) *Num.* 4.3. vigeſimo quinto (*t*) Levitas ad miniſterium vocat.
(t) *Num.* 8.24. Enimverò illa graviores illos, quos jam dixi, labores

bores ſpectat, hæc Tentorii ſacri curam. Alia itaque atque alia munera alias Miniſtrorum Vires, aliam ætatem poſtulabant. Non mihi latet alios eſſe, qui nodum illum aliter expeditum eunt. Ut qui Levitas ab anno quidem vigeſimo quinto ad miniſterii diſciplinam vocatos, ſed non ad miniſterium ipſum ante trigeſimum exactum judicent. (*u*) Verùm id, ut *Abrabeneli* viſum, (*x*) parùm convenit cum ſacris literis, quippe quæ Levitis annos viginti quinque natis עבורה explicatè tribuunt. Quæ ſanè vox, ut illi placet, non miniſterii *diſciplinam*, ſed *miniſterium* ipſum notat. Nec dubium quidem, quin ante annum vigeſimum quintum ad miniſterium inſtitui cœperint.

(*u*) Maimon. *in Chele Hamikdaſch*, c.3.
(*x*) *ad Num.* 8. v.24.

Verùm hæc de Levitis intelligenda à *Davide* nondùm recenſitis. *Davidi* enim, jam ſeni, placuit, ut ad miniſterium vocarentur, qui annos viginti nati erant. (*y*) Atque eâ qui ætate erant, & ſanctuarii miniſterio dati (nihil enim hìc de eis dico, qui rebus civilibus præficiebantur) tres in ordines, ut antè diximus, diviſi erant, ordóque quiſque in viginti quatuor claſſes tributus. Eorum ordinum unus Sacerdotibus miniſtrare, alter ſanctuarii portas cuſtodire, tertius denique modis muſicis ſacra publica celebrare juſſus eſt. Ita tamen, utì Judæis placet, ut quiſque annis quinquaginta major (ne Dei ſacra dedecorarent parùm jucundi ſenum cantus) ſuggeſto muſico moveretur. Huc ſpectant *Abrabenelis* illa (*z*), בלויים שנים פוסלין ואין מומים פוסלים אבל בכהנים מומים פוסלים ואין שנים פוסלין בהם *i. e. Levitas vitiat ætas, non vitiant corporis maculæ. Sacerdotes vitiant corporis maculæ, ætas autem non vitiat.* Quamvis enim Sacerdotum filii annos viginti nondum

(*y*) 1 *Par.* 23.27
(*z*) *ad Num.* 8.

dum nati rem ſacram facere non ſolerent, nihil tamen, ut idem Autor docuit, obſtabat ulla Dei Lex, quò minùs facere potuiſſent. Quænam ergo ætas per Dei legem ad Sacerdotium fungendum legitima? eadem, inquit idem *Abrabenel*, cui leges Divinæ obſervandæ (*a*), הכהן שהיה חייב במצוות היה כשר לעבודה אבל אחיו הכהנים לא היו מניחין אותו לעבוד עד היותו בן עשרים שנה *i. e. Sacerdos, ſimul atque eâ ætate ſit, ut Legis juſſa obſervare obligetur, revera aptus eſt ad miniſterium. Sed Fratres ejus Sacerdotes eum miniſtrare non permittunt, donec viginti annos habeat.*

(*a*) *Abrab. ibid.*

IV. Jam ut Levitæ Sacerdotibus, ita Levitis *Nethinæi*, ſed conditione pejori, dati. Hi natione Gibeonitæ erant. Quos *Joſhua*, ob fœdus cum eis ictum, funditùs quidem delere noluit, ob dolum autem ad fœdus impetrandum adhibitum Sanctuarii Lixas eſſe juſſit, Lignatores utique, & Aquatores (*b*).

(*b*) *Joſh.* 9. 27.

DE

# DE

# Sacrificiis Judæorum.

## CAP. VIII.

*Quid, & quotuplex sit Sacrificium, ad Hebræorum sensum docetur. De fertis eorum speciatim agitur.*

I. HActenùs de Sacris locis dictum, itémque de sacrorum Ministris populo Hebræo constitutis. Quibus explicatis, ad ejusdem populi sacrificia paulò expeditiùs aggrediemur. Jam quia Judæi nulla sacra pro sacrificiis habent propriè dictis nisi talia, qualia Scriptores sacri קרבנות sive προσφορὰς, alii *oblationes* vocant, primò videamus oportet, quid sit, quod קרבן in sacris literis dici solet. Ac quidem קרבן ibi dicitur, quod Deo pro arâ offerebatur. Nec quid præterea eo nomine appellatur, nisi ligna ad sacra adolenda data, (c) quæ & ipsa ita dicta arbitror, quia aræ destinata erant. Pro arâ autem oblata fuisse ea omnia sacra intelligi debent, quæ ad Tentorii sacri ostium afferebantur. Eo quippe in loco (quo utique Deus sacra sibi offerri (d) voluit) ara illa major posita fuit, (e) quæ, Templo condito, in Sacerdotum atrium translata erat. Ut quod ad ostium Tentorii sacri, idem id pro arâ offerretur.

(c) *Neh.* 10.34. & 13. 31.

(d) *Lev.* 17.4,5.
(e) *Exod.* 40.6, 29. & *Lev.* 17. 6. & *passim.*

Eorum autem, quæ Deo pro arâ offerebantur, alia dimissa & ablegata, ut hircus in deserta du-

ctus, alia ſanctuarii miniſterio illæſa & integra dedicata, alia confecta & conſumpta erant. Ac Sanctuarii miniſterio integra dedicata erant cùm vaſa miniſterii ſacri, tum ſacrorum miniſtri Levitæ dicti. Levitæ ſcilicet ab *Aarone* pro Tabernaculi ſacri oſtio & Deo ritè offerebantur, (*f*) & קרבן, hoc eſt, *Oblatio* dicti ſunt, (*g*) nec tamen, utì victimæ, mactati, ſed integri muneri ſacro dati. Sed & vaſa illa miniſterii ſacri (lances, phialæ, & ſcutellæ) quæ ad aram ritè dedicandam tribuum principes conferebant, cùm Deo pro ara obmovebantur, (*h*) (unde etiam קרבנותם *oblationes* (*i*) vocantur) tum ad ſanctuarii miniſterium integra deinceps ſervabantur. Quo factum eſt, ut nec Levitæ, neque miniſterii ſacri vaſa, etiamſi Deo offerrentur, ſacrificiis accenſeri ſoleant. Quod idem quoque ſtatuendum de hirco iſto, qui Deo ante aram oblatus in deſerta vivus abducebatur.

(*f*) *Num.* 8. 10, 11.

(*g*) *Num.* 8. 11, 13.

(*h*) *Num.* 7. 10.

(*i*) *Ibid. & per totum caput.*

II. Jam verò quæ Deo ante aram, vel in menſâ ſacrâ in adyto exteriori poſita, ita quidem offerebantur, ut ritè conſumenda eſſent, ea Judæi in ſacrificiorum cenſum referunt. Quæ cùm ita ſint, ſacrificium, ad eorum ſententiam, ita definiri poteſt, ut ſit προσφορὰ ritè conſumpta. Seu, ut paulò explicatiùs dicam, ſacrificium, apud populum Hebræum, ejuſmodi ſacrum erat, quod cùm Deo oblatum erat, tum ritè confectum & conſumptum. Sacra autem ritè conſumpta erant, quæ ritu divinitùs inſtituto interempta, cremata, aut effuſa, aut ad epulas ſacras adhibita erant. Quibus de ritibus, ac religionibus latiùs alibi diſſerendum.

Verùm

Verùm hæc jam posita definitio ea tantùm continet sacrificia, quæ à Judæis (ut antè diximus) in sacrificiis censeri solent, & qualia in sacris literis קרבנות *i. e. oblationes* dicta sunt. Id quod eâ de causâ moneo, quia alia quædam sacrorum genera in sacra Scriptura commemorantur, quæ, quia Deo pro arâ ejus neutiquàm obmovenda erant, *oblationes* nusquam appellantur, & tamen sacra piacularia rectè, ut opinor, dici possunt. Hoc in genere censeri debet avis ad leprosum purgandum confecta. (*k*) Item vacca illa, quæ ad expiandum homicidium, homicidâ ipso ignorato, capite suo truncanda erat. (*l*) Ut quæ, etiamsi in sacris literis *oblatio* nusquam appellatur, verè tamen piaculum esset, & sensu quodam laxiori sacrificium fortè dici possit. Præsertim cùm Sacerdotum opera vaccæ illi adhibenda esset (*m*). Neque multò aliter de vaccâ rufâ judicandum, cujus ad lustrandos funestatos cineres asservandi erant. (*n*) Quamvis enim extra Sanctuarium, imò verò extra populi castra vacca illa mactanda erat, eò magis tamen in sacrificiis censeri posse videatur, quia sanguis ejus sanctuarium versus septies aspergendus erat, (*o*) ídque Sacerdotis ipsius digito. Quo facto vaccæ istius vita Deo reddita censebatur, & quidem ei sacra facta. Jam hircus ille, qui solenni expiationis die populi peccata in se conjecta in deserta vivus asportabat, Deo quidem obmovebatur, (*p*) idémque כפר *expiare* dicitur, (*q*) & quidem piaculum dici potest, sed non propriè sacrificium. Ut qui ritu sacrificali minimè conficiendus esset, sed potiùs (quantum ex lege constat) in deserta vivus dimittendus. Nam quod Judæi hircum istum de monte quodam עזאזל vocato præci-

(*k*) *Lev.*14.
(*l*) *Deut.*21.
(*m*) *Deut.*21.5.
(*n*) *Num.*19.
(*o*) *v.*4.
(*p*) *Lev.* 16.7.
(*q*) *v.* 10.

(r) *v. Misnam in Joma, c.6.*

pitari solitum ferunt, (*r*) tantùm abest ut lege præceptum putem, ut vetitum potiùs existimaverim. Atque his ex rebus intelligi potest, quæ eorum sacrorum ratio fuerit, quæ vel sacrificia propriè dicta, vel quidem piacula quædam erant, sed minùs propriè sacrificia. Illa & Deo oblata erant, & mox confecta & consumpta. Hæc vel non oblata erant (qualia erant, quas ante diximus, vaccæ) vel non confecta & consumpta, etiamsi Deo ritè obmota; qualis erat hircus in deserta ductus.

III. Eorum autem, quæ & oblata, & ritu sacro consumpta erant, (qualia sola à Judæis pro sacrificiis haberi solent) alia erant ex inanimis, alia autem ex animantibus, omnia ferè ex eis lecta, quæ in humano victu erant. Quippe quæ sibi Deus dari voluit, ut eorum Domino ac datori, quæ ad vitam sustentandam pertinent. Quæ ex inanimis data erant in sacris literis מנחות dicta sunt, Latinè *ferta*, *dona*, & *dapes*. Lecta autem ex animantibus, si modò volatilia exceperis, à Judæis זבחים i. e. *victimæ*, aut *hostiæ* dici solent. Quod tamen nomen scriptores sacri vix ullis omninò sacrificiis, nisi tantùm salutaribus tribuunt. Sed parùm attinet de verbis laborare, modò rem ipsam teneamus. Quare nos omnia sacrificia, quæ ex animantibus lecta erant, victimas, aut hostias appellabimus, reliqua autem ferta, aut dapes.

(s) *Ea scilicet quæ* מנחות *appellantur.*

IV. Jam omnia (*s*) Judæorum ferta farinâ triticeâ, aut hordeaceâ facta erant; aliáque vino aucta erant, alia non item. Quæ vini libamine augebantur, ob vinum additum מנחות נסכים *ferta libaminum* Judæis dicta sunt, oleóque omnia subigenda erant, eadémque semper conjungenda cum aliquo victimarum genere, nunquam citra victimam danda

danda. Victimæ autem, quibuscum Deus ferta semper conjungi voluit, omnia erant totius cœtûs, (*t*) omniáque hominum singulorum (*u*) holocausta, & sacra salutaria ex grege aut armento lecta, sed nulla ex volatilibus data, nisi quando volatilia ipsa quadrupedi substituta erant, (*x*) nulla sacrificia piacularia nisi à sanato leproso data. Leprosus autem jam sanatus tres sibi imperatas victimas, unam pro peccato, alteram pro noxâ, tertiam holocausti nomine cæsam, tribus auxit decimis Ephæ similæ. (*y*) Quo fit, ut ad unamquamq; victimam unam Ephæ decimam pertinuisse Judæi magno consensu statuant. Id quod eò probabilius faciunt, quia tale erat sanati leprosi holocaustum, quali lex de hujusmodi rebus lata unam tantùm tribuit Ephæ decimam. (*z*) De vino autem leprosi purgandi ferto addendò nihil sacræ literæ speciatim monent. Vinum autem addi oportuisse Judæi ex lege generali colligunt, quæ extat *Numer.* 15. 3,4,5, *&c.* Quam legem illi sic intelligunt, ut & fertum omni holocausto ex grege aut armento lecto, atque etiam tali cuique ferto vinum addendum fuisse judicent.

(*t*) *v. Num. c.* 28, & 29.
(*u*) *v. Num.* 15. 2,3,4, *&c.*
(*x*) *v. Lev.* 14. 31.
(*y*) *Lev.* 14. 10.
(*z*) *Confer. Lev.* 14. 10. *cum Num.* 15. 4,5.

V. Non omni autem pecorum generi eadem similæ, olei, viníque portio; sed alia bubus, alia arietibus, alia capris ovibúsque fæminis, item agnis, & hædis adhibenda fuit. Ac bubus quidem tres decimæ Ephæ similaginis dimidio Hinis olei subactæ, dimidiúmque Hinis vini. Arietibus autem duæ decimæ Ephæ similaginis triente Hinis olei perfusæ, triénsque etiam Hinis vini. Ac denique capris ovibúsque fæminis, sed & agnis & hœdis maribus, fæminísque una tantùm decima Ephæ similæ quadrante Hinis olei subacta, itemque quadrans.

drans Hinis vini. (*a*) Ita tamen ut agno illi, qui eodem die offerebatur, quo *Omer*, *primitiarum* dictus, (*b*) duæ decimæ Ephæ similaginis rite adjiciendæ essent (*c*).

(*a*) *Num.* 15. & Maimon. *in Maase Korbanoth, cap.* 2.
(*b*) *Lev.* 23. 10.
(*c*) *v.* 13.

VI. Jam fertis vini libamento auctis, quæ sale semper condienda erant (*d*), non absimilis fuisse visa est gentium profanarum mola salsa. Quippe quæ & ipsa victimis addi, & vino quoque augeri solebat. Huc spectat *Virgilii* illud (*e*),

(*d*) *Lev.* 2. 13.

(*e*) *Æneid.* 2.

——*Mihi sacra parari,*
*Et salsæ fruges*——

Ubi *Servius*, *Sal*, *& far*, *quod dicitur mola salsa: quâ & frons victimæ*, *& foci aspergebantur*, *& cultri.* Quod autem Latinis mola salsa, id Græcis ὑλαὶ, ὑλόχυτα, & ὑλοχύται dictum. Erant enim ὑλαὶ, ut docet *Eustathius*, κριθαὶ μετὰ ἁλῶν μεμιγμέναι, ἃς ἐπέχεον τοῖς ἱερευομένοις ζώοις πρὸ τῆς θύεσθαι, *Hordeum sale commistum*, *quod sacratis animalibus mox mactandis aspergebant.* Sed & vinum etiam post molam salsam victimæ fronti affundi solebat, eóque ritu victima *macta*, ceu magis aucta, dicebatur. *Ovid.* 1. *Fastorum*,

*Rode caper vitem, tamen hinc, cum stabis ad aram,*
*In tua quod spargi cornua possit, erit.*

*Virgilius Æneid.* 6.

*Quatuor hic primùm nigrantes terga juvencos*
*Constituit, frontique invergit vina Sacerdos.*

Verùm

Verùm alius Hebræis ritus erat ferta vino aucta porriciendi. Apud eos enim fertum integrum in arâ majori adoleri ſolebat, vinum aræ ejuſdem crepidini affundi (*f*).

(*f*) Maimon. *in Maaſe Korbaneth, ap.* 2.

VII. Ferta nullis vini libamentis aucta vel totius Hebræorum cœtûs, vel ſingulorum hominum erant. Ac tria quidem totius cœtûs, עומר התנופה ושתי הלחם שמביאין יום עצרת ולחם פנים *i. e. Omer* primitiarum coram Deo *agitatus* (*g*). *Duo panes, quos die Pentecoſtes offerunt* (*h*). *Panéſque facierum dicti* (*i*).

(*g*) *Lev* 23. 11.
(*h*) *v.* 17.
(*i*) *Ex.* 25. 30.

In *Omero* primitiarum ſacrando moris, ut Judæi (†) docent, erat, ut tribus ex faſciculis ſegetis tria in ſanctuarii atrio hordei ſata excuterentur, ut ex ſatis illis, ventilatis, toſtis, molitíſque *Omer* unus deligeretur, qui uno olei logo ſubactus, additóque thuris pugillo auctus, primò omnes mundi plagas verſus (quaſi Deo omnium conditori) ritu ſacro porrectus erat, deinde verò partim aræ, partim Sacerdotibus datus; ante quod fertum Deo redditum far recens nemini guſtare licuit (*k*). Ex hordeo autem (quod & à *Moſe* (*l*) traditum fertur) Omerum illum delectum eſſe eò probabilius videatur, quòd, cùm in fertis nullius farris, niſi tritici, & hordei uſus eſſet, decimo ſexto die menſis *Niſan*, quo die *Omer* primitiarum Deo ritè reddendus erat (*m*), eò nondum maturuiſſet triticum, ut ſpicam haberet frumenti plenam. In omni enim Canaane, eíque vicinis regionibus hordeum in frugibus præcocibus erat, triticum verò in ſerotinis (*n*).

(†) Maimon *in Temidin umoſaphin, cap.* 7. & *Miſn. cap.* 10.
(*k*) *Lev.* 23. 14.
(*l*) Maimon. *in Temidin umoſaphin, cap.* 7.
(*m*) *Lev.* 23. 11.
(*n*) *Exod.* 9. 31, 32. *conſer etiam Ruth.* 1. 22. *cum* 2. 23.

Panes duo die Pentecoſtes oblati duas continebant Ephæ decimas, alter unam, alterq; alteram ex tritici recentis ſimilâ factam (*o*). Quod ferti genus pro arâ Deo por-

(*o*) Maimon. *in Temidin umoſaphin, cap.* 8.

porrigendum erat (*p*), sed quia fermentatum erat (*q*), in arâ minimè adolendum, sed integrum Sacerdotibus dandum. Neque enim dapes fermentatas in arâ adolere licuit. Quo factum (uti Judæi docent) ut panis ille fermentatus, qui sacris Eucharisticis adjungebatur (*r*), in arâ non adoleretur, sed Sacerdotibus, ut Dei famulis, ad epulandum donaretur.

(*p*) Maimon. *in Maasè Korban. cap.* 12.
*Lev.*2.12.
(*q*) *Ibid.*
(*r*) *Lev.*7.13.

Panes, quos *facierum* vocant, quibusdam ita dicti videntur, quòd quatuor latera, ceu facies, haberent (*s*). Sed rectiùs alii panes illos ita vocatos arbitrantur, quòd mensæ sacræ in exteriori sacrario positæ לפני יהוה *in conspectu Dei* (*t*) imponerentur. Hi Tritici simila facti erant, singuli duabus Ephæ decimis. Cúmque numero duodecim essent, mensæ auratæ serie duplici seni apponendi erant, seriésque utraque Thuris pugillo adaugenda. Thus Sabbato quoque in arâ majori adolendum erat, panes Sacerdotibus dandi, recentibus in locum veterum repositis (*u*).

(*s*) *Abraham Harophe in Schilte Hagibborim, cap.* 74.
(*t*) *Lev.*24.8.
(*u*) *Lev.* 24. 5, 6,7,8,9,*&c.*

Nec quis miretur panes hos mensæ Dei (talis enim erat mensa aurata) apponi solitos in oblationum censum referri, etiamsi non eidem aræ, cui reliqua ferta, admoverentur. Sicut enim ara mensa Dei (*x*), ita mensa Dei ara quædam erat, aræque planè vicem præstabat; Ut panes ei mensæ admoti, Deo appositi, Deo oblati censerentur. Quod ipsum & sacræ literæ notant, cùm panes illos לפני יהוה *coram Deo* apponi jubent (*y*).

(*x*) *Mal.* 1.12.
(*y*) *Ibid.*

Neque verò apud Judæos tantùm, sed etiam apud profanas gentes mensas ritè dedicatas ararum vices præstitisse legimus. *In Papyriano enim jure*, inquit *Macrobius* (*z*), *evidenter relatum est aræ vicem præstare posse mensam dicatam. Ut in Templo,*

(*z*) *Saturnal. l.*3.*c.*11.

*Templo, inquit, Junonis Populoniæ augusta mensa est. Namque in fanis alia vasorum sunt, & sacræ supellectilis, alia ornamentorum. Quæ vasorum sunt, instrumenti instar habent, quibus sacrificia conficiuntur. Ornamenta verò sunt clypei, coronæ, & ejusmodi donaria. Neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra sacrantur. At verò mensa, arulæque eodem die, quo ædes ipsæ, dedicari solent. Undè mensa hoc ritu dedicata in Templo aræ usum, & religionem obtinet pulvinaris. Ergò apud Evandrum quidem fit justa libatio; quippe apud eam mensam, quæ cum arâ maximâ, more utique religionis, fuerat dedicata, & in luco sacrato, & inter ipsa sacra, in quibus epulabantur.* Atque hactenùs de fertis totius cœtûs.

VIII. Jam ferta homïnum singulorum novem, ut Judæis visum, erant (*a*). Quorum quatuor lege jussa dicunt, quinque suâ cujusque sponte data. Eorum, quæ lege jussa dicunt, unum סנחרי חנוך i. e. *fertum initiationis* vocare solent, quippe quod Sacerdoti cuique Sacerdotium adituro imperatum dicunt; at mihi quidem nequaquàm probant. Utcunque sit, hoc ferti genus tritici similâ factum statuunt, Ephæque decimâ constitisse tribus olei logis subactâ. Idémque ut *Maimonidi* (*b*) placet, decem in collyras dividi solebat, si Sacerdotis gregarii erat, in duodecim autem, si Pontificis. Quas Collyras thuris pugillo auctas in arâ omnes rite adolendas fuisse monet.

(*a*) Maimon. *in Maasé Korban. c.* 12.

(*b*) *Cap.* 13. *ejusdem tract.*

Alterum סנחרי חביתין, *fertum patellarium* vocare solent. Cui eadem similæ, oleíque portio, quæ proximè dicto, tributa fuit, eáque, ut *Maimonidi* placet (*c*), divisa in duodecim collyras;

(*c*) *Ibid.*

quæ ita dimidiatæ erant, ut manè altera singularum pars, vesperi altera porriceretur. Quo eodem modo thuris pugillus eisdem additus dividi solebat, & adoleri. Hoc ferti genus Pontifex quisque eo die offerebat, quo sacro unguento ungebatur (*d*); & quidem, siqua Judæis fides, deinceps etiam unoquoque die, quamdiu Pontificatum gerebat. Sed neque hoc ex sacris literis satis probant.

(*d*) *Lev.* 6. 20, 21, 22.

Tertium erat מנחת חוטא *fertum fontis*; quod decimam Ephæ similæ triticeæ continebat nullo oleo, thuréve auctam. Quale fertum iis imperatum erat, qui, cùm piaculi rei essent, aliàs sanguine expiandi, nec agnam tamen, nec capellam, nec par turturum, aut columbarum, quo se purgarent, consequi poterant (*e*).

(*e*) *Lev.* 5. 1, 2, 3, 4, 5, 11, 12.

Quartum hujus generis fertum מנחת קנאות *zelotypiæ fertum* dici solet. Utpote quod vir zelotypus ad uxoris stuprum coarguendum pro eâ offerendum curabat (*f*). Hoc fertum decimâ parte Ephæ farinæ hordeaceæ factum erat, eâque, instar fontis ferti, nullo oleo, aut thure auctâ. Neque enim sacra de peccatis facta ulla decebant odoramenta, ullæve dapes delicatæ.

(*f*) *v. Num.* 5.

Fertis suâ cujusque sponte datis nunquam, uti Judæi statuunt, minus Ephâ similæ adhibendum erat; plus autem, quantum cuique visum, si modò cuique Ephæ similæ olei logus adderetur. Thuris autem una eadémque portio, pugillus utique, ut eisdem placet, vel maximis fertis sufficiebat; thúsque (quod priùs notandum erat) quibus quidem cunque fertis additum in arâ totum adolendum erat; at ferti ipsius, nisi fortè à Sacerdote dati, vel vini libamento aucti, pars saltem Sacerdoti danda.

Ve-

Verùm à Sacerdote ipso datum in arâ totum cremandum erat (*g*). (*g*) *Lev.6.23.*

Jam verò, quæ injussu legis Deo offerri solita erant ferentis voto, aut voluntate, fertorum genera quinque erant. Primum מנחת סלת *fertum similæ incoctæ* (*h*). Alterum מנחת מחבת *fertum in patellâ planâ coctum* (*i*). Tertium מנחת מרחשת *fertum in sartagine frictum* (*k*). Quorum illud crassius, ne diffluueret, hoc liquidius compositum erat (*l*). Quartum מנחת מאפה תנור *fertum in clibano, furnóve pistum* (*m*). Quæ omnia oleo perfusa erant. At Quintum, רקיקין appellatum, genus quoddam erat *placentarum*, quæ quidem oleo delibutæ, minimè verò perfusæ erant (*n*). Ita autem quatuor illa genera, quæ jam proximè descripta sunt, Judæi (*o*) fieri solita dicunt, ut unumquodque eorum generum decem in collyras divideretur. (*h*) *Lev.2.1.* (*i*) *v.6.* (*k*) *v.7.* (*l*) Maimon. *in Maase Korban. cap.13.* (*m*) *Lev.2.4.* (*n*) *Ibid.* (*o*) Maimon. *in Maase Korban. cap.13.*

IX. Atque hæc de variis Judæorum fertis. Quæ omnia, sive totius cœtûs, sive quidem hominum singulorum, præter Omerum primitiarum, fertúmque zelotypiæ dictum, farinâ triticeâ facta erant, ea autem duo hordeaceâ. Quæ farinâ triticeâ facta erant, non tantùm aræ obmovenda, sed & Deum versus elevanda, & quidem, ut Judæi docent, quaquaversûs ei porrigenda erant. Adde, quòd panibus *facierum* dictis thus, non oleum; fertis vini libamento auctis oleum, non thus; reliquis omnibus, præter Omerum primitiarum, fertúmque sontis, & zelotypiæ; & thus, & oleum; ut illis tribus nec thus, nec oleum adderetur. Huc refer & duas alias leges, quarum alterâ cautum, nequid mellis fertis ullis immisceretur (*p*), alterâ autem, nequid fermenti inderetur fertis in arâ (*p*) *Lev.2.11.*

adolendis (*q*). Prior illa, ut quibusdam visum, nimiis voluptatibus abstinendum; hæc omnem malitiam, & superbiam exuendam esse significabat (*r*). Melli autem à Judæis ficus & dactyli accensentur. Cæterùm omnibus fertis Deo libatis rite adhibendus erat sal (*s*); atque ita quidem, ut Judæis placet, adhibendus, ut libamento aræ impositò sal continuò aspergendus esset. Sali utique gratus sapor inest, & vis cibaria conservandi. Quo factum, ut fœdus diuturnum *fœdus salis* appelletur (*t*).

(*q*) *Ibid.*

(*r*) *v.* 1 *Cor.* 5.7.

(*s*) *Lev.* 2.13.

(*t*) *Num.* 18.19. 2 *Par.* 13.5.

X. Hactenùs sententia Judæorum de ejusmodi sacris explicatà, quæ מנחות appellari solent. Neque enim hi primitias illas frugum fructuúmque, quas ad ædem sacram quisque quotannis afferre jussus est, מנחות vocant. Verùm quicquid de voce מנחה statuas, primitiæ illæ ἀναφοραὶ seu ferta rectè dici posse videntur; utpote quæ & ante aram statuendæ erant (*x*), (quo ritu Deo (*y*) offerebantur) &, siqua sit Judæis fides (*z*), Deo quaquaversùm porrigendæ. Neque id Judæos movere debet, quòd nihil earum primitiarum in ara adolere liceret (*a*), siquidem panes *facierum* dicti, panésque duo Pentecoste dati (quos utique in fertorum numerum Judæi ipsi referre solent) in arâ minimè adolendi essent, sed, primitiarum ipsarum instar, integri Sacerdotibus dandi.

(*u*) *Deut.* 26.2.

(*x*) *v.* 4.

(*y*) *v. Lev.* 2.12

(*z*) *v. R. Sol. Jarchi, & Abrabenel, ad Deut.* 26.

(*a*) *Lev.* 2.12.

Cæterùm de his frugum, fructuúmque primitiis Judæi ita ferè judicant (*b*) primò è Canaane tantùm legis jussu dandas fuisse; sapientum autem decreto cautum, ut è Syriâ etiam afferrentur, terrâque Ogi, & Sihonis (*c*). Deinde varia frugum, fructuúmque genera eidem fortè sportæ indita non unà confundenda fuisse, sed re aliquâ interpositâ alia ab aliis separanda (*d*). Tertiò nihil primitiarum

(*b*) *v. Abrab. ad Deut.* 26.

(*c*) Maimon. *in Biccurim, c.* 2.

(*d*) *Idem in Biccurim, c.* 3.

rum ad aram ferri licuiſſe, niſi è ſeptem frugum fructuúmque generibus, è tritico, hordeo, uvis, ficubus, malis puniceis, dactylíſque (*e*). Quarum rerum laude Canaan maximè floruiſſe dicitur (*f*). Quartò nec ante Pentecoſtem, nec poſt *dedicationis* ferias primitias reddi debuiſſe (*g*). Quintò nullam primitiis frugum fructuúmve certam portionem lege ſtatutam, ſapientibus autem placuiſſe, ut ſexageſima ſaltem pars eo nomine Deo ſacra fieret (*h*). Sextò alia illa poſtulata dicunt. Primò, ut ſuas quiſque primitias, ſimul atque ad montem domûs veniſſet, ſuis ipſe humeris portaret, licèt idem ille vel Rex eſſet (*i*). Deinde, ut primitias ſuas vaſi alicui ſemper imponeret (*k*). Tertiò, ut montem domûs ingreſſus, ſportámque adhuc humeris gerens, Sacerdotem ita alloqueretur. *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreſſus ſum in terram, pro quâ juravit patribus noſtris, ut daret eam nobis* (*l*). Tum verò, ut ſportâ Sacerdoti traditâ (& quidem manibus utriuſque Deo quaquaverſùs porrectâ) apud Deum hanc confeſſionem ederet. *Syrus miſer pater meus*, &c. (*m*) Quartò, ut ſuis quiſque primitiis holocauſta, & ſacra ſalutaria adderet (*n*). Quintò, ut, primitiis ſanctuario illatis, Levitæ hymnum hunc accinerent. *Exaltabo te Domine quoniam ſuſcepiſti me*, &c. (*o*) Sextò, ut ſporta primitiarum (id quod in tranſitu priùs monitum) quaquaverſùm Deo porrigeretur (*p*). Ultimò, ut qui primitias reddidit, in Ieroſolymâ pernoctaret (*q*). Atque hæc Judæi hoc de genere primitiarum, quæ, quia aræ obmovendæ erant, ferta quodammodò dici poſſunt. At verò decimæ decimarum (*r*), placentâ ex quâque maſſâ libata (*s*), aliæque denique pri-

(*e*) *Idem eodem tractatu, cap. 2.*
(*f*) *Deut. 8. 8.*
(*g*) *Ibid.*
(*h*) *Ibid.*
(*i*) Maimon. *in Biccurim, c. 3.*
(*k*) *Ibid.*
(*l*) *Deut. 26. 3.*
(*m*) *v. 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11.*
(*n*) Maimon. *in Biccurim, c. 3.*
(*o*) *Pſal. 30.*
(*p*) Maimon. *in cap. jam dicto.*
(*q*) *Ibid.*
(*r*) *Num. 18. 26, 27, 28.*
(*s*) *Num. 15. 20, 21.*

primitiæ illæ, Judæis תרומה גדולה *donum magnum* dictæ (*t*), etiamsi Sacerdotibus dandæ, fertorum tamen ratione carebant, quia aræ non obmovendæ erant.

(*t*) *Num.* 18. 12

XI. His expositis, sequitur ut suffimenta attingam in æde sacrâ fieri solita; quæ quamvis in fertorum numerum minimè quidem referri solent, talia tamen sacra erant, qualia & ex inanimis legenda, & Deo ritè adolenda erant. Eóque magis explicari debent, quia ut ipsa populi preces, sic Sacerdos ea in æde sacrâ Deo obmovens Christum etiam adumbrabat Deo jam in adyto cœlesti sanctorum preces commendantem. Erat itaque suffitus, sacer variis ex aromatibus confectus (*u*), semelque quotannis in sacrario intimo (*x*), bisque quotidiè in exteriori, semel manè, vesperique semel, adolendus (*y*).

(*u*) *Lex scripta* (*Exod.* 30.) *quatuor genera numerat. Judæi undecim in monte Sinai* Mosi *indicata fuisse tradunt. v.* Maimon. *in Chele Hamikdasch, c.* 2.

(*x*) *Lev.* 16.

(*y*) *Exod.* 30. 7, 8.

Ad quotidianam suffitionem (siqua sit Judæis (*z*) fides) tres Sacerdotes adhibebantur. Primo id negotii datum ferunt, ut cineres aræ inauratæ (quâ quotidiana suffimenta legis jussu facienda erant) in aureum quoddam vas congereret. Alteri, ut candentes prunas ex arâ victimariâ petitas, & in batillo quodam positas aræ auratæ admoveret. Quibus duobus Templo egressis, Tertius (jam ad aram astans) à præside foris stante monitus suffitum è thuribulo manu sumptum in aræ focum porriciebat; Quo facto, & ipse Templo exibat. Ita tamen, ut antequàm hinc exiret, corpore adytum intimum versus summâ reverentiâ inclinato Dei numen adoraret. Quod idem etiam ab aliis omnibus æde illâ sacrâ egressuris fieri oportuisse dicitur. Quo autem tempore suffimenta à Sacerdote adolebantur, eodem etiam & ipse populus,

(*z*) *v.* Maim. *in Timidin umosaphin, c.* 3. *& Misnam in Tamid. c.* 5.

pulus, ſuo quiſque loco conſiſtens, preces ſuas peragebat (*a*). Cùm enim ſuffimenta ſacra ita populi preces adumbrarent, ut Sacerdos altera Deo adolens alteras etiam ritu ſymbolico illi commendare cenſeretur, par erat, ut eodem tempore utraque illa ſacra fierent. Atque hoc quidem ſicut in tranſcurſu monendum erat, ita illud minimè prætereundum, ſuffitum ſacrum ſingulis diebus adoleri ſolitum centum denariorum pondo fuiſſe (*b*). Ita quod Lex non definivit, Sapientibus definire viſum.

(*a*) *v. Luc.* 1. 10

(*b*) Maimon. *in Temidin umoſaphin*, c. 3.

Cæterùm odoramenta illa, quibus intimum ædis ſacræ adytum ſemel quotannis ſuffiendum erat, ipſe Pontifex adolebat ſolenni expiationis die (*c*). Quo die (ut Judæis placet) ſiniſtrâ thuribulum ſuffitûs pugillo, dextrâ batillum prunis candentibus refertum tenens, in adytum intimum penetrabat. Eò ingreſſus, batillóque de manu poſito, ſuffitum in prunas porriciebat; adytóque nube denſâ oppleto, continuò in exterius ſacrarium pedetentim ac retrò gradiebatur. Quò cùm pervenerat, ita populum Deo commendabat. יהי רצון מלפניך ה׳ אלרינו שאם היתה שנה שחינה תהיה נשומה ולא יסור שבט מביה יהודה ולא יהיה עמך בית ישראל צריכין לפרנסה ואל תכנם לפניך תפלת עוברי רנים *i. e. Placeat tibi Domine Deus, ut, ſi hic annus calidus fuerit, idem quoque ſit pluvioſus. Ut ne diſcedat ſceptrum à familia Judæ, nec victu careat populus tuus Iſraeliticus, irritæque ut ſint impiorum preces.* Quam brevem precem executum è Templo ſtatìm exiiſſe ferunt, ne quam fortè rei divinæ perperàm factæ populo ſuſpicionem præberet (*d*). Nonnunquàm enim acciſſe, ut Pontifex ob violatos ritus Dei juſſu inſtitutos

(*c*) *Lev.* 16.

(*d*) *v. Luc.* 1. 21

ſtitutos in æde ſacrâ interiret. Quod genus mortis à Judæis מיתה בידי שמים *mors per Dei manus* dicitur.

XII. Jam nihil neceſſe eſt, ut illud moneam, Qualia omnium conditori ab Hebræis conſecranda erant, talia ferè ab aliis Gentibus fertorum & ſuffituum genera Diis extraneis adoleri ſolita. Illud intereſt, quòd cùm Hebræis his in rebus ſummus delectus imperatus eſſet, profani populi, in ſacris ſuis delectu nullo uterentur. Hi herbas virentes, flores, & folia, hi allium, cepas, & papaver. Hi poma, nuces, & glandes quernas, hi omnia fere fructuum genera, itémque mel, lac, & aquam diis ſuis libare ſoliti (*e*). Quanquam & Hebræi etiam, Tabernaculorum ferias celebrantes, aquam quidem libare ſolerent; ſed hoc nullo Legis juſſu.

(*e*) *v. Porphyrium de abſtinentia, l. 2. § 5, 6, 7, &c. item Saubertum de ſacrificiis, cap. 24, 25.*

CAP.

## CAP. IX.

### *De victimarum delectu apud Judæos habito.*

I. TAnta apud profanos populos ſacrificandi libido fuit, támque exiguus victimarum quibuſdam in regionibus delectus, ut nullum fere animalium genus tam fœdum eſſet, aut immanſuetum, quod nuſquam gentium immolabatur. (*f*) At verò apud Iſraelitas longè ſecùs comparatum. Apud eos enim ſacrâ lege cautum erat, ne genus ullum animantium, niſi è bubus, capris, ovibus, columbis, aut turturibus lectum, ad ſacrificia adhiberetur. Hæc utique talia genera erant, qualium erat & ſumma manſuetudo, & maxima in Canaane copia, & præcipuus in victu communi uſus. Quibus adde, quòd quædam horum generum apud nonnullas ſaltem gentes ſacro quodam cultu afficienda, at neutiquàm, ſine ſummo ſcelere, mactari poſſe viderentur. Quæ qui conſiderare velit, facilè intelligere poteſt, quid eſſet, quare & illa omnia, quæ jam diximus, & nulla alia animantium genera populo in fœdus ſacrum adſcito in ſacrificiis permitterentur. Atque huc pertinent *Philonis* illa (*g*), τῶν ἐν ταῖς ἱερουργίαις ζώων τὰ μὲν ὅλα χρῆσα, τὰ δὲ ἀφορίσα. τὰ μὲν οὖν τῶν πτηνῶν ἔθνη μυρία ὅσα παρελθών, δύο μόνα ἐξ ἁπάντων εἵλετο, διότι σφόδρα μὲν τῆς φύσεως πθαυσι-

(*f*) *v. Saubertum de ſacrificiis, cap. 24.*

(*g*) *De animalibus ad ſacrificia adhibitis.*

κῶν καὶ ἀγελαστικῶν ἡμερώτατον. τυγὼν δὲ τῶν φύσει μοναστικῶν πτηνοτάτων. τὰς δὲ τῶν χερσαίων ἀμυθήτους ἀγέλας, ὧν ὁ δὲ ἀριθμὸν εὑρεῖν ἔυποροι, ὑσπρὰς, τρεῖς ἀειπόθητον ἐπέκρινε, βοῶν, καὶ προβάτων, καὶ αἰγῶν. ἡμερώταται γὰρ αὗται, καὶ χειροηθέσταται. *Animalia, quæ in ſacris ſunt, alia terreſtria ſunt, volucria alia. Volucrium cùm ſint innumera genera, præteritis cæteris omnibus, duo tantùm ſelegit Deus: quoniam columba inter naturâ manſuetas, & gregatim volitantes eſt mitiſſima, turtur verò inter ſolitarias maximè cicur. Terreſtrium quoque innumeris gregibus omiſſis, tria præcipua ſecrevit genera, bubulum, ovillum, & caprinum, ut mitiora, manſuetioráque.* Et paulò pòſt, de bubus, ovibus, & capris loquens. Πρὸς δὲ τούτοις, καὶ βιωφελέστατα τῶν ζώων εἰσὶ. πρὸς μὲν εἰς ἐσθῆτας, τὴν ἀναγκαιοτάτην σκέπην σωμάτων. βόες δὲ εἰς τὸ ἀρόσαι γῆν, καὶ προετοιμάσασθαι σπόρον, καὶ τὸ γινόμενον ἀλοῆσαι καρπὸν εἰς μετουσίαν, καὶ ἀπόλαυσιν τροφῆς. αἰγῶν δὲ αἱ τρίχες, αἱ δορὰ συνυφαινόμεναί τε καὶ συῤῥαπτόμεναι, φορητὰ γεγόασιν οἰκοδομήματα ὁδοιπόροις οἰκεῖα, καὶ μάλιστα τοῖς ἐν στρατείαις ὑς ἔξω πόλεως ἐν ὑπαίθρῳ διατρίβειν ἀναγκάζουσιν αἱ χρεῖαι τὰ πολλά. *i. e. Huc accedit, quòd hæc animalia maxima afferunt vitæ commoda. Arietes utique veſtes præbent, neceſſaria corporum tegumenta. Boves arando terram ſementi præparant, & fruges ipſas triturâ reddunt alimento utiles. Ex pilis caprinis tergoribúſque contextis & conſutis vectilia fiunt domicilia viatoribus, militibus præſertim,*

*quos*

*quos ſæpe extra urbes ſub dio degere neceſſitas cogit.*

His etiam addit *Moſes* Ægyptius (*h*), eò turpiſſimæ ignorantiæ lapſas fuiſſe nonnullas gentes, ut quædam ex dictis animalibus ſanctè colenda judicarent, mactare ſummum ſcelus ducerent. Quare ſummo Dei conſilio factum, (quò cœca iſta ſuperſtitio penitùs tandem deleretur) ut cædes eorum animalium, quæ nunquam citra grave peccatum cædi poſſe cenſebantur, peccata ipſa expiaret. (*h*) *More Nevochim. par.3. c.46.*

אמרה התורה כפי מה שפירש אונקלוס שהמצרים
היו עובדים מול טלה מפני זה היו אוסרים לשחוט
הצאן והיו מואסים רועי צאן אשר הן נובח את
התועבות מצרום וכן היו כתוב טן הצאבה עובדים
לשרים והיו חושבים שהם ישובו בצורת העוים
ולזה היו קוראים לשרים שעירים וכבר התפשט
הדעם הזה מאד ולא יובחו עוד את זבחיהם
לשעירים אשר הם וונים אחריהם ולזה היו אוסרים
הכתוב הזה גם כן אכילת העוים אבל שחיטה
הבקר כמעט שהיו מואסים אותו רוב עובדי עבודה
זרה וכולם היו מגדילים זה המין מאד ולזה חמצא
אנשי הודו עד היום לא ישחטו הבקר כלל ואפילו
בארצות אשר ישחטו שאר מיני בעלי חיים ובעבור
שימחה זכר אלו הדיעות אשר אינם אמתיות צונו
אלו השלשה מינים לבד טן הבהמה טן הבקר
וטן הצאן תקריבו את קרבנכם עד שיהיה המעשה
אשר תשבוהו תכלית המרי בו יתקרבו אל השם
ובמעשה ההוא יכופרו העונות כן מרפאים הרעות
הרעות אשר הם חליו הנפש האנושי בהפך אשר
בקצה אחרון *Docet Lex, ſecundùm Onkeloſi explicationem, Ægyptios ſydus Arietis coluiſſe, eamque ob cauſam edixiſſe, nequis ovem mactaret, Paſtoréſque ſummo in odio habuiſſe. Ex quo Moſes,* (*i*) Abominationes Ægyptiorum immolabi- (*i*) *Exod.8.26.*

mus. *Prætereà quædam Zabiorum sectæ Dæmones colebant, quos, formam caprinam habere rati,* שעירים *hoc est, hircos vocabant; quæ sanè opinio longè latèque diffusa erat, inde enim illud apud* (k) *Lev. 17.7.* Mosen (*k*). Et nequaquàm ultrà immolabunt hostias suas Dæmonibus, cum quibus fornicati sunt. *Quare hæ Sectæ hircis etiam vesci prohibebant. Jam à boum mactatione abhorrebat multò maximus eorum numerus, qui cultui extraneo dediti erant. Ac quidem omnes bovillum genus summo habebant in honore. Ita ut in India quosdam in hunc usque diem reperias, qui nullos omninò boves mactant, ne eis in locis, quibus alia mactant animalium genera. Harum ergo falsarum opinionum memoria penitùs ut deleretur, lege cautum erat, ut tria tantùm pecudum genera immolaremus. Ita enim à Deo edictum* (*l*). De bubus & balantibus (*m*) victimam vestram offeretis, *ut cui facto grave admodum inesse peccatum censebatur, eo aditus ad Deum fieret, eo peccata expiarentur. Ita scilicet pravæ opiniones, quæ morbi sunt humani animi, planè contrariis curari solent.* Et pòst paulò, והוטעם בבחירת השלש סינים האלה לבד לקרבן מחובר אל היות אלו השלשה סינין נמצאים מאד ולא במעשה עובדי עו שהיו מקריבים הארויות והדובים והבהמות המדבריות כמו שזכר בטעמם ומפני שרוב בני אדם לא היו יכולים להקריב בהמה צוה להקריב קרבן גם כן מסין העוף סן הנמצא בארץ ישראל יותר ומן הנאה והקל לסיצאו והם החורים ובני יונה *i. e. Huic etiam causæ quâ factum diximus, ut hæc tantùm tria animantium genera ad sacrificia adhiberentur, id accedit; nempe quòd horum trium generum magna admodum esset copia; quæ nulla erat Leonum;*

(l) *Levit. 22.*
(m) צאן *utramque genus continet, ovillum scilicet, & caprinum.*

*Ur-*

*Ursorum, & Sylvestrium animalium. Quæ (ut in libro* חולין *dictum) Idololatræ immolabant. Quoniam autem bene multi erant, quibus quidem ad sacrificium quadrupes nulla suppetebat, præcepit Deus, ut sacrificia etiam ex avibus deligerentur, ex eis utique, quarum erat & copia major in terra Israelis, & major pulchritudo, & captura facilior. Quales quidem sunt turtures, pullique columbarum.*

II. Quinetiam sicut ipsius generis, ità singulorum animalium ad sacrificia adhibitorum delectus summus habendus erat. *Neque enim cæcum, aut fractum, aut mutilatum, aut verrucosum, aut scabiosum, aut mentiginosum, cuive testes suppressi, contusi, abrupti, aut effossi erant* (*n*), ad aram ritè admoveri potuit. Bovem vero, ovem, aut capram, cui membrum quodvis præter modum aut longum, aut curtum erat, ad sacrificium voluntarium (ut mihi videtur) adhibere licuit: quod in voto secùs comparatum fuit (*o*), quanquam Judæi & hanc legem ita explicant (*p*), ut neque talia animalia aræ admoveri licuisse, sed ad curandam templi labem Sacrari rite potuisse velint. Sed & illud etiam statuunt Judæi, in vitiis modò enumeratis non omnium vitiorum numerum, sed specimen quoddam contineri. Quare & alia multa addunt, quorum quodvis victimam polluisse, perinde ac jam dicta, judicant (*q*). Eóque factum, ut quodque animal diligenter explorari soleret, priusquàm ad aram admovebatur. His etiam adde, nullam pecudem vel pretio canis (quod vile (*r*) Hebræis animal erat) vel meretricio comparatam Deo sacram fieri potuisse (*s*). Nequaquàm enim fieri potuit ut non vilescerent sacrificia tam turpibus modis acquisita.

(*n*) *Lev.* 22. 22, 24.

(*o*) *Lev.* 22. 23.

(*p*) *v. Sol. Jarchi in Lev.* 22. 23.

(*q*) *v.* Maimon. *in Issure Mizbeach, c.* 2. *& in Biath Hamikdasch, c.* 7.

(*r*) *v.* 1 *Sam.* 17. 43. *&* 24. 14.

(*s*) *Deut.* 23. 18.

III. Ne-

III. Neque verò apud Judæos tantùm, sed & profanas aliquas gentes nequid hostiis vitii inesset, magnâ diligentiâ cautum erat. Græci (quod ex *Porphyrio* (t) discimus) animalia mutila non immolabant; sed neque illa, quæ notabantur alio quovis insigni vitio. Quod docet *Scholiastes* ad *Aristophanem* (u), τὰ γὰρ κόλοβα οὐ τὰς ἱερουργίας ὑ θύεται, καὶ καθόλυ ὅπερ ἢ μὴ τέλειον καὶ ὑγιὲς ὑ θύεται τοῖς θεοῖς· *i. e. In Sacrificiis non mactantur, quæ caudâ truncantur. Et in universum, quod integrum non est, atque sanum, diis non mactatur.* Eundem & alibi fuisse morem *Virgilii* ista satìs docent (x),

(t) *De abstin. l. 2. §. 23.*

(u) *Ad Acharnenses.*

(x) *Æneid. 4.*

——*Mactant lectas de more bidentes.*

Ubi *Servius*, *Non vacat*, Lectas. *Moris enim fuerat, ut ad sacrificia eligerentur oves, quibus nihil deesset.* Adde ejusdem Poetæ (y) illa,

(y) *Æneid. 6.*

*Nunc grege de intacto septem mactare juvencos*
*Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.*

Ubi idem *Servius*, Intacto, i. e. *indomito, ut, intactâ totidem cervice juvencas.* Lectas de more bidentes. *De more antiquo, scilicet, quem prætermisit, quasi omnibus notum; id est, ne habeant caudam aculeatam, ne linguam fissam, ne aurem nigram.* Hinc & apud profanas gentes victimas probandi mos extitit. Id quod refert *Lucianus* (z), στεφανώσαντες τὸ ζῶον καὶ πολύγλωττοτέρους ἐξετάσαντες εἰ σύτελὲς, ἵνα μηδὲ τῆς ἀληθείας τι καταψεύσωσι,

(z) *De sacrificiis.*

προσάγουσι τῷ βωμῷ, καὶ φονεύουσι ἐν ὀφθαλμοῖς τοῦ Θεοῦ. *i. e. Sertis coronant pecudem, multóque antè explorant, an legitima sit, & sacris idonea, nequid forte mactent ex eis, quæ religio repudiat: deinde ad aram adducunt, ac sub oculis Dei jugulant.*

IV. Sed & eorum animalium, quæ quisque aræ destinabat, ætas quoque spectanda fuit. Nam Turtures, ut Judæi docent (*a*), nulli, nisi adultiores, (quia tales maximè in pretio erant) Columbarum autem pulli duntaxat (quasi grandioribus meliores) quadrupedum tales tantùm fœtus, quales octavum diem attigerant (*b*), ad sacra rite adhibebantur. Neque enim pecudis ullius fœtus satìs in suo genere perfectus ante id tempus censebatur. Ita scilicet *Maimonidi* visum (*c*), מהקריב מה שלא ישלמו לו שבעת ימים להיותו חסר בסיני והיותו נמאס מפני שהוא בנפל *i. e. Monuit Deus, nequid sibi immolaretur, nisi quod septem dies completos natum est. Quippe aliud quodque in suo genere imperfectum est, & quasi abortivum, spernitur.* Quæ eadem ratio eò valuisse quibusdam visa est, ut neque hominum ipsorum maribus ante octavum à partu diem præputium detrahendum esset, fœdúsque sacrum ineundum (*d*). Jam verò licèt pecorum fœtus octavo quidem à partu die immolari rite potuissent, in omnibus tamen sacrificiis, præter primogenitum, & Paschale, & quod decimando obveniebat, laude dignior censebatur, qui nullum immolabat pecoris fœtum, nisi qui trigesimum diem attigerat.

(*a*) Maimon. *In Isure Misbeach, c.3. & in More Nevochim, par. 3. c. 46.*
(*b*) *Lev.22.7.*
(*c*) *More Nevoch.par.3.c.46*
(*d*) *v.Abrab.ad Lev.22.27.*

V. Nec

V. Nec multò aliter apud alias Gentes de victimarum ætate visum est. Id quod *Plinii* illa docent (*e*), *Suis fætus sacrificio die quinto purus est, pecoris die octavo, bovis trigesimo.* Sed de suis fœtu aliter *Varro* (*f*), *Cum porci*, inquit, *depulsi sunt à mamma à quibusdam Delici appellantur, neque jam lactentes dicuntur. Qui à partu decimo die habentur puri, ab eo appellantur ab Antiquis Sacres, quòd tum ad sacrificia idonei dicuntur primùm.*

(*e*) *In Hist. Nat. l. 8. c. 5.*

(*f*) *De re rustica, l. 2. c. 4.*

VI. Cæterùm sicut apud Judæos fœtus cujusque recèns editi illegitimus in sacris usus erat, ità vetulæ pecudes ad sacrificia parùm idoneæ videbantur. Unde usu venit, ut nihil ex ovibus, aut capris lectum, postquàm annum secundum excesserat, nec boves annum tertium egressi ad aram admoveri solerent. Qui tamen mos non est ita intelligendus, quasi pecora quadrima, aut quinquennia planè impura ad sacrificia, sed minùs apta censerentur. Unde illud Auctoris libri Siphra, אף בני ארבע ובני חמש כשורין אלא שאין מביאין וקנים מפני הכבוד *i. e. Quadrimis & quinquennibus animalibus ad Sacrificia quidem uti licet, sed honoris ergò vetula non adducunt.*

Docent etiam Judæi (quod hoc in loco monere visum est) agnum anniculum כבש, arietem bimum איל, vitulum anniculum עגל, juvencum bimum פר, bimum caprum שעיר עזים, caprum secundum annum agentem שעיר in sacris literis dici (*g*).

(*g*) Maimon. *in Maase Korban. c. 1.*

VII.

VII. Jam sexûs in avibus sacrificandis delectus nullus institutus erat. Pecudes autem pro variâ tam sacrificiorum, quàm sacrificantium conditione, nunc masculæ, nunc fæminæ, aliquando alterutræ immolabantur. Alterutræ scilicet in salutaribus hominum singulorum sacris voto aut voluntate factis, masculæ in totius cœtûs sacris, cujuscunque illa generis erant, omnibúsque sive totius cœtûs, sive singulorum holocaustis, omnibúsque sacris pro noxâ factis, & quidem in sacris pro peccato à Principe aut Pontifice datis. At verò homo quisque plebeius pecudem pro peccato immolaturus fæminam immolare jussus est, eamque quidem ex grege lectam (*b*). (*b*) *v. Lev. 4.*

# De Holocauſtis.

## CAP. X.

*Proponuntur omnia victimarum genera Lege* Moſaïcâ *deſignata. De holocauſtis ſpeciatim agitur.*

I. QUandoquidem ſatis expoſitum ſit, quæ, & qualia animalia ad Sacrificia Hebræorum Lege *Moſaicâ* adhibenda erant; deinceps ſequitur ut doceamus, quænam erant victimarum genera eâdem Lege deſignata. Atque ea quidem in ſacris literis ita appellari ſolent, עולה שלמים חטאת ואשם *Holocauſtum*, *Sacrificia Salutaria*, *Sacrificium pro Peccato*, & *Sacrificium pro Noxâ*. Sed & ſacrorum ſalutarium tria genera recenſentur, נדר נדבה וחודה *votivum*, *voluntarium*, & *Euchariſticum*. Quibus etiam addenda ſunt alia illa, quæ aliquo modo ad Euchariſtica referri poſſunt, Judæiſque ita vocari ſolent, שלמי הגיגה ושמחה איל נזיר פסח בכור ומעשר *Salutaria Feſtiva*, & *Lætifica*, *aries Naziræi*, *Sacrum Paſchale*, *Sacrum Primogenitum*, & *quod decimando obveniebat*. Quorum omnium victimarum generum antiquiſſima erant holocauſta. Hoc enim genus ab *Abrahamo* (*i*), imò hoc à *Noa* (*k*) factum legimus. Nec dubium ſanè, quin ſacrificia ab *Abele* facta hujus ejuſdem generis eſſent. Neque

(*i*) *Gen.* 22. 13.
(*k*) *Gen.* 8. 20.

Neque enim aliud ullum genus nisi diu post *Abrahamum* natum in sacris literis memoratur. Illud tamen non dubitandum, quin ante legem per *Mosem* latam salutaria sacra in usu fuerint. Hoc enim indicat *Mosis* illud *Pharaoni* dictum (*l*), גם אתה תתן בידינו זבחים ועולות ועשינו ליהוה אלהינו *i.e. Sacrificia quoque, & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro.* Quibus adde illa de *Jethro* dicta, ויקח יתרו חתן משה עולה וזבחים לאלהים *i. e. Obtulit ergo* Jethro *Socer* Mosis *holocaustum, & sacrificia Deo* (*m*). Quibus in locis vox זבחים *sacra* designat *salutaria.* Quod & Judæi omnes docent, atque etiam vocis ipsius usus. Quippe quæ vox in sacris literis, præsertim voci עולה addita, nulla designat sacrorum genera, nisi tantùm sacra salutaria. Jam verò sacra piacularia, qualia à *Mose* descripta sunt, usquámne fortè in usu fuerint ante legem sacram Hebræis datam, ego minimè definiverim. Illud constat, & hæc, & alia victimarum genera talibus ritibus & cærimoniis à *Mose* definita fuisse, quales eò maximè pertinebant, ut sacrificia Judæorum sacrificium Christi adumbrarent.

(*l*) *Ex.* 10.25.

(*m*) *Ex.* 18.12.

II. Jam omni sacrificiorum generi cultûs sacri ratio inerat, *Holocausta* Deo immolabantur, ut omnium conditori, ac Domino, omniúmque itidèm conservatori, omníque cultu & honore digno; *Sacrificia Salutaria* ut eorum omnium, quæ ad vitam pertinent, largitori, sive ea antè impetrata essent, unde ortum est *Sacrum Eucharisticum*, sive nondum impetrata, sed expetita; idque vel voto interposito, unde extitit *Sacrificium Votivum*, vel sine voto nuncupato, unde ortum habuit *Sacrum voluntarium* suâ cujusque sponte datum, merâque

que liberalitate factum. Quamvis autem & holocausta etiam voto & voluntate fierent, hæc tamen nomina תורה נבר נדבה, *Eucharisticum*, *votum*, & *voluntarium*, non nisi sacris salutaribus in sacris literis tribui solent. Jam verò *Sacra piacularia* (sive חטאות sive אשמות dicta) Deo facta erant ut Domino vitiis infenso, pœnæque ac veniæ jus habenti. Quibus ex rebus intelligitur, eódem spectâsse sacrificia, quò preces ore enunciatæ, gratiarúmque actiones pertinent. Illud tamen interfuisse, quòd ejusdem utique voluntatis alia in precibus enunciatis, atque etiam in gratiarum actionibus, alia autem in sacrificiis signa externa adhiberentur. In illis scilicet explicata verba, in his sacri quidam ritus, quibus tamen eadem desideria, quæ verbis explicatis, subjecta erant.

III. Cæterùm (quod deinceps notandum) sicut cultus Dei naturalis vel in impetrandâ ejus gratiâ, vel in gratiâ ejus commemorandâ, laudibúsque celebrandis cernitur; ita omnia planè sacrificia eisdem in rebus versabantur. Ac sacra solida, sive holocausta utroque fine facta erant. Nimirùm & ad impetrandam, & ad commemorandam Dei gratiam, laudésque ejus celebrandas. Quæ duplex eis ratio constitit ex primitivo ipsorum usu. Enimverò in primordiis mundi, cum nulla essent sacrificia nisi holocausta fieri solita, hoc idem sacrificii genus & εὐκλικὸν erat, & ἱλαστικὸν & cuivis, ut cuique visum esset, cultûs naturalis generi adhibitum. Quod eò rectiùs fieri potuit, quòd Deus in omni cultûs genere tanquam omnium conditor, ac conservator, omniúmque Dominus spectari debeat. Jam verò reliqua sacrificia minùs latè quàm holocausta patebant. Neque enim facta erant Eucharistica,

ristica, nisi ad celebrandas Dei laudes, gratiámque ejus commemorandam; nec piacularia, votiva, aut voluntaria nisi gratiæ ejus impetrandæ causâ. Ac quidem sacra piacularia (sive חטאות sive אשמות vocata) ad impetrandam culparum veniam (quâ summa Dei gratia cernitur) facta erant; votiva autem, & voluntaria ad gratiám illam conciliandam, quæ vel in periculis depellendis, rebúsque prosperis conservandis, vel in eisdem augendis cernitur. Illuc vota ferè omnia, utróque voluntaria pertinebant.

IV. Hactenùs dicta cùm omnia victimarum genera, earumque vim, & rationem aliquo modo adumbrare possint; reliqua, quæ hunc ad locum pertinent, eo ordine exequenda, ut primò de victimis singulorum hominum, deinde de Paschali hostiâ, singulis Hebræorum familiis, parvísve sodalitiis imperatâ, ultimò de eis victimis dicam, quæ ad totum cœtum pertinebant.

Ac quidem singulis pro hominibus omnia, præter Paschale sacrum, fieri solebant sacrorum genera; holocausta scilicet, & piacularia, & sacrificia salutaria; omniáque etiam & salutarium, & piacularium sacrorum genera.

V. Jam holocaustum in sacris literis עולה dictum, à verbo עלה, quod est *ascendit*, ita dicitur. Idque idcircò nomen habet, quòd aræ totum imponeretur, ibíque igne dissolutum maximâ ex parte sursùm iret. Hinc illæ argutiæ *Abrabenelis*, qui mentis ad cœlestia ascensum holocaustis adumbratum judicat (*n*), היה חכליה חעולה שהוא לרבק נשמה השכליה עם יוצרה: *Eò pertinet holocaustum, ut hinc discat anima intelligens creatori suo se adjungere.* Quo factum ait, ut sacra pia-

(*n*) *Abrab. in Pref. ad Lev.*

piaculiaria nullo modo paria ſint holocauſtis. Verùm miſſis inanibus conjecturis, illud præcipuè, quod modò dixi, retinendum, holocauſta olim adhibita fuiſſe omni cultûs naturalis generi, ſive illud in gratiis Deo agendis, ſive in deprecandis malis, boníſve precandis verſaretur. Quæ omnia docet hiſtoria ſacra. *Noas* enim Deo gratias agens de ſalute ſibi, ſuiſque datâ, cùm reliquum omne mortalium genus aquarum diluvio periiſſet, holocauſta Deo immolabat (*o*). Contrà autem *Jobus* filiorum ſuorum (*p*), & amicorum (*q*) peccata deprecans, holocauſta precibus adhibebat. *Balaamus* denique (ſolitum & ipſe ſine omni dubio morem ſequens) *Balaco* ſalutem, Hebræis exitium precaturus holocauſta ſibi parari juſſit (*r*). Ex quibus intelligi par eſt, qui vel ante legem *Moſaicam* vixerunt, vel quibus illa ignota fuit, hos cuilibet cultûs ſacri generi holocauſta quandoque adhibuiſſe.

(*o*) *Gen.*8.20.
(*p*) *Job.* 1.5.
(*q*) 42. 8.
(*r*) *Num.*23.

VI. Neque verò poſt legem per *Moſem* datam minùs latus apud Judæos erat ejuſdem victimæ generis uſus. Judæi enim ut legis juſſu, ita etiam voto, ac voluntate (quâcunque ſcilicet de cauſâ placuit) holocauſta immolare ſolebant. Ac quidem legis ipſius juſſu Naziræi funere inquinati (*s*), atque etiam voto ſuo perfuncti (*t*). Item quotquot à lepra (*u*), quotquot à ſanguinis, aut genituræ morboſo fluxu purgandi erant (*x*). Sed & mulieres poſt puerperium (*y*), & Pontifex in die ἱλασμῶν, (*z*) omnéſque adulti Iſraelitæ tribus illis majoribus feriis (Paſchate, Pentecoſte, Feſtóque denique umbraculorum) quibus quiſque ad Sanctuarium venit Deo coràm appariturus (*a*). Holocauſta autem ſolennibus his temporibus data, quia eò valere

(*s*) *Num.* 6. 11.
(*t*) *v.* 14.
(*u*) *Lev.*14.19, 20.
(*x*) *Lev.*15.15, 30.
(*y*) *Lev.* 12. 8.
(*z*) *Lev.*16.24.
(*a*) *Deut.*16,16

valere censebantur, ut quisque coràm apud Deum majori cum gratiâ appareret, Judæis עולות ראיה *holocausta apparitionis* dicta sunt (*b*).

(*b*) *v.* Maimon. *in præf. ad codicem zebachim & Abrab. in præf. ad Lev.*

Quinetiam sicut legis jussu, ita etiam voto, ac voluntate fieri solebant holocausta. Quod satis docent *Davidis* illa (*c*). *Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in tribulatione meâ. Holocausta medullatorum offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boves cum hircis.* Quibus adde etiam alia illa (*d*), *Benignè fac Domine in bonâ voluntate tuâ Sion, ut ædificentur muri Jerusalem. Tunc acceptabis sacrificia justitiæ, holocaustum, & solidam rem divinam, tunc imponent super altare tuum vitulos.* Quos ego locos sic intelligo, ut prior holocausta voto facta, alter voluntaria designet.

(*c*) *Psal.* 66. 13, 14, 15.

(*d*) *Ps* 51. 20, 21.

VII. Cæterùm quoniam holocausta eos, à quibus facta erant, *lustrare* כפר, in sacris literis dicta sunt (*e*), fit, ut Judæi certa quædam peccatorum genera hujusmodi victimis expiata judicent. Talia autem, ut eisdem placet, peccata erant malæ cogitationes, & consilia (*f*), & quæ peccabantur contra leges jubentes, itémque contra leges vetantes, quæ jubentibus ita implicitæ erant, ut qui contra vetantem faceret, jubenti debitam obedientiam nullo modo præstare posset (*g*). Qualis erat Lex de non occidendâ matre cum pullis. Utpote quam qui violabat, alteri etiam legi deerat, quæ matrem pullorum dimitti jussit. Judæi autem eò magis holocaustis expiata judicant hæc, quæ diximus, peccatorum genera, utpote quibus expiandis victimæ propriè piaculares (חטאות & אשמות appellatæ) neutiquam institutæ essent. Verùm hæc (quod

(*e*) *Lev.* 14.

(*f*) *v. Jonath. paraphr. ad Lev.* 6. 9. *& Abrab. in præf. ad Lev. & David. de pomis in voce* עולה

(*g*) *v. R. Solom. Jarchi ad Lev.* 1. 4. *& R. Sol. Ben Melech, ib.*

(quod maximè obſervandum) non ſunt ita intelligenda, quaſi omnia perperàm cogitata, omnia malè prætermiſſa ullo legis ipſius juſſu holocauſtis ſemper expianda eſſent, (quippe cui rei nulli greges, nulla armenta ſuffeciſſent) ſed ita, ut, qui peccata talia deprecatum iret, holocauſta etiam precibus ſuis, ſi vellet, ritè adhibere poſſet; tum etiam, ut holocauſta illa precibus addita precantem Deo commendarent. Idque ipſum eſt, quod voce כפר deſignatur, quoties ea vel in holocauſtis, vel in ſacrificiis ſalutaribus, vel proximo rectè factis ponitur. Quorum omnium vocis iſtius uſuum in ſacris literis exempla extant.

VIII. Jam illud, ut Judæis viſum, holocauſtorum proprium fuit, quòd extraneis perinde ac Hebræis genus hoc ſacrorum facere liceret apud Templum Ieroſolymæ poſitum. Quod ſecùs comparatum volunt in aliis omnibus ſacrificiis, quæ nulla Sacerdotes Hebræi ab alienigenis accipiebant. Non piacularia propriè dicta, אשמות & חטאות nominata, quia leges his de ſacris latæ Judæis tantùm, non aliis gentibus datæ erant. Nec ſacrificia ſalutaria feriis ſolennibus fieri ſolita, quia feriæ Iſraelitis indictæ ad extraneos minimè pertinebant. Nec denique ſacra ſalutaria voto, aut voluntate facta, ut quibus, utì Judæis viſum, panis ſemper adjungendus eſſet, ab extraneo neutiquàm accipiendus (*h*). Unde uſuvenit, ut ſiquæ victimæ piaculares ad Templum Ieroſolymæ ſitum ab alienigenis adducerentur, eæ à Sacerdotibus Hebræis ritu holocauſtorum proprio confici ſolerent, & conſumi. Ita tamen ut ſi extraneus quilibet pro ſalute populi Iſraelitici ſacrificia ſuppeditare vellet, ea proprio ſalutarium ritu recte facta crederentur (*i*).

(*h*) *Lev.22.25.*

(*i*) Maimon. *in Maaſe Korban. c.3.*

IX. Neque

IX. Neque verò apud Hebræos tantùm, alióſque unius Dei cultores, ſed etiam apud Idololatras holocauſta paſſim in uſu erant. Quò ſpectant illa apud *Herodotum* in *Polymnia*, ὁ δὲ Ἐυμίλχας ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἐθύετο καὶ ἐκαλλιερεῖτο ὅτι πυρῆς μεγάλης σώματα ὅλα καταλίζων. *Hoc tempore immolabat, litabátque Eumilcas magnâ pyrâ integra ſacrans corpora.* Eodem de genere eſt apud *Senecam* in *Oedipode*.

——— *Solidáſque urit pecudes.*

Nam *ſolidæ pecudes* holocauſta ſunt. Adde etiam & *Virgilii* illud *Æneid.* 6.

*Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis.*

Ubi docet *Servius*, *ſolida viſcera* non *exta*, ſed *carnes* ſignificare. *Nam viſcera*, inquit, *ſunt quicquid inter oſſa & cutem eſt. Unde etiam viſceratio dicitur convivium de carnibus factum, ut diximus ſuprà. Ergo* ſolida viſcera *holocauſtum ſignificat; quod detractis extis aræ ſuperimponebatur.* Idemque ad *Æneid.* 3. *Sunt autem hæ animales hoſtiæ quæ tantùm immolantur, & caro Sacerdotibus proficit. Alibi tantùm ſanguinem in aras fundi ſignificat. Ut,* Sanguinis & ſacri Pateris. *Alibi partem corporis. Ut,* Extaque ſalſos porriciam in fluctus. *Alibi integras victimas.*

*Et ſolida imponit Taurorum viſcera flammis.*

Verùm ſolidas victimas, quæ uni omnium conditori, vitæ neciſque, omniúmque Domino lege *Moſaicâ* mactandæ erant, Gentes profanæ diis inferis, tanquam omnia vorantibus, immolabant.

# DE

# Sacrificiis Salutaribus.

## CAP. XI.

*De Sacrificiis ſalutaribus, eiſque, quæ ad Salutaria aliquo modo referri poſſunt, qualia erant, quæ primogenitorum, & decimarum nomine facta erant.*

I. HActenùs de holocauſtis dictum. Sequuntur ſacra ſalutaria Hebræis שלמים à שלם dicta. Eſt autem שלם vel *retribuere*, vel *pace frui*; Ac quidem *Pax* in ſacris literis vel *mutuam amicorum concordiam*, vel *proſperitatem* deſignare ſolet. Ita fit, ut aliis atque aliis alia ratio videatur, cur ſacrificia ſalutaria ſcriptoribus ſacris שלמים dicta ſint. Quibus enim שלם idem eſt quod *retribuere*, hi ſacra de ſalute facta שלמים appellata judicant, quia ex hoc ſacrorum genere Deus, offerentes, & Sacerdotes, ſuam quiſque partem habuerunt. Atque hæc ſententia Autori libri *Siphra* placuit. שלמים, inquit, שהכל שלום בהן hoc eſt, שלמים dicta ſunt, *quippe quòd ex eis ſua cuique rata portio ceſſit*. Quibus autem *Pax* idem valet, quod *concordia*; hi ſacrificia ſalutaria שלמים dicta arbitrantur, quaſi *ſymbola* quædam amicitiæ inter Deum, Sacerdotes, & offerentes; quippe

quibus

quibus omnibus hoc ex genere portio aliqua data fuit. Sanguis utique & exta Deo, pectusculum & armus Sacerdotibus, reliqua caro & pellis offerentibus.

כבר נקרא שלמים מעניין שלום רל שהוא יבוא אחרי היות שלום בין האדם למקום ולזה היה ענינו שיאכלו בו על שלחן אחר הבעלים והכהנים וה' יתע' וזה כי הדם והאמורים היו למזבח וחזה ושלמים *Jam* ושוק לכהנים והעור והבשר לבעלים *dicta sunt* sacra salutaria, *ut quæ fieri tum solerent, cùm quis in gratiâ apud Deum erat; eóque omninò pertinerent, ut offerentes, Sacerdotes, & Deus (cui laus) communi mensâ uterentur. Nam sanguis & exta aræ cedebant, pectusculum & armus Sacerdotibus, pellis ac caro offerentibus.* Hæc scilicet R. *Levi Ben Gerson* (*k*). Quîcum etiam sentiunt Rabbi *Solomon Jarchi* (*l*), *David Kimchius* (*m*), & Autor libri *Aruch* inscripti (*n*). Utpote qui communem mensam amicitiæ indicium fuisse judicant, eosque, qui sacris vescebantur, communi cum Deo mensâ usos. Verùm hæc etiamsi ita sint, ego tamen eorum sententiam, ut magis simplicem; facilémque probo, qui, *prosperitatis* significationem voci שלם subjicientes, sacrificia salutaria in sacris literis שלמים dicta arbitrantur, ut quæ semper de rebus prosperis fieri solerent, impetratis utique, aut impetrandis. Quod idem Græcis interpretibus, & *Philoni Judæo* placuisse video. Siquidem quæ sacræ literæ שלמים, hi σωτήρια vocare soleant, nempe sacrificia de *salute*, sive de *rebus prosperis* facta (*o*). Quinetiam ut sacra salutaria, quia prosperis de rebus facta erant, שלמים appellari solent: ita, quoniam ab ipsis offerentibus ad sacras epulas adhibita erant, זבחים quo-

(*k*) *Ad Lev.* 3.
(*l*) *Ibid.*
(*m*) *In voce* שלם.
(*n*) *In eadem voce* שלם
(*o*) *v. vers.*70 *Interpr. Ex.*20. 24.*Num.*10.10. & 29. 39. *Phil. Jud.* περὶ ζώων εἰς θυσ.

quoque passim dicta sunt, nempe *victimæ ad convivia cæsæ*. Qualia, dum populus in desertis in viciniâ Sanctuarii degeret, toties celebranda erant convivia, quoties quis quadrupedem ullam cæderet, quæ sacrificio idonea erat; omnis enim pecudis ex bovillo, ovillo, caprinoque genere ibi cæsæ sanguis in aram fundendus erat, extáque in ea adolenda (*p*). Ut nisi de pecude immolatâ nemini planè in desertis caro pecorina gustanda esset. Quæ tamen postea lex cessavit; cùm populus longiùs à Sanctuario varias in sedes digressus esset (*q*). Tum enim suis cuique in ædibus mundam quamvis pecudem jugulare datum, carnibúsque ad epulas familiares uti.

(*p*) *Lev.* 17. 3, 4, 5, 6.

(*q*) *Deut.* 12. 15

II. Jam tria (quod & antè dictum) sacrorum salutarium genera in sacris literis recensentur (*r*). נדבה נדר וחודה *Voluntarium*, *Votivum*, & *Eucharisticum*. Quorum illa duo facta erant pro rebus prosperis impetrandis, ultimum autem pro impetratis. Quo fit, ut *Abrabenel* (*s*) sacra Eucharistica הודאה על העבר *laudem pro bonis impetratis* vocet, voluntaria autem & votiva תפלה על העתיד *preces pro nondum impetratis*. Neque aliò spectant quæ idem Autor alibi affert (*t*), אחרי שזכר הכתוב שלמי תודה וכר אחריו שלמי נדר ונדבה והם הבאים על דבר תפלה ונדר שיקריב אדם שלמיו ליו כדי שיצליחו מעשיו *Scriptura*, *post sacra Eucharistica*, *votiva memorat*, & *voluntaria*, *quæ quisque ad res secundas impetrandas*, *tanquam preces & vota adhibebat*. Ea quippe Veterum sententia fuit etiam ante legem è *Sinai* datam, nec accommodatiùs commemorari, nec quidem faciliùs impetrari Dei gratiam potuisse in rebus prosperis dandis elucentem quàm rerum à Deo acceptarum li-

(*r*) *Lev.* 7. 11, 12, 16.

(*s*) *In præf. ad Lev.*

(*t*) *Ad Lev.* 7.

libatione aliquâ Deo factâ. Quod ipsum sacris salutaribus (nequid de holocaustis dicam) ante legem sacram Hebræis traditam fieri solitis ortum dedisse videatur. Eóque apud profanas gentes eadem sententia tandem valuit, ut, nisi pane ac vino diis libato, mensis accumbere nefas ducerent. Qui mos, ut ex *Daniele* patet, apud Chaldæos olim obtinuit (*u*).

(*u*) *Dan.* 1.8.

III. Cæterùm etiamsi tam votiva, quàm voluntaria sacrificia pro rebus prosperis impetrandis fierent, alia tamen votivi fuit, alia voluntarii nuncupandi ratio. Enimverò votum qui nuncupabat, in hanc sententiam locutum ferunt. Ego pecude, ferto, hujúsve pecudis, similæve pretio Deo me facturum sanctè recipio; secùs atque qui voluntarium sacrabat, quippe quem sic locutum volunt, ego hâc pecude, aut hâc dape Deo faciam. Quâ de re ita *Moses Maimonides* (*x*), אי והו נדר ואי והו נדבה האומר הרי עלי עולה או הרי עלי שלמים או הרי עלי מנחה או הרי דמי בהמה וו עלי עולה או שלמים והו הנדר אבל האומר בהמה וו או דמי בהמה וו עולה או שלמים או הרי העשרון הזה מנחה הרי זה נדבה *Quodnam est sacrificium votivum? quodnam itidem voluntarium? Siquis dixerit; ego holocaustum, ego sacrum salutare, ego fertum; aut ego hujus pecudis pretium pro holocausto, aut sacro salutari Deo me daturum sanctè recipio; hoc votum est. Sin dixerit, ego hanc pecudem, aut hujus pecudis pretium, holocausti, aut victimæ salutaris nomine Deo reddam, ego hanc Ephæ decimam pro ferto dabo; hoc est sacrum voluntarium.* Et alio in loco (*y*), qui dicit, עלי, hoc est, *sanctè in me recipio*, hic votum concipit. Qui dicit וו, id est, *hoc Deo sacrum erit.* Hic sacrum voluntarium

(*x*) *In Maase Korban.c.*14.

(*y*) *Nedarim, cap.*1.

rium nuncupat. Neque multò aliter *Isaacus Abra-*
(z) *In præf. ad Lev.* *benel* (z), נדר הקרבן הפשוט הוא שיאמר הרי עלי עולה או הרי עלי שלמים אבל הנדבה היא שיכוין בהנדר לנדבת בעל חיים מיוחד ויניח ידו בו ויאמר הרי זה עולה או הרי זו שלמים *Sacrificium votivum est sacrum generatim nuncupatum; ut siquis dixerit, Ego holocaustum, ego sacrum salutare Deo me facturum sancte recipio. Voluntarium autem, cùm quis unum aliquod animal intuetur, manúque ei admotâ, dicit, hoc animal holocausti nomine, aut nomine victimæ salutaris immolabo.*

Quæ varia nuncupandi ratio eò valuit, ut siquod fortè periret animal ad sacrum voluntarium nuncupatum, continuò nuncupationis ejus, (sine ullâ victimâ immolatâ) dissoluta esset obligatio. Quod in voto contrà comparatum erat. Neque enim quisquam voti reus, nisi tali victimâ, qualem vo-
(a) *Abrab. ibid.* visset, immolatâ, voto unquàm exolvi potuit (a). Adde quòd sacra voluntaria ab iis sæpe facta essent, quibus nulla pericula imminebant. Votiva autem (sive holocausta, sive sacrificia salutaria) illi præcipuè nuncuparent, qui in periculis versabantur,
(b) *Judic.* 11. 30,31. ut *Jephtes* instante bello *Ammonitico* (b), *Jonas*
(c) *Jon.* 2. 9. in ventre piscis clausus (c), ac denique (uti præ se
(d) 2 *Sam.* 15. 7,8. ferebat) *Absolomus* patriâ suâ exulans (d). Atque huc pertinet *Davidis* illud, de quo paulò ante memini; *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in tribulati-*
(e) *Ps.* 10. 13, 14. *one mea* (e). Quibus etiam alia illa adde (f), *In*
(f) *Psal.* 56. 12,13. *me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi; quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu.* Ex quibus facilè intelligitur eos præcipuè sacra votiva nuncupâsse, qui in periculis constituti erant.

IV. Sed

IV. Sed & eadem quoque Sacrorum genera, votiva utique & voluntaria, gentibus extraneis in usu erant; quæ & tum præcipuè faciebant, cùm vel versarentur in periculis, vel gravia & ardua aggrederentur. Ita nautas illos, quibus se credidit *Jonas* vates, cùm gravi tempestate perculsi essent, alia feciſſe, alia voviſſe sacra legimus (*g*). Ita *Galli* etiam, ut docet *Cæsar* (*h*), *Quoties affecti erant gravioribus morbis, vel prælis periculisq; versabantur, pro victimis etiam homines immolabant, aut se immolaturos vovebant.* Unde, quod ex Scholiaste in *Euripidem* liquet, mos immolandi ante bellum extitit. εἰώθασιν οἱ βασιλεῖς εἰς πόλεμον μέλλοντες ἐξιέναι θύειν τοῖς θεοῖς (*i*), *Reges ad bellum ituri diis sacrificare solent.* Sed & sacra quoque vovere soliti, qui ardua quævis suscipiebant. Quo factum, ut prætores Romani, antequàm in provincias suas irent, vota plerumque nuncuparent (*k*). Formulam autem, quâ vota ista concepta erant, præire solebat Pontifex maximus. Eáque, ut aiunt, ejusmodi fuit. *Quod si Jupiter faxis, tunc tibi bove aurato futurum vovemus.* Sacra autem votiva & voluntaria profanis gentibus usitata an victimarum salutarium, an fortè holocaustorum ritu, an utrovis, ut visum esset, fierent, nostri non est instituti quærere. Quare nunc ad Judæos redeundum.

(*g*) *Jon.* 1.16.
(*h*) *De bello Gallic.l.6.*
(*i*) *In Oreſt.*
(*k*) *Cæsar de bello civili,l.1.*

V. Ac quidem ut votiva & voluntaria pro rebus prosperis impetrandis fieri solebant sacrificia; ita Eucharistica pro impetratis; præsertim ab his, qui vel periculis gravioribus liberati erant, & elapsi, vel magnis beneficiis affecti. Quod satis docet *Davidis* illud (*l*), *Quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ, dirupisti vinc-*

(*l*) *Psalm.* 116. 16, 17.

*cula*

*cula mea* (לך אובח זבח תודה *tibi ſacrificabo hoſtiam Eucharıſticam*, & *nomen Domini invocabo.*
(m) 2 Par. 29. 30 Ita factum erat, ut *Hezekias* (*m*), exutis ritibus peregrinis, patriâque religione reſtitutâ Euchariſticas victimas immolari vellet. Quales etiam *Manaſſem* mactâſſe conſtat patriæ ſuæ, regnóque red-
(n) 2 Par. 33. 16 ditum (*n*). Quippe par optimo cuique viſum; quoties de ſalute ſibi præſtitâ Deo gratias ſolennes ageret, in majorem grati animi ſpeciem Euchariſticas victimas immolare. Hue etiam ſpectant, quæ Judæi hoc de ſacrorum genere docent. Quip-
(o) Ad Lev. 7. pe quo de genere ſic *Abenezra* (*o*), זעמו סיתן תודה לשם שנמלט מצרה Sacrificium Eucharıſticum *eò pertinet, ut quiſque anguſtiis liberatus propter*
(p) Ibid. *hoc laudem Deo tribuat.* Et R. *Solomon Jarchi* (*p*), על נס שנעשה לו כגון יורדי הים והולכי מדברי וחבושי בית האסורין וחולה ונתרפא שהן צריכי להודות Sacrum quiſque Eucharıſticum Deo reddet, *cui aliquid miraculi ſimile factum eſt. Qui maria navigavit, qui peragravit deſerta, qui carcere liberatus eſt, qui convaluit ex morbo: par enim eſt, ut hi maximè Deum laudent.* Eadémque de hoc ſacrificii genere *Abrabenelis* etiam eſt ſenten-
(q) Ibid. tia (*q*).

VI. Cæterùm ad ſacra Euchariſtica aliquo modo referri poſſunt alia illa ſalutaria legis juſſu imperata. Nimirùm *aries Naziræi* dictus, & שלמי חגיגה *ſalutaria feſtiva*, & *lætifica* feriis majoribus fieri ſolita. Naziræus enim voto perfunctus arietem immolare juſſus erat, ut ſacrum quoddam Eu-
(r) Num. 6. 17. chariſticum, ob votum ritè perſolutum (*r*). Quo factum, ut arieti illi panes azymi addendi eſſent, quales ad ſacra Euchariſtica rite adjungendos fuiſſe con-

constat (*s*). Atque etiam sacra salutaria feriis solennibus fieri solita ad commemorandas Dei laudes (*t*), ut & feriæ ipsæ, pertinebant. Quanquam quidem, ut Judæis (*u*) placet, salutaribus solennium feriarum sacris panis nullus adjungendus esset; secùs atque in reliquis comparatum fuit. Sed & sacrum fœtu primogenito factum, & quod decimando lectum erat, (quod utriusque ratio docet) in genere Eucharistico poni possunt. Deus enim, postquàm Israelitis hominum, & pecudum primogenitos à peste Ægyptiacâ conservârat, in tanti beneficii memoriam masculos primo partu editos sibi sacros esse deinceps voluit (*x*). Ita factum, ut tales omnes masculos pecorum ad sacrificia purorum posteà sibi immolari vellet (*y*). Ita factum etiam, ut pueros omnes, qui matribus primogeniti erant, quinis redimi siclis vellet Sacerdotibus suis numeratis (*a*). Quæ tamen Lex, ut Judæis visum, minimè pertinebat ad tribum Leviticam, quippe cujus erant mares omnes sacris in perpetuum addicti. Ita factum denique, ut masculos asinorum fœtus primo matrum partu editos vel ove surrogatâ redimi, vel saltem (nequis ex sacrilegio commodum fortè ullum caperet) capitibus suis truncari vellet (*b*). Quæ tamen Lex minimè valuisse dicitur in aliis ejusmodi animalibus, equis putà, aut camelis. Utpote qualia populo Hebræo apud Ægyptios servienti nulla fuisse judicantur. Ita scilicet *Abenezræ* visum (*c*), לא היו לישראל בהמות טמאות כי אם החמורים לבדם על כן לא יפדה בכור מן אחר *Israeli* in Ægypto servienti *nullum, præter asininum, pecorum immundorum genus fuit. Ideóque nisi ex hoc genere nihil primogenitum redimendum.* Ea ergo

(*s*) *Lev.* 7.12.

(*t*) *v. Deut.* 16. 2,10,11,12, 16,17.

(*u*) Maimon. *in præf. ad Zebachim & in Maase Korban. cap.* 3.

(*x*) *Num.* 3.13.

(*y*) *Ex.* 13.15. & *Num.* 18.17.

(*a*) *Num.* 3. 47.

(*b*) *Ex.* 13. 13.

(*c*) *Ibid.*

*Abenezræ* ſententia eſt; Nullos omninò legis juſſu redimi debuiſſe primogenitos, niſi quales ſibi ſacravit Deus à peſte Ægyptiacâ conſervando. Nullos ab eâ peſte ſervatos, niſi qui populi Hebræi erant. Nullúmque pecorum immundorum genus populo Hebræo tum fuiſſe, niſi tantùm genus aſininum. Quamobrem quod alio in loco dicitur (*d*), *primogenitum animalis immundi redimes*, de uno genere aſinino Judæi intelligendum judicant.

(*d*) *Num.* 18. 15.

Jam omnis victimæ ex fœtu primogenito datæ caro integra Sacerdoti ceſſit. Ita Deus Sacerdotem alloquens (*e*), *Primogenitum bovis, & ovis, & capræ non facies redimi, quia ſanctificata ſunt Domino: ſanguinem tantùm eorum fundes ſuper altare, & adipes adolebis in ſuaviſſimum odorem Domino. Carnes verò in uſum tuum cedent, ſicut pectuſculum conſecratum, & armus dexter tua erunt.* Ex quibus id, quod aliàs dicitur de maribus primo partu editis (*f*), *In conſpectu Domini Dei tui comedes ea*, non gregis armentive Domino, ſed Sacerdoti dici liquet. Quòd ſi quis fortè fœtus maſculus primo matris partu editus vitio ullo notaretur, is ſanè ſacrificii nomine neutiquàm immolandus erat (*g*), veruntamen Sacerdotibus dandus; ejuſque carnibus ubivis veſci non tantùm ipſis Sacerdotibus, ſed & aliis quibuſcunque licuit (*h*).

(*e*) *Num.* 18. 17, 18.

(*f*) *Deut.* 15. 20.

(*g*) *v.* 21.

(*h*) *v.* 22.

VII. Huc etiam pertinent victimæ illæ, quæ ex agnis, hædis, vitulíſque decimandi ſorte lectæ erant (*i*). Nam decimæ ex grege & armento Deo quotannis reddendæ erant, ut ſacra quædam Euchariſtica pro omnibus eis vitæ commodis, quæ quiſ-

(*i*) *Lev.* 27. 32.

quisque ex pecore percipiebat. Qualis autem pecudes decimandi apud Hebræos mos fuit, *Maimonidis* illa satis explicant (*k*), מי שהיו לו עשרה (*k*) *In Bechoroth, cap. 7.*
טלאים והפריש אחד מהן היו לו מארה והפריש ו' למעשר
אין אלו מעשר אלא כיצד עושרה כונס כל הטלאים
או כל העגלים לדיר ועושה לו פתח קטן כדי שלא
יצאו שנים כאחד ואמותיהן מעמיד מבחוץ והן נועות
כדי שישמעו הטלאים קולן ויצאו מן הדיר לקראתן
שנאמר כל אשר יעבור תחת השבט שיעבור מצותו
ולא שיוציאו בידו ובשיוציאו מן הדיר וה אחר וה
מתחיל ומונה אותם בשבט אחד שנים שלש ארבעה
חמש ששה שבעה שמונה תשעה והיוצא עשירי בין
זכר בין נקבה בין חמים בין בעל מום סוקרו בסקוא
ואומר הרי זה מעשר *Siquis ex decem agnis unum, vel è centum decem segregaverit, hic sanè decimas nequaquàm reddit. Quid ergo facit? agnos, hædos, vitulósve omnes in caulâ claudit, cui ostium tam angustum facit, ut duo simul exire nequeant. Quo facto, matres foris sistit, earum ut audito balatu fœtus ad eas egrediantur. Huc utique spectat edictum illud* (*l*). Quicquid sub (*l*) *Liv. 27. 32.*
virgam exierit; *quâ lege cautum est, ut fœtus suâ sponte exeant, & ne manu extrahantur. Egredientes autem, alterum ex altero virga numerat sic. Unus, duo, tres, quatuor, quinque, sex, septem, novem, eumque, decimus qui egreditur, sive integer, sive maculatus, sive masculus, sive fœmina fuerit, minio notat; dicítque, Hic ad decimas consecrator.* Decimus itaque qui exibat, si sacrificio idoneus erat, Deo ritè immolandus erat; sin fortè vitio maculatus esset, ubivis ritè comedi potuit, nequaquàm verò pecuniâ redimi, aliáve cum pecude commutari. Qualis verò cunque erat, caro tota gregis armentíve Domino, nulla

Sacerdotibus cessit. Ita saltem *Maimonidi* visum hâc de victimâ differenti (*m*), אין לכהנים בו כולם אלא כולו לבעלים כפסח ואם היה בעל מום בין שנפל בו בין שהפרישה בתחלה בטלו הרי זה נאכל בכל מקום *Nulla est in ea Sacerdotis portio; ea quippe tota ad offerentes, sicut Paschalis victima, pertinet. Quod si maculâ ullâ notetur, seu macula illa, postquàm ad decimas sacrata fuit, seu quidem anteà, nata esset, ubivis rite comedi potest.* Neque aliter *Obadias de Bartenora* (*n*), לא מצינו בכל התורה שהיה לכהנים חלק בו Pecudis ad decimas consecratæ *partem ullam Sacerdotibus datam esse totâ ex lege non comperimus.* Verùm hæc ad alium locum pertinent. Nunc aggrediendum ad sacra illa, quæ, quia ad piacula expianda, veniámque impetrandam facta erant, piacularia dici solent.

(*m*) *In Bechoroth, cap. 6.*

(*n*) *Ad Zebachim, c. 5.*

C. A P.

## CAP. XII.

### *De Sacrificiis piacularibus* חטאות *appellatis.*

I. DUO Hebræis imperata erant ſacrorum piacularium genera; quorum alterum חטאת, alterum אשם in ſacris literis appellatur. Illud noſtris *Sacrificium pro peccato*, hoc *pro delicto*, *pro reatu*, itémque *pro noxâ* dici ſolet. Quæ vocabula, rerum ipſarum vim etiamſi parùm quidem attingant, nobis tamen retinenda ſunt, quia aptiora non occurrunt. Sed & ſacrificiorum pro peccato Judæi duo ponunt genera, quorum illud pauperibus ac divitibus prorſùs æquale ſtatutum erat, hoc autem majus minúſve fuit pro variis hominum facultatibus. Quo fit ut illud חטאת קבועה *ſacrum piaculare definitum*, hoc עולה ויורד *aſcendens & deſcendens*, nempe majus minúſve nominetur.

II. Prius illud, quod *definitum* vocant, Judæi ſic definire ſolent, ut talia contra leges vetantes inſciorum aut imprudentium facta expiaret, qualia, ſi conſciorum fuiſſent, *exitio* divinitùs inferendo כרת dicto luenda eſſent; Ita ut peccati cujuſque ratio, quod quidem hoc ſacrificii genere expiandum fuiſſe judicatur, quatuor ex conditionibus exiſteret. Primò ſi contra legem vetantem, deinde ſi incogitatò fieret, tertiò ſi factis ſubjiceretur; non dictis tantùm, aut cogitatis, ultimò ſi tale

tale etiam esset, quale quidem cogitatò factum peccantis exitio luendum erat. Ac tria illa primò posita, nimirùm ut contra legem vetantem, ut per ignorantiam aut imprudentiam, ut opere quoque, non dictis tantùm, aut cogitatis peccarentur, quæ hujusmodi victimis purganda erant, legis ipsa verba docere judicant. *Anima quæ peccaverit per ignorantiam, & de universis mandatis Domini quæ præcepit, ut non fierent, quicquam fecerit* (o), juvencum, hædum, agnam, capellámve offeret pro peccato suo. Omissa scilicet officio posteà ritè præstito plerúmque saltèm redimi poterant, atque ita sanè, quàm sacrificiis rectiùs redempta censebantur. Quæ verò dictis, & cogitatis per imprudentiam peccabantur, ea profectò plura erant, quàm quibus singulis expiandis greges ulli sufficiissent, ideóque pœnitenti cuique sine sacrificio condonata. Jam verò id, quod ultimum erat, nimirùm ut peccatum omne hujusmodi victimâ expiandum tale esset, quale cogitatò factum peccantis exitio luendum erat, Judæi hinc constare judicant; quòd Deus cùm inconsultò peccantes hoc ipso sacrificii genere culpam expiare jusserat, his, qui elatâ manu peccabant, exitium continuò comminetur (p). Hinc enim colligunt peccata omnia hujusmodi victimis expianda eo in genere extitisse, cui cogitatò perpetrato exitium denunciatum fuit. Verumenimverò locutio illa, quâ quis in Deum *elatâ manu* peccare dicitur, certum nullum indicat peccati genus, sed certam peccandi rationem; qualis est eorum, qui jussa Dei aspernantur, legibúsque ejus contemptum afferunt quovis in peccati genere. Quod cùm ita sit, ego id probabile judicaverim, omnia contra leges vetantes insciorum

(o) *Lev.* 4.2.

(p) *Num.* 15.27, 28,29,30.

rum aut imprudentium facta piaculo, quod definitum vocant, rite fuiſſe expianda, præter ea, quæ vel aliis piaculis, (de quibus mox videndum eſt) vel aliâ ratione expiabantur. Atque huc homicidium involuntarium, (id quod *exilio* (*q*), non *piaculo* purgandum erat) huc noxas in re familiari incogitatò proximo factas, miniméque abjuratas refero; quæ ſine victimâ piaculari damnum præſtantibus remiſſa erant.

(*q*) *Num.*35.& *Deut.* 19.

III. Cæterùm, ut ad Judæos redeam, hi duo notant peccatorum genera, quæ, licèt cogitatò facta exitio quidem luenda eſſent, facta tamen incogitatò majori, minoríve victimâ expiari rite potuerunt. Ea autem duo eorum erant, qui, cùm immunditiâ polluti eſſent, vel rebus ſacris veſcebantur (*r*), vel in ſanctuarium penetrabant (*s*). Ita fit, ut Judæorum Magiſtri tria tantùm & quadraginta peccata, eáque incogitatò facta, piaculis definitis expianda judicent. Quippe plura minimè fuiſſe ſtatuunt, (ſi dicta exceperis, & omiſſa, duóque jam nominata facta) quibus vel cogitatò admiſſis exitium denunciatum fuerit. Ac quidem eorum peccatorum viginti ſex, ut Judæis placet (*t*), ex illicito coitu extiterunt, quæ omnia prudens prætermitto. Reliqua verò (*u*) eorum erant, qui magos conſulebant hariolóſve (*x*); qui prolem Molocho immolabant (*y*); qui Sabbatum (*z*), diémve expiationis (*a*) profano opere temerabant; qui cibum, potúmve capiebant eodem expiationis die (*b*); qui intra ſeptem Paſchales ferias quicquam guſtabant fermentatum (*c*); qui rebus ſacris veſcebantur ultra tempus ſtatutum aſſervatis (*d*); qui ſebo (*e*), qui ſanguine (*f*) veſcebantur, fœtidíſve victimarum carnibus (*g*); Qui

(*r*) *Lev.* 7. 20, 21.
(*s*) *Lev.*15.31. & *Num.*19.20.
(*t*) Maimon.*in Schegagoth*,*c.*1.
(*u*) *Ibid.*
(*x*) *Lev.*20.6.
(*y*) *Lev.* 20. 5.
(*z*) *Ex.*31.14.
(*a*) *Lev.*23.30.
(*b*) *Lev.*23.29, 30.
(*c*) *Ex.* 12.15.
(*d*) *Lev.*19.8.
(*e*) *Lev.* 7.25.
(*f*) *Lev.* 7. 27.
(*g*) *Lev.*7.18.

Vi-

victimam mactabant in loco profano (*h*), hoc est, extra sanctuarium; qui in loco profano profectâ porriciebant (*i*); qui sacrum unguentum, (*k*) qui suffitum sacrum (*l*) ad usus profanos conficiebant; & (quod peccatum gravius erat) qui unguento illo se ungebant (*m*). Tot ergo, ac talia peccata erant, qualia, cum incogitatò fierent, piaculo, quod definitum vocant, ritè expurganda fuisse Judæi plerique omnes judicant. Unum excipio *Abenezram*, qui idem hoc sacrificii genus his etiam imperatum judicat, qui talia inscii admittebant, qualia cogitatò perpetrata verberibus punienda erant (*n*). Peccata autem, quibus quidem cogitatò factis flagra proposita fuisse dicunt, ducenta septem numerare solent (*o*); ita ut sententia *Abenezræ* multò minùs à nostrâ distet, quàm quæ Judæis reliquis placet. Nostra quæ sit, cum paulò antè explicaverim, nihil est cur hoc in loco repetam.

(*h*) *Lev.* 17. 4.
(*i*) *Ibid.*
(*k*) *Ex.* 30. 33.
(*l*) *Ex.* 30. 38.
(*m*) *Ex.* 30. 33.
(*n*) *ad Lev.* 4.
(*o*) Maimon. *in Sanhedrin*, c. 19.

IV. Jam ad piaculum definitum Pontifex vitulum (*p*), princeps hœdum (*q*), homo quisque gregarius capellam, aut agnam (*r*) adhibere jussus est; ita tamen, ut Naziræis funestatis (*s*), hisque, quibus immolandum erat ad expurgandam immunditiam sanguinis, seminisve fluxu ortam (*t*), cujuscunque ordinis, aut sexûs essent, turtur, aut columbæ pullus piaculi nomine imperatus esset. Cui etiam & altera ejusmodi avis jungenda fuit holocausti ritu conficienda (*u*). Quod autem victimâ purganda esset gravior omnis corporis immunditia, id quidem eò spectâsse putant, ut hinc quisque intelligeret multò magis cavendum esse ab omni animi impuritate, quippe quòd plurimæ Hebræorum leges ejusmodi *symbolicas* significationes, sen-

(*p*) *Lev.* 4. 4.
(*q*) *v.* 23.
(*r*) *v.* 28. 32.
(*s*) *Num.* 6. 10, 11.
(*t*) *Lev.* 15. 15, 30.
(*u*) *Ibid.*

ſenſúſque quoſdam arcanos haberent. Addé quòd eis immunditiis, quæ victimis expurgari debuerint, contagio talis adhæreret, qualis alios morbo inquinaret, ut qui eis polluebantur, iidem & alios polluiſſe, aliis nocuiſſe crederentur, ideõque etiam piaculi rei. *Sciendum*, inquit *Grotius* (*x*), *in Syriæ locis, & vicinis non minùs τῷ γονόῤῥοιαν, quàm τὰ ἔμμηνα habere aliquid contagione nocens, unde iſta legibus, quæ à lepræ legibus non longè abeunt, conſtringuntur.* Accedit etiam, quòd lepra, ac ſanguinis, ſeminíſque flũxio ex vitâ minùs ſanctè actâ ortum ſæpenumerò haberet. Quò minùs mirum, ſi ſacrâ lege cautum eſſet, ut morbis illis inquinati piaculari hoſtiâ purgarentur. Sed & ita fortè ſignificatum, mortalia & immunda hominum corpora non niſi ſacrificio aliquo (id autem eſt ſacrificium Chriſti, cujus hæc omnia figuræ erant) ad immortalitatem ſacratum iri. Utcunque ſit, ad ſanctuarii reverentiam pertinebat, ut nemo, qui graviori aliquâ corporis immunditiâ pollutus fuerat, niſi victimâ piaculari luſtratus eò redire permitteretur. Quod autem ad ſanctuarii reverentiam, idem illud ad reverentiam Dei, ejuſdem incolæ, pertinebat.

(*x*) ad Lev. 15. 2.

V. Hactenùs de piaculo definito, nunc ad alterum illud venio, quod עולה ויורד *majus minuſque* dici ſolet. Ac quidem his quoque ſacrificiis, quæ pro facultatibus offerentis majora minorave erant, certa quædam & peccatorum, & immunditiarum genera purganda erant. Atque ita fit, ut hoc in genere ſex ſacrificia reperiantur. Quorum quæ duo inſtituta erant ad luſtrandam corporis impuritatem, ita quidem lege conſtringebantur, ut cui

nec agnæ, nec capellæ facultas esset, hic unum turturem, columbæve pullum piaculi nomine sacrificare, alterum autem holocausti, deberet. Quod in quatuor reliquis paulò laxiùs provisum fuit. Quippe quæ sic comparata erant, ut qui piaculi reus èsset, si paupertate premeretur, similaceo ferto litare posset (*y*); quod מנחת חוטא *fertum sontis* dici solet; de quo priùs satis dictum est.

(*y*) *v. Lev. 5.*

VI. Primum itaque hujus generis sacrificium leprosis institutum erat post lepram exutam faciendum (*z*). Cujus quidem legis, ut antè monui, variæ rationes afferri possunt. Judæis una præ reliquis placet; utpote qui neminem unquàm nisi ob culpam piacularem leprâ affectum esse judicant. Ex quo *Abrabenelis* illa (*a*) והיה ור"ל לפי שיסוד התורה ופנת האמונה הוא שכל מה שיכרה לאנשי האום יהיה בהשגחת לתת לאיש כדרכיו וכפרי מעלליו ומפני ור"ל יחשב המצורע שבחטאו ואשמו נצטרע *Hoc* leprosi sacrificium *eâ de causâ factum erat, quia scilicet fundamentum legis, fideique omninò caput est, omnia, quæ hominibus eveniunt, pro suis cujusque factis ac meritis Divinâ Providentiâ evenire. Ita ut se leprosus quisque propter peccata noxásque suas leprâ pollutum judicare debeat.* Ac lepra quidem *Maimonidi* maledicentiæ pœna (*b*), *Grotio* verò superbiæ (*c*) visa est. Quo factum judicat, ut lignum cedrinum, vermiculus, & hyssopus ad leprosum lustrandum adhiberentur. *Lepra*, inquit, *superbiæ pœna, ut apparet in* Miriamne Mosis *sorore*, Giezi, & Ozia. *Hanc superbiam cedrus significat: vermiculus, sive coccinum, peccatum, & hyssopus oppositam virtutem ταπειν ροσυνην. Humi enim nascitur, & vim habet purgatricem*

(*z*) *Lev. 14.*

(*a*) *ad Lev. 14.*

(*b*) *More Nevoch. part. 3. c. 4.*

(*c*) *ad Lev. 14.*

*tricem hyſſopus, ut Ægyptiis creditum ex* Chæremone *docet* Porphyrius, *de abſtinentiâ quarto.*

VII. Alterum ejuſdem generis ſacrificium puerperis imperatum fuit poſt puerperium faciendum (*d*). Cujus eadem atque proximè dicti *Abrabeneli* ratio viſa eſt (*e*), מפני שאין אדם שעובר עליו צרה וצוקה בעולם הזה אם לא יחטא ויסלף דרכו באולתו ובארוֹל אין יסורין בלא עון והיולדת סבלה צרה וסכנה בהיותה על האבנים לכן היתה מקריבה גם כן חטאת *Cùm nemo dolores & moleſtias citra culpam hoc in mundo ferat, cúmque, ut docent optimæ memoriæ Rabbini noſtri, nulla ſine peccato ſit caſtigatio, cúmque denique mulier quæque cum dolore periculóque pariat, fit, ut ſacrificium piaculare puerperæ cuique imperetur.*

(*d*) *Lev.* 12.

(*e*) *ad Lev.* 12.

VIII. Tertium ejuſdem notæ ſacrificium eis omnibus imperatum erat, qui, dum immunditiâ polluebantur rei immundæ contactu ortâ, ſacris inſcii veſcebantur (*f*). Cui etiam & quartum ſimile fuit; ut quod ab eis faciendum eſſet, qui in Sanctuarium penetrabant immunditiæ, quâ polluebantur, vel neſcii omnino, vel obliti (*g*). Jam verò hi, qui labe aliquâ polluebantur aliunde ſibi affricatâ, niſi vel ſacris veſcerentur, vel in ſanctuarium penetrarent, piaculi minimè rei erant; veruntamen ad luſtrationem ſuam carnem ac veſtes lavare juſſi (*h*), ac quoties funere polluebantur, curare, ut aquis piacularibus corpora ſua conſpergerentur (*i*). Quos utique ritus executi ſine ſacrificio piaculari ritè luſtrati cenſebantur (*k*). Neque enim ulla immunditia niſi vel lepra, vel pu-

(*f*) *Lev.* 5.

(*g*) *Ibid.*

(*h*) *Lev.* 11.28. 40. *& paſſim.*

(*i*) *Num.* 19.19, 20.

(*k*) *Confer Lev.* 5.3,4. *cum Num.* 19. 19,20.

puerperio, vel sanguinis seminisve fluxu orta, sine voto aut facto accedente, ipsa per se tanta fuit, ut victimâ expurgari deleret. Quare hi, qui labe polluebantur rei immundæ contactu ortâ, exceptis solummodò Naziræis, piaculi minime rei erant, nisi vel sacra, vel sanctuarium per imprudentiam inquinarent. Naziræi autem funestati idcircò piaculi rei erant, quia cuique, qui Naziræi votum in se susceperat, ab humano cadavere cavendum erat, quoad voto suo perfunctus esset (*l*).

(*l*) *Num*, 6.6.

IX. Quintum huc referendum sacrificium eis omnibus imperatum erat, qui, cùm de re, cujus conscii erant, ad jusjurandum vocabantur, testimonium suum supprimebant (*m*). Hebræis utique moris fuit, quò veri confessionem exprimerent, solennibus uti obtestandi formulis. Cujusmodi fuit *Achabi* illud *Michaiæ* dictum (*n*), אני משביעך אשר לא תדבר אלי רק אמת בשם יהוה *Obtestor te per nomen Dei, ne mihi aliud quàm verum dicas.* Idque, quod Pontifex Christo dixit (*o*), ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ἵνα ἡμῖν εἴπῃς, εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. *Adjuro te per Deum viventem, ut nobis dicas, an tu sis Christus Dei filius.* Ejusmodi formula aliqua fuit, quâ testes pro tribunali (*p*) stantes ad testimonium dicendum adacti erant. Eáque *Mosi* קול אלה, Græcis Interpretibus φωνὴ ὁρκισμοῦ *vox adjurationis* dicta est (*q*). Quâ auditâ siquis veri conscius testimonium suum subticeret, piaculi omninò reus erat.

(*m*) *Lev.* 5.5.

(*n*) 2 *Par.* 18.15

(*o*) *Mat.* 26.63

(*p*) *Prov.* 29.24

(*q*) *Lev.* 5.1.

X. Ul-

X. Ultimum ejuſdem generis ſacrificium *Maimonides* his imperatum dicit, qui vel de re præteritâ per imprudentiam pejerabant, vel de re futurâ, ac poſſibili, & quidem ſibi licitâ jurati ſecùs, atque ſe facturos juraverant, memoriæ lapſu faciebant (*r*). Hebræi ſcilicet quadruplex jusjurandum ponunt (*s*); Primum שבועת עדות *jusjurandum teſtimonii*; quale eſt teſtium pro tribunali; de quo antè ſatis dictum. Alterum שבועת פקדון *jusjurandum de pignore.* Quale eſt eorum, qui de re alienâ ſibi concreditâ, aut inventâ, aut vi, dolóve ereptâ jurant (*t*), de quo mox dicturi ſumus. Tertium שבועת שוא *jusjurandum vanum.* Cui generi partes quatuor ſubjiciunt. Quarum prima eſt de re præſenti, eâdemque manifeſtò falſa: Ut ſiquis marmor aurum eſſe juret. Altera etiam de re præſenti, eâdemque manifeſtò verâ, quæ nemini dubia eſſe poteſt: Ut ſiquis juret marmor eſſe marmor. Tertia de re prorſus illicitâ; ut ſiquis ſe officium quodvis deinceps minimè præſtiturum juret. Ultima de re planè impoſſibili: Ut ſiquis decem dierum jejunium jurejurando in ſe recipiat. Atque hoc de genere, cui omnes iſtas partes ſubjiciunt, ita judicant, ut qui in eo prudens peccabat, hic peccatum in ſe admiſſum flagris omninò luere deberet. Inſcius autem qui delinquebat, huic ad culpam expiandam, ſine ullâ victimâ piaculari, ſola pœnitentia ſufficeret. Quartum jurisjurandi genus (quod unum hunc ad locum referunt) nomine ex ſacris literis ſumpto (*u*), שבועת בטוי *jusjurandum pronunciatum* vocant. Cujus generis quatuor faciunt partes; priores duas de re præteritâ, alteram affirmantem, negantem alteram. Ut ſiquis ju-

(*r*) Maimonid. Schebuoth. c. 1.
(*s*) Ibid.
(*t*) Lev. 6.
(*u*) Lev. 5. 4.

juret hoc, vel illud factum, vel non factum esse. Totidémque, ac tales de re futurâ: ut siquis se dormiturum hodie, vel non dormiturum esse juret. Atque hoc de genere omnibúsque adeò ejusdem partibus Judæi ita statutum judicant, ut qui in earum partium aliqua sciens atque prudens peccaret, huic nulla victima piacularis, sed verberum pœna statueretur, qui verò per imprudentiam peccaret, huic culpa, quando comperta esset, sacrificio majori minoríve, pro suâ cujusque facultate, legis jussu expianda esset. Hæc Judæi. Quid autem *Moses* hâc de re legem scribens? *Anima*, inquit, *quæ juraverit, & protulerit labiis suis, ut malè quid faceret, vel benè, & id ipsum juramento & sermone firmaverit, oblitáque posteà intellexerit delictum suum, confiteatur peccatum, &* (x) Lev. 5. 4, 6. *offerat de gregibus agnam, aut capram* (x), nempe si alterutram assequi possit, sin minùs, binos turtures, binósve pullos columbinos, alterum piaculi, alterum holocausti ritu conficiendum ad Sacerdotem afferre jussus est. Quales tamen volucres præ paupertate cui defuerunt, siliginis Ephæ decimâ parte litare potuit (y). Jam verba illa, *Anima quæ juraverit, &* (y) v. 7. 11. *protulerit labiis suis ut malè quid faceret, vel bene*, nullum designant (quicquid Judæi contrà disputant) jurisjurandi genus aliud, nisi quod de futuro conceptum erat. Quod autem de malè faciendo dicitur, illud de pœnis lege permissis intelligendum; ut de postulatione talionis, & de vindictâ in homicidam, aliísque ejusdem generis pœnis.

CAP.

## CAP. XIII.

*De Sacrificiis piacularibus* אשמות *dictis. Itemque de Sacrificio Paschali.*

I. HActenùs de sacris pro peccato factis, quæ *Mosi* חטאות dici solent. Sequuntur victimæ pro noxâ cæsæ. Earúmque, ut Judæis visum, duo quoque genera extiterunt. Quorum alterum אשם תלוי *victima pro noxâ dubiâ*, alterum אשם ודאי *victima pro noxâ certâ* dicitur. Jam victimam pro noxâ dubiâ dictam Judæi his imperatam dicunt, quibus aliqua suspicio injecta fuit tale se piaculum admisisse, quale, cùm certò compertum esset, ejusmodi victimâ expiandum erat, quæ חטאת קבועה *piaculum definitum* dicitur (z). Ita ut eorum peccatorum, quæ vel hoc, vel illo sacrificii genere expianda erant, eadem planè natura esset, sed non eadem conscientia. Si cui scilicet, inquiunt Judæi, certò notum & compertum esset se sebum, aut sanguinem, aut sacra aliqua ultra tempus statutum asservata per imprudentiam comedisse, huic culpa illa בחטאת קבועה *piaculo definito* expianda erat. Qui verò talis alicujus culpæ dubius tantùm, non certò sibi conscius esset, huic אשם תלוי *victimam pro noxâ dubiâ* dictam lege imperatam fuisse statuunt; neque eò minùs eandem culpam, si posteà certò comperta esset sacrificio piaculari definito expiari denuò debuisse.

(z) Maimon. *in Schegagoth*, c. 8.

buisse. Neque enim aliò valuisse victimam pro noxâ dubiâ dictam, nisi tantum ut suspenderet pœnam, quoad culpa certò comperta esset.

II. Jam legem fortè si requisiveris, quâ victima pro noxâ dubiâ dicta instituta sit, & imperata, Judæi *Mosis* illam proferunt (*a*), ואם נפש כי תחטא ועשתה אחת מכל מצות יהוה אשר לא תעשינה ולא ידע ואשם ונשא עונו והביא איל תמים מן הצאן בערכך לאשם אל הכהן וכפר עליו הכהן על שגגתו אשר שגג והוא לא ידע ונסלח לו Quibus utique verbis hanc sententiam subjectam judicant. *Homo autem cùm peccaverit, & contra quodvis præceptorum Domini, quod facere minimè licet, fecerit; etsi hoc se fecisse non certò nôrit, reus tamen est; & arietem integrum de pecore secundum æstimationem tuam ad Sacerdotem adducet, cujúsque errati non sit certò sibi conscius, eo purgabit eum Sacerdos, ita ut ei remittatur.* Ac quidem illud parùm dubium, quin quæ peccata in lege de piaculis definitis lata (*b*), eadem etiam hâc in lege designentur, utpote quæ (quod cuique patet) eisdem verbis describuntur (*c*). Neque tamen magis dubitandum, quin aliud in illâ, aliud autem hâc in lege victimæ genus imperetur. Nam illa plebeio cuique homini agnam omninò, aut capellam, hæc arietem omnibus imperat. Quî ergo factum, ut modò hoc, modò illo victimarum genere eadem peccata expianda essent? quia eorundem peccatorum aliàs certa, aliàs incerta conscientia fuit. Idque ipsum, inquiunt Judæi, *Moses* quoque explicatè docet; qui victimam pro peccato חטאת dictam tum demùm, cùm de peccato admisso certò constat, immolari jubet (*d*). Victimam autem, de quâ nunc agimus, huic, qui cul-

(*a*) *Lev.* 5. 17, 18.

(*b*) *Lev.* 4.

(*c*) *Confer Lev.* 4, 2, 22, 27. *cum Lev.* 5. 17.

(*d*) *Lev.* 4. 14, 23, 28. *& Lev.* 5. 4.

pæ

pæ dubius erat, ſed non certò conſcius imperat (*f*). Quo fit, ut hujuſmodi quæque victima אשם תלוי *victima pro noxâ dubiâ* dicatur. (*f*) *Lev.*5.17.

III. Jam victima de noxâ certâ cæſa, Hebræis אשם ודאי dicta, (ut & reliqua ferè omnia piacula) tam ad corporis quaſdam immunditias, quàm quidem ad noxas propriè dictas ritè expurgandas ſtatuta fuit. Atque ita fit, ut huic generi quinque victimæ accenſeantur (*g*). *Prima* Naziræis injuncta fuit inopinato funere inquinatis (*h*). *Altera* leprâ contaminatis poſt morbum exutum ſacrificanda (*i*). *Tertia* his, qui ſervam Hebræam vitiabant ſervo Hebræo deſponſatam (*k*). Cujuſmodi culpæ affines erant, qui, cùm ipſi Hebræi eſſent, fœminas tamen alienigenas in matrimonium accipiebant. Quo factum, ut Sacerdotes quidam, qui in exilio Babylonico uxores extraneas ſibi junxerant, hanc culpam hoc Sacrificii genere in Judæam reduces expiarent (*l*). Quod tamen, ut rectè monent Judæi, legis injuſſu faciebant. *Hoc*, inquit R. *Solomon Jarchi* (*m*), הוראת שעה היתה *horæ illius conſilium erat.* Et *Abenezra* (*n*), לא מצאנו עונש אשם לבועל נכריה ואולי עצת הראשים היה לעשות כן *Non comperimus piaculum noxale uxorem extraneam ducenti imperatum. Sed hoc fortaſſe principum conſilio factum erat.* (*g*) Maimon. *in Schegagoth*, c.9. (*h*) *Num.* 6.12. (*i*) *Lev.*14.12. (*k*) *Lev.*19,20, 21. (*l*) *Ezr.* 10.19. (*m*) *Ibid.* (*n*) *Ibid.*

*Quarta* hujus generis victima his omnibus conſtituta fuit, qui ſacra inſcii defraudabant (*o*). Qui tamen victimâ imperatâ ita demùm expiabantur, ſi ſacra Sacerdotibus redderent quintâ parte auctiora. *Ultima* his imperata fuit, qui rem alienam ſibi concreditam, aut inventam, aut vi ereptam, aut interverſam jurejurandò abnegabant (*p*). Quibus tamen ad veniam impetrandam illud etiam (*o*) *Lev.*5.16. (*p*) *Lev.*6. 2,3, 4,5,6.

præceptum fuit, ut rem falsò abjuratam, eámque quintâ parte auctam ejusdem justo ac proprio Domino, eóve mortuo, propinquis ejus, vel si propinquos non haberet, Sacerdotibus redderet (*q*). De damnis utique, quæ alteri alter inferebat, ita *Mosis* legibus constitutum erat. Qui noxam proximo suo factam suâ ipse sponte confitebatur, hic ut simplum damnum, sed nihil ampliùs, proximo præstaret, cautum erat (*r*). Qui verò noxam abnegabat, hic, si testibus incorruptis apud Judices reus perageretur, nullum victimæ piaculari, quâ se purgaret, locum habuit; sed aliàs duplo (*s*), aliàs quadruplo (*t*), aliàs quintuplo (*u*), aliàs tamen simplo tantùm (*x*) damnum præstare jussus erat. Jam verò noxæ proximo factæ qui coram Judicibus postulatus erat, neque tamen testibus convinci poterat, ad jusjurandum, *Domini* dictum (*y*), quo se purgaret, adigendus erat. Atque hic quidem, ut Judæis visum, licèt culpæ conscius pejeraret, si tamen suâ ipsius sponte culpam posteà confiteretur, summámque quintâ parte auctam his, quibus debuit, restitueret, piaculo expurgari poterat. Quod enim aliis in peccatis peccantis ignorantiæ aut imprudentiæ, nempe ut piaculo locus esset, illud in hoc pœnitentiæ datum, & quidem reipublicæ commodo. Pœnitentiæ autem testimonium luculentius esse nullum potuit, quàm culpæ sine testibus admissæ, culpæ priùs abnegatæ confessio planè voluntaria, damnique illati compensatio.

(*q*) *Num.* 5.7,8.

(*r*) Maimon. *in Gnuba.* c.1.

(*s*) *Ex.* 22.4,7.
(*t*) *Ex.* 22.1.
(*u*) *Ibid.*
(*x*) *Ex.* 22.6,7.

(*y*) *Ex.* 22.11.

IV. Verùm huic sententiæ maximè repugnat *Episcopius*, qui legem, cujus jam meminimus, nullas notare noxas judicat, nisi quas inscius, aut imprudens proximo quilibet inferebat (*z*). *Nec obstat,*

(*z*) *Inst. l.* 3. *c.* 3.

*ſtat*, inquit, *quod in textu legitur de extorſione, quæ per vim fit. Nam extorſio ejuſmodi ex errore etiam fieri poteſt. Ut ſiquis rem proximi, ſuam eſſe credens, proximo per vim extortum eat, ſibique vendicet.* Quod quidem etſi fieri poteſt, quò minùs tamen nullas noxas, niſi quæ errore natæ erant, modò dictâ lege notatas putem multa faciunt. Enimverò legis ipſius verba, כי כיחש בעמיתו בפקדון או בחשומרת יד או בגזל או עשק את עמיתו או מצא אבדה וכיחש בה ונשבע על שקר *Siquis proximo mentitus fuerit in re ſibi creditâ, aut in re, cui manum ſuam attulit, aut in rapto; vel ſi oppreſſerit proximum ſuum, aut perditum invenerit, & in eo mentitus fuerit, & pejeraverit.* Hæc, inquam, verba talium noxarum, qualium nocentes ſibi conſcii erant, tantam ſignificationem habent, ut niſi maximâ vi adhibitâ ad noxas per imprudentiam factas torqueri nequeant. Vox כחש de verbis prolatis dicta (quantum aliis ex locis colligi poteſt) dolum ſemper adſignificat. חשומרת יד ejuſmodi actionem notat, quâ quis rei alienæ *fraude adhibitâ manum affert* (*a*). גזל ſemper id deſignat, quod quis prædæ loco habet. עשק De eo dici ſolet, qui ita proximum ſuum opprimit, ut ſe quoque ipſe gravi culpâ (quæ rarò imprudentis eſt) obſtringat. Et שקר denique in tali mendacio poni ſolet, quale eſt eorum, qui falſum falſi conſcii loquuntur. Adde quòd quoties de piaculis errore natis expiandis agitur, peccantium error aut imprudentia (nequis fortè conſultò factis veniam proponi judicet) explicatis verbis memorari ſoleat (*b*). At hoc in loco nihil de peccantis ignorantiâ, nihil de imprudentiâ cautum, quod tamen, ſi de erratis tantùm hâc in le-

(*a*) *Ex.* 22.8.

(*b*) *Lev.*4.13, 22,27. *& Lev.* 5.2,3, 4,18.

ge ageretur, eo explicatiùs monendum erat, quo legis verba (quod cuique patet) noxarum cogitatò factarum majorem præ se speciem ferunt. Neque verò illud prætereundum, quòd sacræ literæ errore lapsos tum demùm immolare jubeant, cùm se peccâsse intellexerint (*c*). Quale nihil in hâc, de quâ nunc agimus, lege dictum. Quamobrem verò; Sanè quia hîc de iis agitur, qui se peccare tum, cùm peccabant, intelligebant.

(*c*) *Lev.* 4. 14, 23, 28. & *Lev.* 5. 4.

V. Quid autem ad hoc *Episcopius*? *Nullo*, inquit, *modo verisimile est. Quia hoc repugnat locis istis duobus*, *Exod.* 20. 7. *Num.* 15. 30. *ubi Deus ait non insontem abiturum eum*, *qui falsò juraverit*, & *excindendum è populo*, *qui elatâ manu peccaverit* (*d*). Quarum legum neutra mihi *Episcopii* sententiam probat. Nam, ut Judæorum hâc de re argutias mittam, prior illa, quâ edixit Deus non insontem abiturum eum, qui falsò juraverit, lex valdè generalis est; specialis autem hæc, de quâ in præsentia disputatur. Jam lex generalis speciali non derogat, sed specialis generali. Ex quo efficitur legem illam, quam hâc in causâ *Episcopius* urget, cum illâ semper intelligi debere exceptione, quam affert hæc, de quâ nunc agimus. Nec mirum sanè, si erga tale hominum genus, quale hâc in lege designatur præcipua quædam Dei gratia eluceret. Hoc enim genus eorum erat, qui, cùm aliorum testimonio fraudis minimè comperti essent, nec quidem comperiri possent, suâ tamen ipsorum sponte & culpam posteà confitebantur, & damnum quoque resarciebant. Quò & id (quod multùm refert) accedit, quòd reipublicæ interesset spes remissionis his proposita. Quippe quæ eò pertinebat, ut damna aliis

(*d*) *Episc. Inst. l.* 3. *c.* 3.

clàm

clam illata libentiùs quisque compensaret, quod desperatâ remissione nemo unquàm præstitisset. Quanquàm & id dubitari potest, an quibus ad veniam impetrandam victima immolanda erat, hi ut insontes abiisse legis sententiâ dici possint. Siquidem lex & hos etiam, eò quòd ad culpam expiandam victimam immolare deberent, *peccatum suum laturos* dicit (*e*). (*e*) *Lev.*5. 1,17

VI. Jam alterum illud, quod huc affert *Episcopius*, nempe his, qui elatâ manu peccabant, excidium denunciatum esse, ad locum hunc, quem nunc aperimus, nequaquàm pertinet. Hoc enim in loco (ut antè diximus) de iis agitur, qui licèt sibi quidem conscii, sine testibus tamen delinquebant, idque nullâ legis aspernatione, sed rei alienæ cupiditate; quales non peccabant *elatâ manu*. Neque enim *elatâ manu* peccabant, nisi qui (quod proximè dicta docent) *Deum probro afficiebant* (*f*). (*f*) *Num.*15.30 Nec quisquam Deum probro afficere censebatur, nisi qui in luce, oculisque hominum jussa ejus aspernabatur. Ac quidem *Abrabenel* eos tantùm elatâ manu peccare judicat, qui legem divinitùs datam negant, idque בפרסום ובכל רצונו ודעתו *palàm*, *protervè*, & *consultò* (*g*). *Abrabenelem* (*g*) *ad Num.*15 sequitur *Grotius* (*h*), ut qui locutionem illam, (*h*) *Ibid.* quâ quis in Deum *elatâ manu* peccare dicitur, de eo intelligendum statuat, *qui præfractè negat esse Deum, aut legem à Deo datam.* Verùm optimè hâc de re *Maimonides* (*i*), העושה ביד רמה (*i*) *In More Nevoch. part.*3. הוא המויד שיעיז פניו ויעבור בפרהסיא שוה אינו עובר *c.*41. לתאבון לבד ולא לעשות מה שמנעה התורה לעשותו לרוע מדותיו לבד אבל לחלוק על התורה ולעמוד כנגדה מפני וה אשר אה יי הוא מנדף והוא יהרוג בלא ספק ולא יעשה וה אלא מי שעלתה בלבו

רעה

רעת אחרת לחלוק בו על התורה *Elatâ manu peccat ille, qui frontem perfricat, palámque peccat. Qualis quisque contra legem facit non tantùm, quòd libidine suâ, pravisque cupiditatibus victus in rem vetitam abripiatur, sed quia legi fidem derogat, eique planè repugnare vult. Unde Deum probro afficere dicitur. Quod qui fecerit, sine dubio morte mulctari debet. Nemo enim ita unquam peccat, nisi cui in animo ejusmodi aliqua opinio insidet, quæ Legis autoritatem tollit.* Quod lex de eo judicari noluit, qui suâ ipsius voluntate damnum proximo clàm illatum confitebatur,& præstabat; etiamsi rei alienæ pravâ cupiditate abreptus contra animi sui conscientiam culpam illam priùs abjuraverat.

VII. Neque illud quenquam movere debet, quòd Autor divinus ad Hebræos peccata illa ἀγνοήματα vocet, quæ victimis expiata erant Jejunio anniver-
(k) Heb. 9. 7. sario cæsis (*k*). Illæ enim victimæ tales erant, quales חטאות dici solent, nempe victimæ de *peccato* cæsæ. At nunc de altero illo genere, quod pro *noxa* mactabatur, & in sacris literis אשם dicitur, vel potiùs de unâ quâdam parte generi illi subjectâ quæritur. Ut nihil ex altero eorum generum de altero toto judicari debeat. Quid? quòd Apostolus peccata victimis expiata ἀγνοήματα commodè vocare potuit, quia quidem talia omninò erant multò maximus eorum numerus, quæ victimis expianda erant. Quibus adde id, quod *Grotio* visum est, Apostolum eâ voce usum esse, ut Sacerdotis Maximi honori parceret. *Quanquam*, inquit, *in die ἱλασμῶν expiabantur omnia peccata, quibus in lege non erat adjecta mortis pœna, aut*

ἐξο-

ἐξολοθρεύσεως, *tamen maluit hic Scriptor uti voce* ἀγνοημάτων, *ut Summi Sacerdotis Hebraici honori parceret, qui & pro ſe offerebat, & precabatur; præſumi autem non debebat aliter peccâſſe quàm per ignorantiam* (*l*). Ego itaque (his ne diutiùs immorer) iis omnibus, qui damnum alteri clàm illatum vel culpæ conſcii abjurabant, locum victimæ piaculari, quâ ſe purgarent, relictum puto, ſi modò ſuâ ipſorum ſponte culpam poſteà confiterentur, damnúmque etiam reſarcirent. Quod minùs mirum videri debet, cùm certò conſtet alios quoſdam expiari victimâ potuiſſe, qui culpæ conſcii delinquebant. Tales enim erant (ut antè dixi) qui, cùm de re cujus conſcii erant, ſolenni quâdam obteſtatione teſtimonium dicere monerentur, teſtimonium ſuum ſupprimebant. Neque aliter de iis judicandum, qui ſervam Hebræam vitiabant ſervo Hebræo deſponſatam. Quamvis enim fieri quidem poſſet, ut quis ſponſalium eorum neſcius ejuſmodi culpam in ſe admitteret, eâ tamen in lege, quæ culpam illam victimâ expiari jubet, nulla talis cautio memoratur. Perperámque planè cautio omnis, cujus lex ipſa non meminerit, his in rebus interponitur, in quibus, quoties caveri vult, lex ipſa explicatè cavet.

(*l*) *Grot. ad Hebr. 9.7.*

VIII. Atque hæc de ſacris piacularibus tam de *peccato*, quàm *noxâ* factis. Quorum illa חטאות, hæc אשמות in ſacris literis (ut antè diximus) dici ſolent. Ita tamen, ut eidem victimæ nomen utrumque nonnunquàm detur (*m*). Illud fortè ſi requiſiveris, inter culpas ipſas חטאות & אשמות appellatas quid interfuit, mihi hâc de re ſæpè multúmque cogitanti nihil profectò unum occurrit, quo culpæ iſtæ internoſci queant. *Abrabenel* quidem

(*m*) *Lev. 5.6.*

(n) *In præf. ad Lev.*

dem (*n*) חטאת dictum esse statuit, quod quis se peccâsse certò nôrit. אשם verò de quo dubitaverit. Quæ definitio vitiosa est, quia ואי אשם *noxam certam* non complectitur. *Abenezra* quod legis ignorantiâ fit, illud חטאת, quod oblivione, illud אשם dictum judicat (*o*). Verùm ut neutrum eorum probat; ita etiam (quod & ipse monet) *noxam dubiam* hinc excipit. Interpretes Græci חטאת ἁμαρτίαν, אשם verò πλημμέλειαι vocant. Ex quo nihil planè proficimus. Neque enim constat quid interfit inter ἁμαρτίαν, & πλημμέλειαν, multò minùs idem intereſſe, quod inter חטאת & אשם intereſt. *Grotius culpam in omittendo* חטאת dictam esse judicat, אשם *culpam in committendo* (*p*). Quo nihil longiùs à vero abest. Sæpissime enim חטאת dicitur, quod contra legem vetantem fit. Quod & ipse *Grotius* aliàs monet (*q*) *Sauberto* חטאת dici videtur *error per imprudentiam admissus.* אשם verò *malitia ex electione, & violenter patrata* (*r*). Sed neque hoc constare potest, siquidem sacrorum diminutio per errorem, aut imprudentiam facta אשם in sacra scriptura dicta sit (*s*). Alii denique illud חטאת dictum judicant, quod ita in Deum peccabatur, ut homines tamen nihil inde detrimenti caperent, אשם verò damnum quodque hominibus illatum. Quorum verò hæc sententia est, hi non advertunt idem illud peccati genus, quod quoties certò compertum erat, חטאת in sacris literis dicitur, אשם dici oportere quoties de facto dubitatum erat, quod tamen ita omninò est, si modò illa vera sint, quæ de victimâ pro noxâ dubiâ diximus (*t*). Ac quidem illa si vera sint, ego, etiam-

(o) *ad Lev. 5.*

(p) *Ibid.*

(q) *ad Lev. 4.*
(r) *v. Saubert. de Sacrif. c. 3.*

(s) *Lev. 5. 15.*

(t) *§. 1. & 11. hujus capitis.*

si

si voces illas, חטאת, & אשם, idem sæpe valere video, tamen culpam eam præcipuâ quâdam ratione אשם dictam existimaverim, quæ vel reo dubia erat, unde extitit victima pro noxâ dubiâ; vel proximo damnum inferebat, unde ortum habuit victima pro noxâ certâ dicta; quæ (si Naziræos funestatos, hominésque leprâ pollutos dempseris, quorum, quia tum victimis pro peccato, tum etiam victimis pro noxâ dictis purgandi erant, nulla hìc habenda ratio est) nemini imperata fuit, nisi his, qui ita contra Deum, ut & contra proximum etiam peccaverant. Tales utique erant, qui sacra insciì defraudabant, quippe quod Sacerdotibus damno fuit (*u*). Tales etiam (quod cuique patet) qui rem alienam apud se depositam, aut inventam, aut vi ereptam, aut interversam, jurejurando abnegabant (*x*). Tales denique (neque enim plures erant, quibus erat hoc sacrificii genus legis jussu imperatum) quorum in Hebræâ servâ servo Hebræo desponsatâ libido fortè lapsa erat. Utpote qui & sponsæ verberum autores erant (*y*), & sponso dedecoris, & doloris.

(*u*) *Lev.* 5. 15.

(*x*) *Lev.*6.2,3.

(*y*) *Lev.*19.20; 21.

IX. Cæterùm quicquid inter culpas חטאות & אשמות dictas interfuit, sanè inter ipsa sacrificia eisdem nominibus designata illud interfuisse constat, quòd ad sacrificia pro noxâ dicta alii prorsùs pecudum sexus, aliíque ritus adhibendi essent, ac qui ad sacra pro peccato facta adhiberi ritè potuerunt. Enimverò ad sacra pro noxâ dicta arietes semper, agníve masculi adhibendi erant. Quorum in sacrificiis pro peccato nullus omninò usus erat. Sed & sanguis victimarum pro peccato altarium cornibus, (*z*) victimarum pro noxâ aræ lateribus (*a*) aspergendus erat. Adde quòd sacra pro peccato dicta

(*z*) *Lev.*4. (*a*) *Lev.*7.2.

universo Judæorum cœtui (ut mox patebit) imperata essent; at nulli, nisi singuli homines, alia illa facere jussi erant, quæ sacra pro noxâ dici solent. Id tamen utrumq;illud genus cum altero planè commune habuit, quòd neutrum nisi legis jussu, neutrum voto aut voluntate ritè factum censeretur. Id enim sacrorum salutarium, & holocaustorum proprium fuit. אין אדם רשאי לדור ולא התנדב חטאת ולא אשם אבל מביא בנדר או בנדבה עולה ושלמים בלבד

(b) *In præf. ad Zebachim in Misna.*

*Nemo*, inquit *Maimonides* (*b*), *sacrificium pro peccato, aut pro noxâ voto nuncupare ritè potest, suâve ipsius sponte dare. Sola enim holocausta, & sacra salutaria voto, aut voluntate ritè facta sunt.* Quod idem etiam docet *Abrabenel* (*c*), nihil esse ratus (ut ego arbitror) cur quisquam sacrum piaculare, nisi piaculi reus, faceret. Nam licèt multa peccarentur, quæ reis nunquàm innotuere, ejusmodi tamen peccata omnia piaculis illis expiabantur, quæ pro universo Judæorum cœtu statis temporibus facta erant.

(c) *In præf. ad Lev.*

X. Atque hæc de victimis singulorum hominum; sequitur Paschale sacrificium singulis Hebræorum familiis, parvísve sodalitiis imperatum (*d*). Nam quoties ad epulas sacrificales statuto tempore comedendas una familia sufficiebat, ad unam eandémque victimam plures minimè vocandæ erant (*e*). Id autem aliter si accideret, tum quidem ad eandem hostiam sodalitia quædam adsciscebantur ex proximis familiis sociata (*f*). Jam sacrum Paschale, פסח dictum, à voce פסח, quod est *transiit*, nomen habet, erátque, ut indicant sacræ literæ, *Victima transitûs Domini, quòd transivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos Israelitarum liberans* (*g*). Atque hæc victima ex agnis aut hœdis, iisque masculis, & immaculatis decimo die mensis *Nisan* quotannis eligenda

(d) *Ejusmodi etiam victima fuit juvencus iste piacularis, qui pro familia Aaronita die expiationis mactabatur. Lev. 16. 6.*

(e) *Exod. 12. 3.*

(f) *v. 4.*

(g) *Ex. 12. 27.*

da fuit (*h*), decimóque quarto ſub crepuſculum immolanda (*i*). Quare cùm ad Paſchale ſacrificium etiam pecudes ex armento lectas in ſacris literis imperatas legimus (*k*), non deſignatur illa victima, quæ פסח propriè appellatur, ſed alia quædam ſacrificia eidem victimæ adjungenda. Ac quidem, ut Judæis placet, holocauſta *apparitionis* dicta, & ſacrificia ſalutaria *feſtiva*, & *lætifica* nominata; de quibus utriſque priùs memini.

(*h*) *v.* 5. (*i*) *v.*6. (*k*) *Deut.*16.2.

XI. Neque illud mirum videri debet, quòd ſacrificiis propriè dictis ſacrum Paſchale accenſeamus. Nam agni ad ſacrum hoc adhibiti & קרבנות in ſacris literis dicti ſunt (*l*), &, poſt populi Iſraelitici ex Ægypto migrationem, in ſanctuario mactandi erant, eorúmque ſanguis à Sacerdotibus aræ victimariæ aſpergendus (*m*). Quibus in rebus ſat elucet ſacrificii propriè dicti ratio. Illud fortè ſi quæratur, quonam in victimarum genere ſacrum Paſchale cenſeri debeat, ego id in genere Euchariſtico commodè poni poſſe judico. Enimverò quamvis primum illud ipſâ in Ægypto celebratum ſacrificium ἀποβάσεως erat, quo peſtis tum Ægyptiis imminens à familiis Hebræis averteretur (*n*), reliqua tamen deinceps omnia facta erant ob ſalutem Iſraelitis præſtitam, dum primogeniti Ægyptiorum (non pecudum tantùm, ſed & hominum) ſubito exitio interirent (*o*). Unde erat in Paſchalibus ritibus brevis harum rerum *commemoratio*, à Judæis הגדה dici ſolita (*p*).

(*l*) *Num.*9.7,13 (*m*) 2 *Par.* 35. 11. (*n*) *Ex.* 12.13. (*o*) *v.*14. (*p*) *Ex.* 12.25, 26, 27.

## CAP. XIV.

### *De Sacrificiis totius cœtûs Iſraelitici.*

I. HActenûs de Paſchali ſacro cuique Hebræorum familiæ quotannis ritè celebrando. Sequuntur victimæ totius cœtûs. Illæ autem ita dici ſolent, primò quia cuncto populo, ut ſacræ cuidam civitati legibus ſociatæ, imperatæ erant. Deinde quia ab his procurandæ, qui totius populi perſonam gerebant, tum etiam, quia mactandæ erant totius cœtûs Iſraelitici nomine, ac denique, quia earum vis legis ipſius inſtituto ad cunctum populum pertinebat. Earum aliæ pro re natâ, aliæ verò ſtatis temporibus mactabantur. Pro re natâ aliàs juvencus piacularis (*q*), פר העלם רבר *juvencus de re ignoratâ* cæſus ſcriptoribus Hebræis paſſim dictus; aliàs piacularis hircus, שעיר עו *hircus de cultu extraneo* cæſus iiſdem Auctoribus dici ſolitus; cui etiam juvencus additus erat holocauſti nomine immolatus (*r*). Ac quidem, utì Judæis placet, hircus unà cum juvenco, imò verò (ſic enim numerum augent) duodecim utriuſque generis pecudes ritè mactari debuerunt, quotieſcunque populus Senatûs magni errore nixus extraneo cultu ſe pollueret; totidémque juvenci piaculares, quoties idem populus Senatûs ejuſdem errorem ſecutus aliud quodvis peccatum faceret, quod cogitatò perpetratum peccantium exitio luendum erat.

(*q*) *Lev.* 4. 13, 14.

(*r*) *Num.* 15. 24.

Ad-

Addunt etiam hæc victimarum genera sacrificari debuisse, quoties fortè vel major tribuum, etiamsi minor populi numerus, vel quidem major populi pars, etiamsi minor tribuum numerus, ita ut dictum est peccaret. Quod si fortè peccaret populus suo ipsius judicio fretus, non Senatûs magni doctrinâ, pro se quemque seorsùm immolare debuisse, pro toto cœtu nihil immolandum fuisse statuunt. Nihil enim ad totum cœtum pertinere, quod non sit idem Senatûs magni consulto factum, כל דבר שחייבין על שגגתן חטאת (inquit (†) *Maimonides*) קבועה אם שגג בית דין הגדול בהוראה והורו להתיר ושגגו העם בהוראתן ועשו העם והם סומכין על הוראתן ואחר כך נודע לבל שטעו הרי בית דין חייבין להביא קרבן חטאת על שגגתן בהוראתן ואף על פי שלא עשו הן בעצמן מעשה שאין משגיחין על עשיית בל כלל בין עשו בין לא עשו אלא על הוראתן בלבר ושאר העם פטורין מן הקרבן ואף על פי שהם העושין מפני שתלו בבל ומהו הקרבן שמביאין על שגגה זו אם בעבודה זרה שגגו והורו מביאין פר לעולה ושעיר לחטאת מכל שבט ושבט וקרבן זה הוא האמור בפרשה שלח לך שנ והיה אם מעיני העדה נעשתה בשגגה מצי השמועה למדו בשגגת עבודה זרה הוא מרבר ואם בשאר כריתות שחייבין על שגגתן הטאת קבועה שגגו והורו מביא כל שבט ושבט פר חטאת וזה האמור בפרשת ויקרא שנאמר ואם כל עדת ישראל ישגו *Siquando in doctrinâ eorum, quæ, cùm per imprudentiam fiant, victimâ piaculari definitâ ritè expurgari debeant, Senatus magnus erraverit, fas esse docens quod nefas est, populúsque ejus doctrinam sequens tale aliquod peccatum fecerit: Senatus, postquàm errorem suum certò resciverit, victi-*

(†) Maimon. *in Schegagath, c.* 12.

*mam*

*mam adducet piacularem, licèt ipse per se nihil fecerit, (neque enim quid Senatus faciat, aut non faciat, sed quid doceat, consideratur) reliquus autem populus, licèt ipse quidem quod perperàm factum fuit, fecerit, quia Senatûs judicio nixus erat, piaculi minimè reus erit. Quænam autem est victima, quam Senatus pro hoc errore immolare debet? Si de extraneo cultu erraverit, tum quidem ex unaquâque tribu juvencum unum pro holocausto, unúmque hircum pro victimâ piaculari adducet; quo de sacrificio meminit lex, quæ*

(s) Num.15.24. *extat in* שלח לך. (*s*) Siquid à cœtu per ignorantiam commissum fuerit. *Quam legem de cultu extraneo ferri ex Veterum traditione constat. Quod si erraverit, perperámque docuerit de aliis peccatis exitialibus, quæ qui per imprudentiam admiserit, definito piaculo lustrari debeat, tum quidem unaquæque tribus juvencum adducet piacula-*

(t) Lev.4.13. *rem, cujus meminit lex in* ויקרא. *Ibi enim* (*t*) *dicitur, Si totus Israelis cœtus erret.* Hæc *Maimonides.* Quîcum etiam, præter *Abenezram*, reliqui ferè Judæi sentiunt. *Abenezra* autem (qui sacras literas simpliciùs interpretari solet) quæ à toto cœtu per errorem perperàm commissa erant, ea juvenco piaculari, hirco autem piaculari, juvencóque ad holocaustum adhibito & commissa, & o-

(u) Abenezr. ad Num.15. missa etiam ritè expurganda fuisse judicat (*u*). Quod quidem statuere videatur eâ potissimùm ratione fretus, quòd in lege his de victimis latâ & commissorum, & omissorum mentio fiat.

II. Jam verò mea his de rebus quæ sit sententia, si quæsiveris, ego (etiamsi in re obscurâ nihil asseverantiùs dixerim) juvencum quidem piacularem mactandum fuisse existimaverim tum, cùm totus

totus populi cœtus, alioqui patrios ritus retinens, verique Dei cultum sequens, communi tamen errore ductus contra legem vetantem inscius faceret. Ita enim illa *Mosis* verba optimè intelligi posse judico (*x*). *Quod si omnis turba Israel ignoraverit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo juvencum.* Jam verò hircum piacularem, eúmque unà cum juvenco holocausti ritu conficiendo, sacrificandum fuisse arbitror, cùm populus omissis patriis ritibus, legúmque sacrarum parùm memor (quod sæpè sub malis Regibus accidit) in extraneas quaslibet religiones communi errore lapsus esset. Ita alteram illam intelligi posse legem judico. *Quod si per ignorantiam non feritis executi hæc omnia præcepta, quæ Mosi Jehova elocutus est, videlicet omnia, quæ vobis Jehova per Mosem præcepit, ex quo primùm præcepit apud patres vestros, & deinceps; & siquid à cœtu per ignorantiam commissum fuerit, totus cœtus juvencum bovillum unum pro holocausto in odorem suavem Domino sacrificato, unà cum ferto & libamine ejus, & hircum caprinum pro piaculo* (*y*). Quæ quidem lex ut ejusmodi videtur populi statum indicare, quo patrii Hebræorum ritus per ignorantiam prætermissi, extraneíque recepti erant: ita fortè holocaustum fieri jubet in patrii cultûs, ac religionis denuò jam susceptæ signum; victimam autem piacularem ad ea omnia expianda, quæ anteà contra patrios ritus extraneo ritu facta erant. Ita factum arbitror, (unde huic sententiæ magna accedit probabilitas) ut rex optimus *Hezekias* post templum aliquamdiu clausum, (*z*) omissáque sacra quotidiana, multósque denique

(*x*) *Lev.* 4. 13, 14.

(*y*) *Num.* 15. 22, 23, 24.

(*z*) 2 *Par.* 28. 24. & 29. 3.

que extraneos ritus à populo per ignorantiam receptos, juvencos aliquos pro holocaustis, hircósque itidem piaculares pro toto cœtu mactari juberet (†). Ita factum etiam, ut Judæi è Babyloniâ in patriam reduces post Templum denuò instauratum, cultúmque patrium restitutum, eadem illa victimarum genera pro toto cœtu immolarent (*a*). Nec quicquam refert, quòd cùm *Moses* unum tantùm juvencum, hircúmque unum imperàsset, *Hezekias* utriusque generis septem, Judæique in patriam suam reduces duodecim quidem sacrificarent. Quippe quos ita feciſſe arbitror, minorem numerum planè neceſſarium, majorem autem potiorem ratos. *Hezekias* enim numero septenario, ut perfectioni sacro, usus est. Exuléſque reduces duodenario tribuum numerum intuentes.

(†) 2 *Par.*29. 21,22, 23, 24.

(*a*) *Esr.*8.35.

III. Cæterùm totius cœtûs victimis pro re natâ immolatis quidam etiam vaccam rufam addunt extra populi castra (quoties opus erat) legis jussu comburendam. Quippe cùjus corpus, ut corpora omnium victimarum, vitii expers esse debuit (*b*), & sanguis sanctuarium versùs septies à Sacerdote spargi (*c*), ac cineres denique ad eos omnes ritè lustrandos adhiberi, qui cadavere humano funestabantur (*d*). Erat, inquit *Abrabenel* (*e*) vacca rufa קרבן חטאת בעד כל העדה *sacrificium piaculare totius cœtûs.* Et paulò pòst, לפי דעתי חיתה הפרה אדומה קרבן בעד כל עדת בני ישראל לטהר אותם מטומאת מת כדי שלא יחללו הקדש וקדשיו *Erat, meâ sententiâ, vacca rufa sacrificium pro toto cœtu filiorum Israelis, quo mundarentur à funeris pollutione, nequando fortè sanctuarium, ejúsve sacra inquinarent.* Cujus ego sententiam ita probo, ut vaccam illam piaculum, aut sacrum

(*b*) *Num.*19.2.

(*c*) *v.*4.

(*d*) *v.*13.

(*e*) *ad Num.*19.

pia-

piaculare rectè quidem dici poſſe, at קרבן ex ſacræ ſcripturæ uſu minimè dici poſſe judicem. Neque enim קרבן dici ſolet, niſi quod Deo pro arâ ejus ritu ſolenni offerebatur. Quin etiam de alterâ illâ vaccâ, cui caput amputandum erat, quoties, homicidii in agro facti quis autor eſſet neſciretur (*f*), idem judicium eſſe debet. Illa enim ut קרבן dici nequit, quia aræ minimè obmovebatur, ſacrum tamen erat piaculare ad homicidii expiationem factum. Quod docet deprecatio illa juxta vaccam illam edi ſolita. *Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi viderunt. Propitius eſto populo tuo Iſrael, quem redemiſti, Domine, & ne reputes ſanguinem innocentem in medio populi tui Iſrael* (*g*).

(*f*) *Deut.* 21.

(*g*) *Deut.* 21.7, 8.

Jam verò licèt optimus quiſque, præſertim Reges, ac viri magni eo animo nonnunquàm immolarent, ut Deo totum populi cœtum ſacrificiis ſuis commendarent, (id quod *Samuelem* (*h*), & *Davidem* (*i*), & *Solomonem* (*k*) feciſſe conſtat) ſacrificia tamen ita facta nihilo magis totius cœtûs ſacrificia, quàm ſingulorum hominum preces pro totius populi ſalute adhibitæ totius cœtûs preces, erant. Adde quòd talia ſacrificia, qualia pro ſalute totius populi ab hominibus ſingulis facta erant, ſacrificia eſſent voluntaria; cujuſmodi, ut Judæi docent, nulla totius cœtûs erant. Ex quo illud *Moſis* Ægyptii (*l*), אין הציבור מתפללין תפלה נרבה שאין הציבור מביאין קרבן נרבה *Eccleſia nullis niſi ſtatis precibus utitur, quia Eccleſia nullas adducit victimas niſi legis juſſu imperatas.*

(*h*) 1 *Sam.* 7.9.
(*i*) 1 *Par.* 16.2.
(*k*) 2 *Par.* 7.

(*l*) *In Tephilah-birceath cohanim, cap.* 1.

IV. Hactenùs de victimis totius cœtûs pro re natâ immolatis. Quæ ſtatis temporibus mactandæ erant, aliæ quotidianæ, aliæ hebdomariæ, aliæ menſtruales,

ſtruales, aliæ anniverſariæ erant. Earúmque, quæ anniverſariæ erant, aliæ ad Paſchales ferias, aliæ ad feſtum Pentecoſtes, aliæ ad Tubarum feſtum, aliæ ad diem propitiationis, aliæque denique ad feſtum umbraculorum pertinebant. Nos paucis omnes complectemur.

Ac quidem unoquoque die bini agni, alter manè, veſperi alter, pro holocauſtis immolandi erant (*m*). Quæ ſacra erant quotidiana. His etiam, Sabbatis hebdomariis, bini alii addendi erant agni, iidémque pro holocauſtis cædendi (*n*). In noviluniis bini juvenci, unus aries, agníq; ſeptem pro holocauſtis immolandi erant, hircúſq; pro victimâ piaculari (*o*). Singulis itidem Paſchalibus feriis (eæ autem feriæ ſeptem erant) talia ſacra facienda erant qualia facta erant in noviluniis (*p*) eíſque etiam ſecundo die, quo frugum primitiæ ſacratæ erant, alter addendus erat agnus, idémque pro holocauſto cædendus (*q*). Quinetiam feſto Pentecoſtes talia ſacra facienda erant, qualia ſpectabant ad novilunia (*r*). Eíſque addendi pro holocauſtis juvencus unus, bini arietes, ſeptem agni, pro ſacris ſalutaribus bini alii agni, & pro piaculo alter hircus (*s*). Feſto tubarum, nempè primo die menſis *Tiſri* unà cum victimis menſtrualibus unus juvencus, aries unus, ſeptem agni pro holocauſtis immolandi erant, hircúſque pro victimâ piaculari (*t*). Quales etiam, menſtrualibus exceptis, ſolenni expiationis die iterùm mactandæ erant victimæ (*u*) eíſque addendus pro holocauſto aries alter (*x*), altérque pro victimâ piaculari longè omnium celeberrimus hircus (*y*), quippe cujus ſanguis à Pontifice in adytum intimum inferendus erat, quod in nullâ aliâ victimâ factum, niſi eo juveneo piaculari, qui pro familiâ *Aaronicâ* eodem die macta-

(*m*) *Num.*28.3.
(*n*) *v.*9.
(*o*) *v.*11,14,15
(*p*) *v.*19.22.
(*q*) *Lev.*23.12.
(*r*) *Num.*28. 27,30.
(*s*) *Lev.*23.18, 19.
(*t*) *Num.*29.2.5
(*u*) *Num.* 29.8, 11.
(*x*) *Lev.*23.5.
(*y*) *v.*15.

mactabatur. Primo die festi umbraculorum tredecim juvenci, bini arietes, quatuordecim agni pro holocaustis immolandi erant, hircúsque unus pro piaculo (*z*). Qui idem similium victimarum numerus sex proximè consequentibus diebus ritè quoque immolandus erat, nisi quod de juvencorum numero unus quotidiè minuendus esset, ut septimo umbraculorum die juvenci septem mactarentur (*a*). Octavo ejusdem festi die unus juvencus, unus aries, agníque septem pro holocaustis, pro victimâ autem piaculari hircus unus immolandus erat (*b*). Atque his omnibus in sacrificiis ea lex omninò tenenda fuit, ut quoties in eundem diem plures fortè feriæ inciderent, toties & sacra quotidiana, & sacra earum feriarum propria suo quæque ordine obeunda essent (*c*). Fac ergo Sabbatum, & novilunium, & festum tubarum eundem in diem incidisse; primum omnium ritè faciendum erat Sacrum quotidianum matutinum, deinde Sabbati sacrificia, tum sacrificia novilunii, mox sacra festi tubarum propria, ultimúmque omnium sacrum quotidianum vespertinum (*d*).

(*z*) *Num.29.13, 14, &c.*

(*a*) *v.32.*

(*b*) *v.36 38.*

(*c*) *Num.28.15, 23, 24, 31. & 29.6,11,16, &c.*

(*d*) Maimon. *in præf.ad Zebachim in Misna, & Abrab. in præf.ad Lev.*

V. Ac quidem ut holocausta illa, quæ singulis diebus facta erant, ad quotidianum Dei cultum, (quò gratia ejus & impetrari, & commemorari quotidiè posset) pertinebant: ita reliqua omnia holocausta, atque etiam sacra salutaria statis temporibus immolata ad majorem valebant eorum temporum celebritatem, quæ sibi Deus sacrari voluit aliis atque aliis de causis. De quibus hoc in loco dicere ad nostrum institutum nihil attinet. Jam verò sacra piacularia statis temporibus fieri solita eò pertinuisse judico, ut ea peccata (siqua essent) expiarent, quorum fontes ipsi ignari erant. Quò spectat illud R. *Judæ* (*e*), עֵר שאין יודעה לא בתחלה ולא בסוף

(*e*) *v.Schebuoth in Misna, c.1.*

בסוף שעירי הרגלים ושעירי ראשי חדשים טכפרין

*Peccata illa, quæ neque antè quàm facta sunt, nec posteà sontibus innotescunt, hircis majorum feriarum & noviluniorum expiantur.*

VI. Talia itaque, qualia jam posuimus, Hebræorum erant sacrificia *Mosis* legibus instituta. Quorum alia קדשי קדשים *sacra sacerrima*, alia קדשים קלים *sacra levia* Judæis dicta sunt. Sacra sacerrima dici solent, quibus vel nemini prorsus vesci, vel nemini nisi Sacerdoti, aut Sacerdotis filio licuit, neque his nisi intra sanctuarium; ita ut omnia holocausta, omnia sacra piacularia, & quidem universi cœtûs sacrificia etiam salutaria hoc in genere contineantur. Sacra autem levia appellantur, quibus vesci & aliis etiam licuit ubivis intra Ierosolymam. Cujus generis erant salutaria hominum singulorum sacra, aliáque illa his similia, Paschale scilicet, & quod pro decimis sacratum erat. Quibus adde etiam fœtum masculum primogenitum, quo quidem non Sacerdotibus tantùm eorúmque filiis, sed & aliis quibusdam, (quod alibi docendum) eâdem in urbe vesci licuit.

CAP.

## CAP. XV.

*De Ritibus quibuſdam ſacrificalibus, præſertim de Oblatione, & agitatione victimarum, manibúſque earum capitibus imponendis, precibúſque ei ritui adjunctis.*

I. CUM ſatis expoſitum videatur, quæ, ac qualia victimarum genera *Moſis* legibus inſtituta fuerint, deinceps ſequitur, ut ritus ſacrificales explicem; qui quidem aliis in ſacrificiis alii atque alii erant. Quoties enim immolanda erant ſingulorum hominum holocauſta, iſta ferè poſtulata erant. Primò ut ſuam quiſque victimam ante majorem aram ſiſteret. Deinde ut manum capiti ejus, ac utramque quidem, utì *Maimonidi* placet, imponeret; eodémque tempore ſolennes quaſdam preces ederet, quibus finitis, victima continuò cædenda fuit, ejúſque ſanguis aræ lateribus circumcircà affundendus. Poſt ſanguinem aræ lateribus affuſum victima mox deglubenda fuit, & proſecanda. Tum crura, & inteſtina lavanda, eadémque poſteà cum proſectis ad aræ clivum offerenda, omniáque ibi ſale reſperſa ejuſdem in focum porricienda. Quæ, præter manuum impoſitionem, precéſque ei ritui adjunctas, in holocauſtis totius cœtûs eadem omnia obeunda erant. Jam verò reliquis in ſacrificiis & alii quidam ritus additi, & quidem ex his detracti erant, & quidam etiam aliter peracti.

Nam

(f) *Lev.* 14.12. (g) *Lev.*23.20. Nam piacularis leprosi agnus (*f*), agníque toti Israelis cœtui pro sacris salutaribus imperati (*g*), postquàm ad aram adducti erant, omnes mundi plagas versùs adhuc vivi porrigendi erant. Idémque ritus armo dextro, pectori, & ablegminibus victimarum salutarium singulorum hominum (*h*) alteríq; armo arietis Naziræi, sed priùs cocto (*i*), adhibendus erat. Adde, quòd caro aliarum victimarum extra populi castra, aut Ierosolymam cremanda esset, aliarum autem comedenda. Quinetiàm ut variæ fuere victimæ, quarum carnes comedendæ erant: ita de carnibus comedendis variæ leges extiterunt. Sed hæc, aliáque his similia alibi latiùs exponenda.

(h) *Lev.* 7. 30, 34. (i) *Num.* 6.19, 20.

II. Jam rituum ad hostias singulorum hominum pertinentium alii ab ipsis offerentibus, alii à Sacerdotibus exequendi erant, quidam verò à puro quolibet peragi ritè potuerunt. Offerentis erat victimam suam ad aram ducere, manúsque capiti ejus imponere. At cædere, deglubere, prosecare, crura, & intestina lavare (quod in holocaustis factum erat) is, qui victimam offerebat, si fortè parùm commodè posset, alteri cuivis mundo licuit. Enimverò quamvis hæc omnia offerentibus imperata videantur (*k*) ea tamen lex non est ita intelligenda, quasi nullis nisi offerentibus ritus hos peragere licuisset, sed ut ritè peracti censerentur, licèt non à Sacerdotibus peracti. Id quod in aliis quibusdam ritibus contrà planè statutum erat. Nam victimam, ejúsve partes ullas Deo quaquaversùm porrigere, sanguinem spargere, struem componere, aras accendere, prosecta reddere non nisi Sacerdotis erat. Cujus etiam erat volucres aræ destinatas cædere; quippe in quibus cum ipsâ cæde sanguinis

(k) *Lev.* 1.

guinis aſperſio conjuncta fuit (*l*). Jam hoſtias piaculares totius cœtûs pro re natâ immolatas Senatores populi perſonâ induti ad aram ducere juſſi erant, eíſque manus ſuas imponere (*m*). Cæteros autem obire ritus in omnibus totius cœtûs victimis Sacerdotes, & Levitæ ſolebant. Sacerdotes utique eoſdem omnes, quos in victimis ſingulorum hominum eiſdem imperatos diximus; reliquos vel ipſi (*n*), vel Levitæ (*o*). Ita tamen, ut hujuſmodi ritus, quos in totius cœtûs victimis Levitæ ritè obire poterant, Minimè pollui cenſerentur, etiamſi fortè ab alio quovis, qui mundus erat, peragerentur (*p*). Sed neque illud prætereundum, quaſdam ſcilicet fuiſſe victimas, quarum non niſi à Pontifice ſanguis aſpergi ritè potuit. Quales erant omnes, quarum ſanguis in adytum utrumvis inferendus erat. Nempè juvencus piacularis, itémque piacularis hircus, ille pro familiâ *Aaronicâ*, hic pro toto populi cœtu die expiationis cædi ſolitus (*q*). Quibus etiam adde totius cœtûs victimas omnes piaculares pro re natâ immolatas (*r*), atque etiam Sacerdotis ſummi juvencum illum piacularem (*s*), quem (quod priùs notandum fuit) *Maimonides* cædendum fuiſſe ſtatuit, quoties idem ille Sacerdos ſummus tale aliquid per ignorantiam & ipſe fecerat, & alios docuerat, & quidem ſuo judicio nixus, quale cogitatò perpetratum exitio puniendum erat (*t*). Quibus de rebus quid ipſe ſentiam, ex alibi dictis intelligi poteſt. Verùm hæc omnia hoc in loco leviter attigiſſe ſufficit. Deinceps ritus Sacrificales paulò latiùs explicandi.

(*l*) *Lev.*1. 15. & 5.8.

(*m*) *Lev.* 4. 14, 15.

(*n*) *v.* 2 *Par.* 29.24.

(*o*) 2 *Par.* 29. 34. & 30.16, 17.

(*p*) *v.* Maimon. *in Biath hamikdaſch, c.* 9.

(*q*) *v. Lev.* 16.

(*r*) *Lev.*4 16.

(*s*) *Lev.* 4.5.

(*t*) Maimon. *in Schegagoth. cap.*15.

III.Ac

III. Ac primò victima ritè lecta ante aram majorem ſiſtenda fuit. Quod ibi præcipi intelligendum, ubi quiſque jubetur victimam ſuam (quod paſſim fit (*u*) in ſacris literis) ad oſtium Tabernaculi ducere, quippe quo in loco ara illa major poſita fuit (*x*). Maluit autem Deus, ut ego arbitror, tabernaculi oſtium quàm aram dicere, ne quod ad aras alibi poſitas immolabatur, ritè immolatum cenſeretur. Id quod fieri potuiſſet, ſi aram ſolummodò nominâſſet, non Tentorii ſacri oſtium. Adde, quòd Tabernaculum nominans, propriam utique ipſius ædem, ac quidem Majeſtatis Divinæ umbratile quoddam domicilium, ſibi uni ſacrificandum eſſe, non diis extraneis, admoneret. Quæ ſanè ipſa ratio fuit, cur hunc ad locum victimas omnes adduci vellet. *Homo*, inquit (*y*), *quilibet de domo Iſrael ſi occiderit bovem, aut ovem, ſive capram in caſtris, vel extra caſtra, & non obtulerit ad oſtium tabernaculi oblationem Domino, ſanguinis reus erit: quaſi ſi fuderit ſanguinem, ſic peribit de medio populi ſui. Ideo Sacerdoti offerre debent filii Iſrael hoſtias ſuas, quas occident in agro, ut ſanctificentur Domino ante oſtium tabernaculi teſtimonii, & immolent eas hoſtias pacificas Domino; fundétque Sacerdos ſanguinem ſuper altare Domini ad oſtium Tabernaculi teſtimonii, & adolebit adipem in odorem ſuavitatis Domino: & nequaquàm ultrà immolabunt hoſtias ſuas Dæmonibus, cum quibus fornicati ſunt.* Munus autem omne, quod quidem ſtante Tentorio ſacro ad aram, ejus ad oſtium poſitam, præſtari debuit, poſt Templum Ieroſolymæ conditum ad aram ante fores ejus ſitam obeundum erat.

(*u*) *Lev.*1.3. & 4.4,14. & 12. 6. & 14.23. & 15.14, 29. & 17.4,5,9.
(*x*) *Ex.* 40.6, 29.
*Lev.*1. 5. & 4. 7. & 17. 6.
(*y*) *Lev.*17.3, 4,5,6,7.

IV. Jam

IV. Jam victimæ ante aram collocatio ejuſdem ipſa *oblatio* fuit; ea ipſa, inquam, victimæ oblatio, quam Deus in ſacris literis deſignat tum, cùm ad oſtium Tabernaculi ſuam quemque victimam *offerre* jubet. Id quod maximè advertendum, ne quis ab iis decipiatur, qui cum duobus illis ritibus, mactatione ſcilicet, & oblatione, victimam quamque confectam judicent, mactationem poſt oblationem ponunt. Quaſi nulla fuiſſet oblatio victimæ, quæ mactationem anteceſſit. Cùm tamen pecudis mox mactandæ ante tentorii ſacri oſtium, arámve eo in loco poſitam collocatio, pecudis illius oblatio eſſet, & ita paſſim dici ſoleat. Illud tamen non inficior, ſanguinem, ablegmina, & proſecta, quando ad aram admovebantur, nonnunquàm quidem in ſacris literis *offerri* dici. Verùm hæc oblatio, eorum, quæ aræ admovebantur, nempe ſanguinis, ablegminum, & proſectorum, non victimæ ipſius (quæ adhuc vivens offerri dicta eſt) oblatio fuit. Ac quidem ſanguis aræ aſpergi, aut affundi, ablegmina, & proſecta *adoleri* ſæpiùs multò, quàm *offerri* dicta ſunt. Quanquàm nequis fortè in re perſpicuâ cavilletur, ego facilè in ſacrificiis dùplicem agnoſco oblationem, imò verò in ipſis ſacris literis duplicem paſſim poni video; alteram victimæ adhuc viventis, alteram ſanguinis & ablegminum; ſeu mavis, alteram mox mactandæ, alteram jam mactatæ victimæ. Illa ad victimarum Dominos, hæc ad Sacerdotes pertinuit. Quæ qui tenuerit, huic de victimæ oblatione nullus errandi locus erit.

V. Cæterùm hoſtiæ oblationem in ſacris ſalutaribus totius cœtûs (*z*), & piaculari leproſi agno (*a*) mox ſequebatur agitatio omnes mundi plagas verſùs facta (*b*); quæ תרומה, & תנופה dici ſolet. Erat enim תרומה *agitatio ſurſum*, תנופה *prorſùm*, & *retrorſùm*, *dextrorſùm*, & *ſiniſtrorſùm* facta, quibus ritibus Deo omnia implenti, omnia tuenti, ac poſſidenti victima ritè porrecta fuit. Ita ſcilicet hâc de re *Abrabenel* (*c*), והתנופה היתה מעלה ומוריד מוליך ומביא לששת צדדי העולם להראות כי לוי הארץ ומלואה *Agitatio ſic peracta eſt à Sacerdote. Surſùm, ac deorſùm, huc, & illuc, ſex mundi plagas verſùs porrigit, ut indicet Domini eſſe terram, & plenitudinem ejus.* Et R. *Bechai* (*d*), מוליך ומביא למי שארבע רוחות העולם שלו מעלה ומוריד למי שהשמים וארץ שלו *Prorſùm ac retrorſùm illi admovet, cujus ſunt quatuor mundi plagæ. Surſùm ac deorſùm illi porrigit, qui cæli ac terræ dominus eſt.* Neque aliò ſpectat quod ſtatuit R. *Levi Ben Gerſhom* (*e*), qui ſacra ideò agitata judicat, להורות על השם יתעלה משגיח בעליונים בתחתונים בכל פנות שהם בו *Ut intelligamus Dei providentiam ſupremis, ac infimis, ubicunque exiſtant, intereſſe.*

(*z*) *Lev.* 23.20.
(*a*) *Num.* 14.12, 24.
(*b*) Maimon. *in Mechuſſere chippurim, c.* 4.
(*c*) *ad Lev.* 23.
(*d*) *ad Lev.* 8.
(*e*) *Ibid.*

VI. Jam verò in aliis quibuſdam victimis, prætermiſſâ pecudis agitatione, oblationem excepit manuum impoſitio. Quippe ita ſacrâ lege ſancitum, ut pecudis ad oſtium Tentorii ſacri ſtatæ capiti offerentis manus imponeretur, ac quidem, ſi *Maimonidi* credas, manus utraque ac totis cujuſque viribus (*f*). Hic utique ritus, ut ſacræ literæ explicatè docent, talibus omnibus adhibendus erat ſingulorum hominum holocauſtis (*g*), itémque ſacris ſalutaribus (*h*), ſacríſque pro peccato factis (*i*), qualia

(*f*) *In Maaſe Korban. cap.* 3.
(*g*) *Lev.* 1,4.
(*h*) *Lev.* 3. 2,8, 13.
(*i*) *Lev.* 4.4, 24,29.

qualia erant ex quadrupedibus lecta. Quinetiam de sacris pro noxâ factis, (quorum quæ sacrorum pro peccato eadem erat vis, ac ratio) idem Judæis est judicium. Qui tamen de sacris volatilibus, sacróque Paschali, ac primogenito, eoque, quod decimando obvenit, aliter omnes judicare solent. שיקריב (inquit *Maimonides*) כל קרבנות בהמה היחיד בין חובה בין נדבה סומך עליהן כשהן חיין חוץ מן הבכור והמעשר ופסח *Omnibus singulorum hominum hostiis ex genere bovillo, ovillo, aut caprino lectis, sive illæ lege imperatæ fuerint, sive voluntariò nuncupatæ, præter sacrum Paschale, ac primogenitum, & quod decimando sacratum erat, offerentis manus imponendæ erant* (*k*). Quibus mox adjicit, והעוף אינו טעון סמיכה *Volucribus autem manus imponere non necesse est.* Neque aliter aliis Judæis visum. Atque hæc ut vera esse possunt (neque enim sacris literis repugnant) ita illud explicatè præceptum, ut suæ ipsius victimæ capiti suæ cujusque manus propriæ, non vicariæ imponerentur (*l*). Quâ de re est in libro *Siphra* (*m*), וסמך ידו לא יד עבדו ידו ולא יד שלוחו ידו ולא יד אשתו *Et imponet quisque manum suam, non manum servi sui, manum suam, non manum vicarii sui, manum suam, non manum uxoris suæ.* Quod tamen *Maimonides* sic intelligit (*n*), ut mortui cujusque holocaustis, & victimis etiam salutaribus ante mortem ejus nuncupatis (quæ, quia jam nuncupatæ erant, immolari debere censebantur), hæredis manus imponi oportuisse judicet. מי שמת והניח קרבנו עולה או שלמים היורשו ומביאו וסומך עליו ומביא נסכים *Siquis fortè vitâ functus sacrificium suum post se reliquerit, holocaustum utique, aut salutare,*

(*k*) *Maimon. in Maase Korban. cap.3.*

(*l*) *Lev.1.4. & 3.2,13. & 4.4 24,29.*

(*m*) *v. Korban. Aaron.cap.17.*

(*n*) *In Maase Korban. cap.3.*

*id hæres ejus ad aram ducit, eique manus suas imponit, & libamenta quoque præstat*, nempe tantum vini, olei, similæque addit, quantum victimæ nuncupatæ convenit. Huc addit etiam (*o*) holocaustis & victimis piacularibus ad boreale aræ latus (quippe quo in loco (*p*) ejusmodi victimæ mactandæ erant) manus imponi debuisse; salutaribus ubivis in Sanctuario. Ita tamen ut cuique manus suas pecudis immolandæ capiti quovis in loco imponenti Occidentem, sive Templum versus facies, oculique dirigendi essent. Quod eò magis decere visum est, quòd quisque victimæ manus imponens solennes quasdam preces ederet, quæ nisi facie ad Templum versâ perperàm editæ censebantur. Atque hinc ejusdem *Maimonidis* illud (*q*), היה עומד בחוצה לארץ מחזיר פניו נכח ארץ ישראל ומתפלל היה עומד בארץ מכוין פניו כנגד ירושלם היה עומד בירושלם מכוין פניו כנגד בית קדש היה עומד בעזרה מכוין פניו כנגד בית קדש הקדשים *Stans quisque extra Terram* Israeliticam *preces suas edet facie ad Terram Israelis versâ. Stans intra Terram* Israeliticam *Ierosolymam versus faciem convertet. Stans in Ieroselyma faciem suam diriget Sanctuarium versus. Stans in Sanctuario adytum intimum versus faciem vertet.* Sed & illud etiam Judæis visum, legem de manuum impositione victimarum capitibus adhibendâ nullos, nisi adultos mares Israelis satu oriundos, eósque sensibus, & intellectu satis valentes obligasse. Eóque fit, ut hunc ritum ad mulieres, pueros, extraneos, servos, surdos, cœcos, aut fatuos minimè pertinuisse judicent (*r*), quâ de re disputare nihil attinet.

(*o*) *Ibid.*

(*p*) *Lev. 1. 11. & 6. 25. & 7. 2.*

(*q*) *In Tephillah birceath cohazmin. cap. 5.*

(*r*) *Maimon. in Maasè Korban. cap. 3.*

VII. Jam

VII. Jam verò quod ad victimas attinet pro toto cœtu immolatas, illud inter Judæos convenit, nullis omninò totius cœtûs nisi tantùm victimis piacularibus manus imponi debuisse. Quod quidem ut contra nullam legem, ita veteri ac recepto mori satis convenienter statuunt. Enimverò quando *Hezekiæ* jussu holocausta, ac victimæ piaculares pro toto cœtu immolabantur, victimis quidem piacularibus, minimè verò holocaustis, Senatorum manus impositas legimus (*s*). Verùm etsi nullis totius cœtûs nisi tantùm victimis piacularibus manus imponere moris fuit, hoc tamen obiri debuisse in omnibus ejusdem generis victimis Judæi omnes non consentiunt. Quidam enim (*t*) sacro nulli, quod ad totum cœtum pertinebat, ritum hunc adhiberi solitum judicant, nisi hirco in deserta ducto (*u*), juvencisque de re ignoratâ cæsis (*x*). Quam qui sententiam amplectuntur, ex eo facilè redarguuntur, quòd hircis iis piacularibus, quibus *Hezekias*, ut modò dixi, totum lustrari cœtum jussit, Senatorum manus imponerentur. Ita fit, ut alii (*y*) eis omnibus hostiis piacularibus pro toto cœtu immolatis, quarum sanguis in Templum inferendus erat, manus imponi solitas putent. Senatores autem alii tres (*z*), alii quinque (*a*), alii duodecim (*b*) totidem, scilicet Tribuum principes, hunc ad ritum obeundum adhiberi oportuisse statuunt. Quâ de re contendere eâ de causâ parùm refert, quia vel plures, vel pauciores totius populi personam sumere, ejúsque adeò loco, ac nomine ejusmodi ritus obire poterant.

(*s*) 2 Par. 29. 23 23, 24.

(*t*) Maimon. *in Maase Korban. cap.3.*

(*u*) *v.Lev.16.*

(*x*) *Lev.4.15.*

(*y*) *R. Simeon ut docet Autor libra Siphra, cap.6.*

(*z*) Maimon. *in Maase Korban. c.3. & Sectatores R. Simeonis in Siphra,c.6.*

(*a*) *R. Juda in Siphra, c.6.*

(*b*) *Jonathan Targumistes ad Lev.4.15.*

VIII. Jam

VIII. Jam manuum impositio ritus erat ea notandi, ac designandi, quæ vel morti devota erant, vel Dei gratiæ commendata, vel denique gravi alicui muneri, usuive sacro destinata. Eique ritui semper adhiberi solebant verba aliqua explicata, quæ rei susceptæ rationi maximè congruere viderentur. Ita qui Deo maledixerat, testium manibus capiti suo jam admotis (*c*), his verbis, uti docet *Maimonides*, ad necem designari solebat (*d*). דמך בראשך שאתה גרמת לך *Sanguis tuus in caput tuum recidat, suo enim merito periisti.* Contra autem *Jacobus* Patriarcha Ephraimo & Manassi manus admovens utrumque Deo precibus suis eodem tempore commendabat (*e*). Atque etiam *Moses* eodem ritu *Josuæ* Magistratum mandans sine dubio eidem precabatur afflatûs divini incrementa, quibus tanto muneri par evaderet (*f*). Ac quidem Pontifex (quod hâc in causâ valdè refert) vel pecudi rationis experti, nempe hirco in deserta ducendo, ritu sacro manus admovens unà quoque ejusdem capiti peccata populi imprecabatur (*g*). Ita ut manuum impositio nunquam non vel precandi, vel imprecandi, vel utriusque ritus esset. Atque ita fit, ut uno χειροθεσίας nomine preces sacræ passim designentur, ubi tamen nulla disertis verbis precum ullarum mentio fiat (*h*). Ita ut eadem illa lex, quæ victimæ mox mactandæ capiti offerentis manus imponi jussit, hoc ipso quoque preces aliquas, quibus victima illa sacranda esset, tacitè jussisse censeatur. Hinc illud *Aaronis Ben Chajim* (*i*), במקום שאין זרוי אין סמיכה שהסמיכה היא להתורת *Ubi non est* peccatorum *confessio*, *ibi non est impositio manuum*, *quia manuum impositio ad confessionem pertinet.* Adde etiam

(*c*) *Lev.* 24.14.
(*d*) *In Aboda Zara, cap.* 2.
(*e*) *Gen.*48.14. 16,20.
(*f*) *Num.* 27. 18,23. *Deut.*34.9.
(*g*) *Lev.*16.21.
(*h*) *Deut.* 34.9. 1 *Tim.* 5.22. *Hebr.*6.2. *Mat.* 19.15. *Marc.* 5.23. & 6.5. & 16.18. *Luc.*4. 40. & 13.13. *Act.*8.18,19. & 19.6.
(*i*) *Ad Siphra in diburath, hachataoth.fol.*95. *Edit. Venet.*

&

& *Maimonidis* illud (*k*), סניח שתי ידיו בין שני קרניו ומתודה על חטאתו עון חטאת ועל אשם עון אשם ועל עולה כפרה עון עשה ועון לא תעשה שניתק לעשה *Ambas quisque manus suas inter bina* victimæ *cornua ponit*, & *peccatum confitetur juxta victimam pro peccato*, *noxámque juxta victimam pro noxa cæsam*; *ac juxta holocaustum confitetur ea*, *quæ contra leges jubentes facta sunt*, *vel quidem contra leges vetantes*, *quibus jubentes implicantur*. Ac victimæ cujusque salutaris dominum nullas hujusmodi confessiones, sed laudes Dei juxta victimam suam edidisse judicat (*l*), וירא לי שאינו מתודה על השלמים אבל אומר דברי זבח *Juxta victimas salutares*, *ut mihi videtur*, *non confitetur peccata sua*, *sed Dei laudes commemorat*.

(*k*) *In Maase Korban. cap. 3.*

(*l*) *Ibid.*

IX. Atque illud sanè verisimile est, eódem pertinuisse preces juxta victimam quamque edi solitas, quò victimæ ipsæ pertinebant. Ita ut sacris piaculáribus culparum potissimùm confessiones cum pœnæ deprecatione junctas, voluntariis bonorum precationes, Eucharisticis autem, & votivis post res prosperas impetratas, periculáve depulsa factis laudes, & gratiarum actiones, omníque denique victimarum generi ejusmodi preces adjunctas putem, quæ cuique maximè conveniebant. Quod tamen nihil impediebat, quò minùs omni sacrificio (cujuscunque tandem generis esset) rite, aptéque addi posset peccatorum aliqua deprecatio. Ut quæ vel optimum quemque deceret, quâcunque de causâ immolaret. Sanè Gentes aliæ sacrificiis suis pro variâ eorum ratione preces varias adjungebant. *Quippe victimas cædi*, *sine precatione non videtur re-*

(m) *Hist. Nat. lib. 28. cap. 2.* *referre, nec Deos rite consuli*, inquit *Plinius* (*m*). *Præterea alia sunt verba impetrantis, alia deprecantis, alia commentationis* (*n*). Nec dubium arbitror, quin idem Hebræis mos esset. Illud Judæi omnes statuunt, nemini ad culpæ suæ veniam sacrificium ullum valuisse, nisi qui culpam expiandam prece supplici confiteretur. Ita *Abrabenel* (*o*) ex Talmudistis, ביארו חול בסנכח ובחים שבכל חטאת היה וידוי בהכרכם *Docuerunt laudatæ memoriæ Sapientes in codice Zebachim, omni sacrificio pro peccato culpæ admissæ confessionem necessariò addi debuisse.* Et R. *Abuavus* ista de confessione loquens, cujus meminit *Moses*, *Lev.* 5. 5. וה וידוי כולל לכל חטאות *Hæc confessio ad omnia sacrificia pro peccato pertinet.* Sed & idem statuit *Abenezra* (*p*), idem R. *Moses Ben Nachman* (*q*), idem quoque docet *Maimonides*, ac quidem tam de victimis pro noxâ, quàm pro peccato quovis cæsis (*r*), בעלי חטאות, ואשמות בעת שמביאין קרבנותיהן על שגגתן או על ודונן אין מתכפר להן בקרבנן עד שיעשו תשובה ויתודו וידוי דברים שנאמר ויתודה אשר חטא עליה *Victimarum pro peccato, noxáve Domini, quo tempore de culpis incogitatò aut cogitatò factis sacrificant, nisi pœnitentiam agant, & peccatorum confessionem disertis verbis conceptam edant, sacrificiis suis non purgantur, dictum enim est* (*s*), *& confitebitur in quo peccavit.*

(o) *ad Lev. 16.*

(p) *ad Lev. 5.*

(q) *Ibid.*

(r) *in Telshuba, cap. 1.*

(s) *Lev. 5. 5.*

X. Cæterùm in scriptis Judæorum tres extant supplicandi formulæ juxta victimas mactandas edi solitæ. Earum una â Pontifice edi solebat juxta juvencum piacularem die expiationis cædendum (*t*), & sua, & familiæ suæ peccata quotannis confitente (*u*), אנה השם חטאתי עויתי פשעתי לפניך אני וביתי אנה השם כפר נא לחטאים ולעונות ולפשעים שחטאתי ושעויתי

(t) *v. Misnam in joma. & Sipbra in Acharemoth, & Maim. in jom bakippurim, cap. 4.*

(u) *Lev. 16.*

ושעויתי ופשעתי אני וביתי ככתוב בתורה משה עבדך לאמור כי ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאתיכם לפני יי תטהרו *Obsecrò Domine, peccavimus, deliquimus, rebellavimus in conspectu tuo ego, & familia mea. Obsecrò Domine, remitte nunc peccata, delicta, & rebelliones, quibus peccavimus, deliquimus, & rebellavimus ego, & familia mea. Sicut scriptum est in lege* Mosis *servi tui, ubi dictum est, in hâc die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini* (*x*). Cui formulæ & altera similis erat juxta victimam eandem edi solita, quâ idem Pontifex peccata sua, suorúmque, totiúsq; familiæ *Aaronicæ* eodem die confitebatur (*y*).

(*x*) *Lev.16.30*

אנה השם חטאתי עויתי פשעתי לפניך אני וביתי ובני אהרן עם קדשך אנה השם כפר נא לחטאים ולעונות ולפשעים שחטאתי ושעויתי ופשעתי לפניך אני וביתי ובני אהרן עם קדשך ככתוב בתורה משה עבדך לאמור כי ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאתיכם לפני יי תטהרו *Obsecrò Domine, peccavimus, deliquimus, rebellavimus in conspectu tuo ego, & familia mea, & filii* Aaronis *populus sanctus tuus. Obsecrò Domine, remitte nunc peccata, delicta, & rebelliones, quibus peccavimus, deliquimus, & rebellavimus in conspectu tuo ego, & familia mea, & filii* Aaronis *populus sanctus tuus. Sicut scriptum est in lege* Mosis *servi tui, ubi dictum est, in hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini.* Cui Pontificis orationi Sacerdotes ita respondebant, ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *laudetur nomen venerabile regni ejus in sæcula sæculorum.*

(*y*) *Mish. & Siphr. & Maim. in locis paulò antè indicatis.*

His adde tertiam deprecandi formulam, quam manibus victimæ capiti impositis reus ipse suo ore edidit (*z*), אנה השם חטאתי עויתי פשעתי עשיתי כך וכך וחורתי בחשובה וזו כפרתי *Obsecrò Domine, peccavi, deliqui, rebellavi, hoc, & illud feci, nunc autem pœnitentiam ago, sitque* hostia *hæc expiatio mea.* Ea autem verba, *hoc & illud feci*, quæ mediæ formulæ inseruntur, nulla illius pars erant, sed tantùm locum illum indicant, quo quisque culpam nominabat victima sua expiandam. Quæ verò verba formulam claudunt, *sitque hæc expiatio mea*, hostiam ipsam designabant offerentis manibus jam subjectam; ac quidem, ut Judæi docent (*a*), hujusmodi significationem habent, sit hostia hæc meum in locum substituta, ut quod ipse malum merui, id in hostiæ meæ caput recidat.

(*z*) Maimon. *in Maase Korban. cap.* 3.

(*a*) *vid. quæ dicta sunt cap.*

XI. Sed & peccata confitendi duæ etiam aliæ extant formulæ, quarum altera à Sacerdote maximo juxta hircum in deserta abducendum die expiationis edi solebat totius populi Israelitici nomine, altera à pœnitente quovis sine victima culpam confitente. Prior illa sic concepta fuit (*b*), אנה השם חטאו עוו פשעו לפניך עמך בית ישראל אנה השם כפר נם לחטאים ולעונות ולפשעים שחטאו ושעוו ושפשעו לפניך עמך בית ישראל ככתוב בתורת משה עבדך לאמור ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאתיכם לפני ה׳ תטהרו *Obsecrò Domine, peccavit, deliquit, rebellavit in conspectu tuo populus tuus, Gens Israelitica. Obsecrò Domine, remitte nunc peccata, delicta, & rebelliones, quibus peccavit, deliquit, & rebellavit in conspectu tuo populus tuus, Gens Israelitica. Sicut scriptum est in lege* Mosis *servi tui, ubi dictum est.* In

(*b*) *vid. Misn. in joma, c.* 6. *& Siphra in ac hare moth. &* Maimon. *in jom. bakippurim cap.* 3.

*In hâc die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini.* Quibus precibus ita respondebant populus juxta ac Sacerdotes; ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *laudetur nomen venerabile regni ejus in sæcula sæculorum.* Formula autem altera sic se habet (*c*), אנה השם חטאתי עויתי פשעתי ועשיתי כך וכך והרי נחמתו כבושתי במעשי ולעולם איני חוזר לדבר זה *Obsecrò Domine, peccavi, deliqui, rebellavi, hoc, & illud feci. Nunc mei me facti pœnitet, pudétque; neque unquam iterùm ad id revertar.* Quam precem qui cum tertiâ illâ paulò ante positâ confundunt, & juxta victimas piaculares edi solitam arbitrantur (quod *Grotium* (*d*) judicâsse video) nullo modo audiendi sunt. Enimverò, alia ut præteream, huic formulæ desunt verba illa, וזה כפרתי *sitque hæc expiatio mea.* Quæ verba tertiam illam finiunt; id quod eò magis refert, quia quæ de victimis piacularibus, earúmque vi, ac ratione Judæorum communis sit sententia, (ut suo loco apparebit) ista præcipuè verba docent. Jam verò alia illa verba, עשיתי כך וכך *hoc & istud feci*, perinde in hâc, atque alterâ illâ antè positâ, locum indicant, quo quisque culpam in se admissam disertis verbis confitebatur. Quod quò prolixiùs, eò meliùs factum censebatur. Quippe quâ de re sic *Maimonides* (*e*), כל המרבה להתודות ומאריך בעניין וזה הרי זה משובח *Qui frequens est in confessione, atque etiam eâdem in re prolixus, hic laude dignus.*

(*c*) v. Maimon. in Teschuba, c. 1.

(*d*) ad Lev. 5.

(*e*) In Teschuba, cap. 1.

XII. Cæterùm (ut ad preces redeam juxta victimas mox cædendas habitas) idem quoque profanis Gentibus victimas suas nondùm cæsas prece sacrandi mos fuit, sed sine manuum impositione Judæis imperatâ adhibitus. Atque huc pertinent, quæ *Herodotus* de victimis Ægyptiorum prodidit (*f*). Θυσίη δέ σφι ἥδε κατέστηκε. ἀγαγόντες τὸ στεμμασμένον κῆνος πρὸς τοὺς βωμούς, ὅκου ἂν θύσωσι, πυρὴν κάουσι. ἔπειτα δὲ ἐπ' αὐτοῦ οἶνον χέαντες τοῦ ἱρηίου ἐπισφάξαντες, καὶ ἐπικαλεσάμενοι τὸν Θεὸν, σφάζουσι. *Sacrificandi autem is eis est ritus, pecude, quæ obsignata est, ad aram adductâ, pyram accendunt. deinde vino pecudi, è regione Templi, affuso, Deóque invocato, eam mactant.* Eodem valet, quod docet *Plinius* (*g*), *Victimas cædi sine precatione non videtur referre.* Et mox, *Vidimus certis precationibus obsecrâsse summos Magistratus. Et nequid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem, rursúsque alium custodem dari, qui attendat, alium verò præponi, qui faveri linguis jubeat.* Idem ex Poetis observavit *Vossius* (*h*), *Primum*, inquit, *Sacerdos adducebat victimam ad aram, quam manu tenebat. Inde conceptis verbis hostiam sacrabat Numini.*

(*f*) *In Euterpe.*

(*g*) *Hist. Natur. lib. 28. cap. 2.*

(*h*) *De Theolog. Gent. l. 9. c. 8.*

*Seneca* in *Thyeste*;

*Ipse est Sacerdos, ipse funestâ prece*
*Letale carmen ore violento canit.*
*Stat ipse ad aras, ipse devotos neci*
*Contrectat, & componit, & ferro admovet.*

Ju-

*Juvenalis Satyr. 6.*

*——dictataque verba*
*Protulit, ut mos est, & apertâ palluit agnâ.*

*Verba ait dictata, quia semper erat, qui præiret, nequid vel omitteretur, vel præposterè diceretur. Imò & alter addebatur, qui sedulò attenderet, alius item, qui favere linguis juberet.* Sed & aliæ etiam post cædem victimæ à Judæis æquè, ac aliis Gentibus preces adhiberi solitæ erant. Verùm hæ non sunt hujus loci; quippe nunc de eis tantùm agimus, quibus victima ante aram stata sacranda, ac devovenda fuit.

DE

# DE
# Mactatione Victimarum.

## CAP. XVI.

*De mactatione victimarum. De aspersione sanguinis. De pellium detractione, ritúque, quo victimæ prosecandæ erant.*

I. QUamprimùm pecudis immolandæ capiti manus quisque imposuerat, precésque etiam ritè peregerat cerimoniæ isti adjungendas, victima continuò cædenda fuit; cædésque ita conficienda, ut in vas pecudis jugulo subjectum totus sanguis emanaret. Id quod fore censébatur, si uno, duplicíve saltem ictu (nempe cultro prorsùm ac retrò acto) & gulæ, & arteriæ asperæ, ac denique venarum jugularium pars saltem maxima persecaretur (*i*). Atqui in hostiis lentiùs cæsis metus intrò sanguinem revocare, ibíque sistere censebatur (*k*). Quod ne fieret, cavendum erat; ne quibus caro comedenda fuit, sanguinis esu polluerentur. Ex quo illud *Mosis Maimonidis* de cæde victimarum differentis (*l*), כיצד הוא עושה אוחז הסכינים בידו ומוציאן עם הורידין לתוך הסורק ושוחט שנים או רוב שנים כדי שיחקבל הדם כולו בכלי *Cultrarius quomodò agit? gulam, asperam arteriam, venásque juguli manu prehensas mediæ pateræ admovet. Eásque, earúmve*

(*i*) *Maimon. in Schechita, c.2.*

(*k*) *Ibid. c.3.*

(*l*) *In Maase Korban. c. 4.*

*earúmve partem saltem maximam persecat, ut omnis in vas sanguis effluat.* Quare quò faciliùs patrari posset hostiarum cædes, propter boreale aræ latus in atrii pavimento fixi erant annuli quidam (*m*), quibus injici pecudum mactandarum colla (*n*), vel ut aliis (*o*) placet, pedes alligari solebant. Quod quidem apud profanas gentes grave piaculum putabatur. Jam ad boreale aræ latus cædendæ erant tales hostiæ ex bubus, ovibus, capríve lectæ, quales sacris sacerrimis accensebantur; nempe quæ vel pro holocaustis (*p*), vel de peccato (*q*), noxáve quâlibet (*r*) mactabantur. Atque hæc quidem sacræ literæ explicatè docent. Ac quoniam (quod jam ante diximus) salutares totius cœtûs hostiæ ad sacra sacerrima pertinebant, hæ quoque ad idem aræ latus ritè cædendæ censebantur. Jam verò ejusmodi omnes hostiæ, quæ Sacra Levia vocari solent, (quales fuere singulorum hominum victimæ omnes salutares, item sacrum Paschale, & primogenitum, & quod decimando obveniebat) ubivis in atrio Sacerdotum mactari ritè potuerunt (*s*). Neque enim hujusmodi hostiis cædendis certus ullus est in sacris literis atrii illius locus statutus. Verùm hæc omnia de victimis ex quadrupedibus lectis, non de avibus intelligenda. Aves enim ad aræ majoris cornua Sacerdotis ungue cædendæ erant. Nempe quæ holocaustis destinatæ erant (ita enim Judæis placet) ad cornu ejus euroaustrale, piaculares ad notozephyrinum. Illæ sic cædendæ erant, ut capita à corporibus dividerentur (*t*), quod in his neutiquàm faciendum erat (*u*).

(*m*) *Misna in middoth, cap.3.*
(*n*) *Obadias de Bartenora ad Middoth, c.3.*
(*o*) *Maimon. ib.*
(*p*) *Lev.* 1.11.
(*q*) *Lev.*6.25.
(*r*) *Lev.*7.2.
(*s*) *Maimon. in Maase Korban. c.5.*
(*t*) *Idem eodem tractatu, c.5.*
(*u*) *Lev.*5.8.

De

## *De aſperſione Sanguinis.*

II. Mactatâ victimâ, ſanguis continuò ſpargendus erat; verùm alio fere ritu, ac loco, aliis atque aliis in ſacrificiis. Enimverò quædam erant victimæ, quarum ſanguis in Tentorium ſacrum, Templúmve inferendus erat. Quales fuere totius cœtûs hoſtiæ omnes piaculares pro re natâ immolatæ (*x*). Item hircus pro eodem cœtu, juvencúſque pro familiâ *Aaronicâ*, uterque die expiationis cæſus (*y*). Ac denique juvencus piacularis Sacerdoti maximo imperatus (*z*). De reliquis ita ſtatutum erat, ut ſanguis aliarum cornibus aræ exterioris, aliarum autem lateribus ejus aſpergeretur. Nam quoties victimæ pro peccato ex bubus, ovibus, capríſve lectæ mactabantur; aliquantum ſanguinis ſingulis aræ majoris cornibus Sacerdotis digito (*a*) illinendum erat (*b*), reliquúmque aræ ejuſdem radicibus (*c*), (ac quidem ut Judæis (*d*) placet, notozephyrinis) affundendum; quippe quo in loco duo foramina patuerunt, per quæ in ductum ſubterraneum, inde in fluvium Cidronem fluxit (*e*). Jam verò ſanguis victimarum aræ lateribus affundendus aliàs ſupra mediam aram, aliàs infra, ut Judæis viſum, aſpergi debuit. Quo factum erat, ut mediæ aræ (nequis errori locus eſſet) filum coccineum accingeretur (*f*). Supra mediam aram aſpergendus erat earum omnium avium ſanguis, quæ pro holocauſtis cædebantur, infra autem ſanguis avium piacularium (*g*). Quinetiam, ut Judæis viſum, infra mediam aram affundi debuit reliquarum omnium victimarum ſanguis,

(*x*) *Lev.*4.16.

(*y*) *Lev.*16.14, 15.

(*z*) *Lev.*4.5.

(*a*) *Judæi ſanguinem indice aſpergi debuiſſe docent.*

(*b*) *Lev.*4.25, 34.

(*c*) *Ibid.*

(*d*) *v. Miſnam in middoth, c.*3.

(*e*) *Ibid.*

(*f*) *Ibid.*

(*g*) *Maimon. in Maaſe Korban. cap.*6.

guis, quo aræ latera imbuenda erant, sed alio, atque alio ritu. Nam agni Paschalis, & fœtûs masculi primogeniti, pecudísque decimando lectæ sanguis ritè aspergi censebatur, si modò cuivis aræ angulo crepidine instructo affunderetur (*b*). Habuit autem crepidinem angulus quisque præter unum angulum euroaustralem (*i*). At quoties holocausta ex quadrupedibus lecta (*k*), aut sacrificia salutaria (*l*), aut sacrificia pro noxâ fierent (*m*), *sanguis aræ circumfundendus erat*, sive, ut Judæi hoc intelligunt, singulis ejus lateribus aspergendus. Quo factum, ut in his sacrificiis, duobus angulis decussatim oppositis, nempe euroboreali, & notozephyrino, ita aspergi solitus esset, ut duabus tantùm aspersionibus omnia aræ latera imbuerentur. Unde dictæ sunt aspersiones istæ שתי מתנות שהן ארבעה *aspersiones duæ, quæ sunt instar quatuor* (*n*). Quia scilicet victimæ cæsæ sanguine quatuor aræ latera imbuebant. Qui idem sanguinem aræ circumfundendi mos apud alias etiam gentes valuit ita quippe factum, ut Sacerdos τὸ αἷμα τῷ βωμῷ περιχέων à *Luciano* inducatur (*o*).

(*b*) *Idem in Maase Korban. cap. 5.*
(*i*) *Ibid.*
(*k*) *Lev. 1. 5.*
(*l*) *Lev. 3. 2, 8, 13.*
(*m*) *Lev. 7, 2.*
(*n*) *v. Maimon. in Maasi Korban. c. 5.*
(*o*) *Lucian. de sacrificiis.*

III. Hactenùs de sanguine victimarum extra ædem sacram aspergendo. Jam aliæ quædam, ut antè dictum, fuere victimæ, quarum sanguis ritè illa in æde spargi debuit. Inter quas tamen id interfuit; quod sanguis aliarum non nisi in adyto exteriori, aliarum in utroque spargendus esset. Prius ad genus pertinuere juvenci illi piaculares, qui vel pro Sacerdote maximo, vel pro toto cœtu Israelitico è re natâ mactabantur (*p*). Quibus adde hircos piaculares, quos שעירי עו *hircos de cultu extraneo* cæsos vocare solent (*q*). Utpote

(*p*) *v. Lev. 4.*
(*q*) *Horum mentio fit Num. 15. 24.*

qui juvencis illis, utì *Maimonides* rectè docuit, pares, similésque essent victimæ; nimirùm & pro toto cœtu, & pro re natâ immolatæ. שעירי עבודה זרה והן שעירין נשרפין לא נחפרש בהן בתורה ביצד נותנין דמם ולהיכן הוא נותן אלא לפי שהם חטאות הקהל דינן כדין פר העלם שהוא חטאת הקהל לכל האמור בו לטחן דמים שריפה ולטמא את השורף (r), *Lex nusquàm docuit, quomodò, aut ubi sanguis hircorum de cultu extraneo mactatorum (qui hircis cremandis accensentur) spargendus erat. Hi verò cùm totiùs cœtûs tales essent victimæ piaculares, qualis erat juvencus de re ignoratâ immolatus, eandem, quam iste, rationem habent in eis omnibus, quæ vel de sanguinis aspersione, vel de combustione, vel de comburentium pollutione dicta sunt.* Quare quoties tales ullæ victimæ, quales jam diximus, cæsæ erant, sanguis in adytum exterius illatus, primò septies intimi aulæum versùs, posteà semel singulis aræ auratæ cornibus Pontificis digito spargi debuit. Quo facto, quod ejus reliquum erat, ad aræ exterioris radices è patera mox effundendum erat (s).

(r) Maimon. in Maaseh Korban. cap. 5.

(s) Lev. 4.

IV. Jam sanguinem juvenci piacularis pro totâ familiâ *Aaronicâ* die expiationis cæsi, hircique istius celeberrimi pro universo populi cœtu eodem die immolati Sacerdos maximus in adytum intimum inferre jussus est (t): ac primò quidem sanguinem juvenci, sanguinísque eò illati partem propitiatorium versùs, ut Judæis placet, semel superiùs, inferiùs septies digito spargere; tum verò in adytum exterius regredi, intimique adyti aulæum versùs sanguinis ejusdem partem aliam eodem planè modo spargere, quo propitiatorium versùs sparserat, nempe semel superiùs, inferiùs septies; ac posteà in-

(t) Lev. 16.

in hirci quoque ſanguine eoſdem omnes ritus repetere. His peractis, mox utriuſque victimæ ſanguinem eâdem in paterâ confundi oportuiſſe tradunt (*u*), ejúſque partem Pontificis digito ſemel ſingulis aræ auratæ cornibus, ejuſque faſtigio ſeptíes aſpergi debuiſſe (*x*), reliquúmque denique ad aræ majoris radices effundi. Harum autem duarum pecudum ſanguinem octies propitiatorium verſus, nempe ſemel ſuperius, inferius ſepties aſpergi rite debuiſſe *Maimonides* ex Veterum traditione (*y*), *Solomon* autem *Jarchi* ex ipſis ſacris literis colligit. Quippe hæc verba (*z*), *& aſperget digito ſuo contra faciem propitiatorii ad orientem, & coram propitiatorio aſperget ſeptem vicibus digito ſuo*; ita explicat *Solomon Jarchi* (*a*), והוה באצבעו הואה אחת בשבע ולפני הכפרת יזה שבע פעמים הרי אֹ למעלה וז למטה Et aſperget digito ſuo. *Ecce una aſperſio etiam ſenſu plano.* Et coram propitiatorio aſperget ſeptem vicibus. *Ecce ſemel ſuperiùs, inferiùs ſepties.* Quod autem iſta *Moſis verba*, על פני הכפרת (*b*) & על הכפרת (*c*) non *ſuper*, ſed *contra propitiatorium* vertam, in eo non tam meam ipſius, quàm Judæorum ſententiam ſequor; qui neutiquàm propitiatorio ipſi, ſed iſtud verſùs ſanguinis guttas aſperſas judicant. Ita *Obadias de Bartenorâ* (*d*), לא על הכפרת נוגעים אלא לארץ נופלים ſanguinis guttæ *non perveniunt ad propitiatorium, ſed in terram decidunt.* Quinetiam quod de propitiatorio, idem de aulæo ſtatuunt. אינו מזה על הפרוכת אלא כנגד הפרוכת *non ſpargit ſuper aulæum, ſed coram aulæo* (*e*). Cæterùm quoties propitiatorium, toties adyti intimi aulæum verſùs victimarum, de quibus nunc agimus, ſanguinem aſpergi debuiſſe aliis quibuſdam

(*u*) *Id colligunt ex Lev. 16. 18.*

(*x*) *Lev. 16. 18, 19.*

(*y*) *In jom hakippurim, c. 3.*

(*z*) *Lev. 16. 14.*

(*a*) *Ad locum.*

(*b*) *Lev. 16. 14.*

(*c*) *v. 15.*

(*d*) *Ad Joma cap. 5.*

(*e*) *Gemara, ſb.*

ex verbis colligunt. *Et sic faciet Tabernaculo congregationis* (*f*). Ubi *Solomon Jarchi*, כש"ם שהוא מפזר משניהם בפעם אחת למעלה ושבע למטה נמצא הפרוכת משניהם אחת למעלה ושבע למטה *Sicut partem sanguinis utriusque victimæ semel superiùs, inferiùs septies in adyto interiori spargit: ita spargit etiam aulæum versùs semel superiùs, inferiùs septies.* Cujus sanè numeri septenarii frequens erat in ritibus sacris usus.

(*f*) *Lev.* 16.16.

V. Ac quidem (ut pauca hoc de instituto dicam) quandoquidem Deus sex diebus rerum universitatem condidit, non tantùm septimum, quo cessavit, in memoriam mundi à se conditi (*g*), posteà sacrum esse jussit, sed etiam numeri septenarii frequentem admodùm in sacris usum. Nam, ut victimas modò dictas præteream, quarum in sanguine aspergendo numerus iste jussus erat, Septies vaccæ rufæ sanguis sanctuarium versùs aspersus erat (*h*). Septies sanguine respergendum, quicquid à lepra purgandum erat (*i*). Septies oleum aræ dedicandæ aspersum (*k*). Septem dies ei dedicandæ (*l*), septem consecrandis Sacerdotibus (*m*), totidémque sæpe immundis lustrandis constituti (*n*); totiésque *Naaman* se in *Jordanem* immergere jussus (*o*). Septem dies Jericho Dei jussu obsidenda fuit, septimóque septies ab obsessoribus circumeunda, septem Sacerdotibus tubas septem præferentibus (*p*). Quid multa? dies quisque septimus dies Sabbatarius sacérque fuit, septimus quisque annus Sabbatarius annus (*q*), anníque denique septies septem annum Jubilæum attulerunt (*r*). Infinitus sim, si alia hujusmodi omnia persequar. Quare numerus septenarius apud Hebræos perfectioni sacer erat. Atque ita fit, ut quod

(*g*) *Gen.* 2.2,3. *Exod.* 20.11.

(*h*) *Num.* 19.4.
(*i*) *Levit.* 14.17,51
(*k*) *Lev.* 8. 11.
(*l*) *Ex.* 29.37.
(*m*) *Ex.* 29.35. *Lev.* 8. 33.
(*n*) *Lev.* 14.8. & 15. 13,24. & *Num.* 19. 12,19.
(*o*) 2 *Reg.* 5. 10. 14.
(*p*) *Josh.* 6.

(*q*) *Lev.* 25. 4.

(*r*) *Lev.* 25.8, 9,10.

quod sæpe factum sit, septies fieri dici soleat (*s*). (*s*) *Psal.* 12. 6. *Prov.* 24. 16. & 26. 25. *Isa.* 4. 1. *Jer.* 15 5.

VI. Jam, ut eò redeam, unde parumpèr digressus sum, Aspersio sanguinis ritus omnium longè sacerrimus erat, quippe quo vita, animáve hostiæ Deo reddi censebatur tanquam summo vitæ, necísque Domino. Sicut enim in his religionibus Deo redditum putabatur, quod aris ejus impositum fuit: ita quidem sanguis vehiculum vitæ animæque est, imò vita ipsa nonnunquàm dicitur (*t*), ut cui sanguis, ei vita, ac anima redderetur. Hinc intelligitur, quod apud S. *Johannem* extat (*u*), *vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant.* Quas enim animas hic commemorat, illæ, ut verba ipsa docent, eorum erant, qui tanquam sacræ quædam victimæ sanguinem suum profuderunt. Eorúmque animæ sub arâ videndæ objiciuntur, quia animæ, (seu sanguis) victimarum ad aræ exterioris radices, ut antè diximus, effundi solebant. Qui verò aram inauratam, quæ in æde sacrâ posita fuit, hoc in loco indicatam putant, ex eo falsi intelliguntur, quòd victimarum nullarum sanguis hujus aræ radicibus affunderetur. Eos id fallit, quòd visi Apostolo objecti scenam, quæ non modò ultra ædem sacram, sed & ultra Sanctuarium patuit, intra ædem illam contentam judicent. Verùm hæc hactenùs, nunc ad reliqua progrediendum. (*t*) *Gen.* 9. 4. *Lev.* 17. 14. (*u*) *Apoc.* 6. 9.

*De*

## *De Pellium Detractione.*

VII. Aſperſio ſanguine, quoties holocauſta ex avibus fierent, primò caput, ut Judæis placet, ſimul atque ſale reſperſum eſſet, in aram porriciendum erat; tum plumæ & ingluvies adimendæ, & in cinerarium abjiciendæ (*x*). Mox alæ aliquantum divellendæ, ſed non à corpore dividendæ (*y*); ac denique corpus ſale inſperſum in aræ focum porriciendum (*z*). Quod ſecùs comparatum fuit in avibus omnibus piacularibus, utpote quarum, præter ſanguinem, nihil ad aram pertinebat; prout *Maimonides* (*a*) rectè docuit de ave piaculari differens, אין למובח ברה אלא דמה והשאר נאכל לובני כהונה *Nihil ex eâ niſi ſanguis ejus aræ cedit. Reliquo veſcuntur Sacerdotes, & Sacerdotum filii.* Ita factum erat, (ne ita unquam immolaretur, ut nihil dapis aræ cederet) ut nulla avis piacularis ſine holocauſto unquàm fieret (*b*).

(*x*) *Lev.* 1.16.
(*y*) *v.* 17.
(*z*) *v. Maimon. in Maaſe Korbanoth, c.6.*
(*a*) *Ibid.*
(*b*) *v. Lev.* 5.7. & 12.6,8. & 14.22. & 15. 15,30. & *Num.* 6.11.

Jam victimis ex quadrupedibus delectis, poſt ſanguinem ita, ut antè dictum eſt, aſperſum, pelles mox detrahendæ erant. Quod quo faciliùs fieri poſſet, ad boreale aræ latus octo poſitæ erant columnæ lapideæ, iiſque tranſtra interjecta in quibus ſingulis tres uncorum ferreorum verſus fixi erant (*c*), ut victimæ maximæ de uncis ſupremis, minores de mediis, minimæque denique de infimis ſuſpenſæ pellibus commodè exui poſſent (*d*). Quoties autem plures fortè victimæ, quam quas reciperent unci illi, immolarentur, (quod die Paſchali fieri ſolitum) tum quidem moris fuiſſe perhibent (*e*), ut baculis quibuſdam, qui inter hominum duorum humeros tranſverſi erant,

(*c*) *Miſna in middoth, c.3.*
(*d*) *Obadias de Bartenora. ibid.*
(*e*) *Miſna in peſachin, c.5.*

erant, ſuſpenderentur Paſchales agni, itáque ſuſpenſi degluberentur. Quanquam quidem R. *Eliezer* hos, qui agnos deglubebant, cùm Paſcha in diem Sabbati incideret, brachiis ſuis, ut baculis, uſos judicet (*f*), ne baculis iſtis ſuſtinendis Sabbati otium violarent. Verùm hoc *Sapientes* nihil movet, ut quibus illud ratum ſit, אין שבות במקדש *nullum eſſe in ſanctuario Sabbati otium* (*g*). Quale etiam eſt & Chriſti illud (*h*), τοῖς σάββασιν οἱ ἱερεῖς ἐν τῷ ἱερῷ τὸ σάββατον βεβηλοῦσι, καὶ ἀναίτιοί εἰσι. *Sabbatis in Sanctuario Sacerdotes Sabbatum profanant, & tamen inſontes ſunt.*

(*f*) *Ibid.*

(*g*) *v. Obadiam de Bartenora, & Maimon. ib.*

(*h*) *Matth.* 12. 5.

## *De ritu quo victimæ proſecandæ erant.*

VIII. Detractâ pelle, vel quidem dum ea detrahebatur, victima proſecanda fuit. Quod licet aliter fere fieret aliis, atque aliis in ſacrificiis, omni tamen victimarum ex quadrupedibus lectarum generi execanda erant ablegmina iſta, quæ à Judæis איטורים dicta ſunt. Ablegmina autem איטורים dicta, alia in ovibus, alia in bubus capríſque erant. Id quod *Maimonides* (*i*) ex ſacris literis (*k*) rectè docuit. אלו הן האיטורים של שור או של עז החלב אשר על הקרב ובכללו חלב שעל גבי הקיבה ושחי כליות בחלב שעליהן עם החלב אשר על הכסלים ויותרת הכבד ונותל מן הכבד מעט עם היותרת ואם היה קרבן מין הכבשים מוסיף על אלו האליה תמימה עם החליות מן השדרה עד מקום הכליות שנאמר לעומת העצה יסירנה *Hæc ſunt in bubus, capríſque ablegmina; adeps, quæ operit inteſtina, quâ comprehenditur adeps ventriculi; ambo renes, eorúmque adeps, cum adipe*

(*i*) *In Maaſe Korbanoth, c.* 5.

(*k*) *Lev.* 3.

*dipe ilibus adhærente. Item reticulum jecoris, quocum aufert* is, qui victimam profecat, *jecoris particulam. Sin fortè quicquam ex genere ovillo immoletur, his* ablegminibus *caudam integram addit, una cum articulis usque ad renum regionem pertinentibus. Dictum enim est, contra Spinam dorsi auferet eam* (*l*). Caudæ scilicet ovium apud *Syros*, utì refert *Plinius* (*m*), admodùm grandes esse solent, sebóque quodam onerari; quo factum arbitror, ut ablegminibus adderentur in arâ ritè adolendis. Ac quidem ut hæc, quæ jam diximus, omni semper victimarum ex quadrupedibus lectarum generi ablegmina execanda erant, ita quidem victimis piacularibus ex eodem animantium genere datis, ac salutaribus totius cœtus nihil aliud, nisi hæc ablegmina, execari detrahive jussum. Neque aliter de fœtu primogenito, pecudéque decimando sacrata, agnóque Paschali statutum erat. Quippe quarum omnium victimarum vel offerentibus, vel Sacerdotibus integra corpora cessisse constat; ut nihil esset, quare ea rite profecarentur.

(*l*) *Lev.* 3. 9.
(*m*) *Hist. Nat. l.* 8. *c.* 48.

IX. Jam verò singulorum hominum victimis omnibus salutaribus armus dexter unà cum pectusculo, arieti Naziræi etiam armus alter execandus erat. Quippe hæc primò cum ablegminibus ritu sacro agitanda erant (*n*), deinde ab eis auferenda, & Sacerdotibus in victum danda (*o*). Quæ autem sacra singulorum hominum istoc ritu agitata erant, ea in offerentium manus à Sacerdote tradita erant, deinde manibus Sacerdotis manibus offerentium suppositis Deo quaquaversum porrecta. (*p*) *Sacerdos*, inquit *Moses Ægyptius*, כיצד הוא מניף מוליך ומביא סלת ומוריד ואחם היה

(*n*) *Lev.* 7. 30. *Num.* 6. 19, 20.
(*o*) *Ibid.*
(*p*) *Num.* 6. 19, 20. *confer Lev.* 7. 30. *cum Exod.* 29. 24.

היה קרבן חודה לוקח מן הלחם חבא עמה אחד מ׳
ומניחו עם החוה ושוק והאימורים ומניף הכל על ידי
הבעלים כמו שביארנו וכיצד מניחין על ידי הבעלים
נ ותן את החלבים על ידי הבעלים וחוה ושוק למעלה
ושתי הכליות ויותרת הכבד למעלה מהם ואם יש
שם לחם מניחו למעלה ומניף הכל ואם היה קרבן איל
נויר מוציא האימורין ומפריש חוה ושוק ומבשל שאר
האיל בעורת הנשים ולקח הכהן הורוע בשלה מן האיל
עם אחד מעשרה מן הלחם הבא עמו עם החוה
והשוק והאימורין ומניף הכל על ידי הנויר והכהן מניח
ידיו תחת ידי הבעלים ומניף הכל כמו שביארנו

*Prorſùm, & retrorſùm, ſurſùm, & deorſùm movet. Ac, ſi ſacrificium Eucharisticum fiat, unam ex decem eis cruſtulis, quæ ei rite addi debent, pectuſculo, armo, & ablegminibus apponit, eáque omnia, ut antè diximus, per manus offerentium agitat. Iſta autem in manibus offerentium quomodo collocat? In manibus offerentium adipes ponit, eiſque ſuperponit pectuſculum, & armum; hiſque renes ambos, & reticulum jecoris. Ac ſiquæ fortè adſint cruſtulæ, earum unam his ſuperaddit; atque iſta omnia ſimul agitat. Quod ſi immoletur Naziræi aries huic primò ablegmina detrahit, tum pectus & armum execat, reliquúmque omne mox in atrio mulierum coquit. Quo facto, Sacerdos arietis illius armum coctum, cúmque eo unam è decem cruſtulis eidem ritè adjungendis, item pectus, armúmque alterum* crudum, *ac denique ablegmina quoque ſumit, eaque omnia per Naziræi manus agitat. Sacerdos enim, ut antè diximus, omnia agitat manus ſuas offerentium manibus ſubjiciens.*

X. Cæterùm sic prosecanda erant holocausta ex quadrupedibus lecta, ut pecudis caput, crura, armi, reliquáque omnia majora membra (de quibus mox explicatiùs dicam) alia ab aliis dividerentur. Ex his pedes, & interanea aquâ ritè lavanda erant (*q*). Quo de ritu sic *Maimonides* (*r*), ומדיחין במים שנאסר והקריב והכרעים ירחץ במים לא ביין ולא בסוג ולא בשאר משקין וכל הסימורת כשרין בסרה מדיחין הכרס סריחין איתה בבית כל צרכה הקרבים אין פוחתין משלשה פעמים ומריחין אותן על שלחנות של שיש שבין העמודים *Et aqua lavant, quia dictum est*; interanea & pedes aquâ lavabit; *aquâ scilicet*; *non mero, nec mixto, nec aliis liquoribus: aquæ autem omne genus approbatur. Quantum autem lavant? ventriculum lavant in conclavi, quantum sufficit; intestina verò ter ad minimum. Atque hæc quidem super mensas marmoreas inter columnas positas lavant.* Quod tamen minimè faciebant (ne atrium stercore contaminarent) priusquàm in conclavi lavassent. הקרבים סריחים פעם ראשונה בלשכת סריחים בצנעה שמלאו כוליהם הרבה בפרש *Intestina, quia stercore valdè sordent, primâ vice secretò lavant in conclavi lavantium* (*s*). Quod idem posteà ad mensas marmoreas iterabant, intestinorum corruptioni marmoris frigus obstare rati (*t*). Jam verò *Philo* (ut aliàs solet) pedum & ventris lotioni in sacris jussæ sublimiores sensus subjectos judicat.

(*q*) *Lev.* 1. 9.
(*r*) *In Maaseh Korban.* c. 6.
(*s*) *v. Tosaphoth ad middoth, c.* 3.
(*t*) *v. Obadiam de Bartenora ad middoth, c.* 3.

ἀποπλύνεσθαι δὲ κοιλίαν καὶ πόδας διείρηται πάνυ συμβολικῶς. διὰ μὲν γὰρ τῆς αὐτάρκειαν ὡς πλὴν ὀλίγων ἀποπίπτειν σύμφορον κηλίδων καὶ μίσους ἡδονῆς παρανοίας μάσην, κακοὶ βλασφημότατοι ὄντι λύμη τοῦ βίου τὸ

ἀπο-

ἀνθρώπων Συγκροτούμενοι ἢ Σωασκόμενον. Ἀφ' ὧν δὲ τὰς πόλας ἀπολύεσθαι, τὸ μηκέτι βαίνειν ἐπὶ γῆς, ἀλλ' ἀφεροβατεῖν (*u*). Quæ ita vertit *Sigismundus Gelenius. Nec mysterio caret, quod jubemur inteſtina, & pedes abluere. Per inteſtina enim lota ſubinnuitur oportere cupiditates ablui, abſtergique maculas contractas ex ebrietate, ac crapulâ,* vitiis *humanæ vitæ valde noxiis. Pedum verò lotio ſignificat non humi poſthàc incedendum, ſed per æthera.*

(*u*) *Philo de animalibus ſacrificio puris.*

XI. Profectâ victimâ, quicquid in ara adolendum erat, ad clivum ejus mox afferri, ibique ſale inſpergi ſolebat. Partes autem in aræ adolendæ in avibus piacularibus nullæ erant, at in holocauſtis ex avibus lectis omnes (ut diximus) præter ingluviem, & inteſtina; in aliis holocauſtis planè omnes. Nam quod Judæi muſculum quendam (qualis *Jacobo* cum Angelo luctanti (*x*) contractus erat) in aræ cineres rejicere ſolebant (*y*), id legis inju ſſu factum erat. Jam verò in reliquis ſacrificiis, nempe in Paſchali, & primogenito, eóque, quod decimando obvenit, itémque in ſacris piacularibus, ſacriſque de ſalute factis nihil in ara cremandum erat præter ablegmina אימורים dicta. In his fuit, utì antè diximus, ſebum omne חלב dictum. Item renes ambo, & reticulum jecoris, atque etiam jecoris ipſius particula. Ex quo *Grotius* Rabbinos (*z*) ſequens *myſticum ſenſum eſſe* dicit, *interimendas in Dei honorem cupidines; quarum inſtrumenta adeps, renes, iecur* (*a*). Notandum etiam talem adipem, qualis in arâ adolenda fuit, (nempe ſebum Hebræis חלב dictum) Judæis ad epulandum impuram, reliquam verò omnem pu-

(*x*) *Gen.* 32.25
(*y*) *Maimon. in Maaſe Korban. cap.* 16.
(*z*) *v. Abrab. ad Lev.* 3. 5. & *Baal Turim. ib.*
(*a*) *Grotius. ib.*

(b) *Ad Lev.* 3. ram fuisse. Ea adipum genera sic distinguit R. *Bechai* (*b*), השומן הנפרד והנקלף מן הבשר נקרא חלב ושאינו נפרד ומתערב בבשר נקרא שומן *Adeps, quæ separatur à carne, neque illa, tanquam cortice tegitur,* חלב (hoc est, *sebum*) *dicitur. Quæ autem non separatur à carne, sed unà cum eâ commiscetur,* שומן *adeps* simpliciter *appellatur.* Et paulò pòst, השומן הנפרד קר ולח ויש לו נסורת ועובי קשה להתבשל באצטבא והשומן המחובר בבשר הוא חם ולח *Adeps separata frigida est & humida, habétque crassum quid & spissum, quod ægrè in ventriculo conficitur. Adeps autem cum carne concrescens calida est & humida.* Hac cuique vesci licuit, at illam comedenti exitium de-

(c) *Lev.* 7. 23. 25 nunciatum erat (*c*).

XII. Jam holocausta totius cœtûs, ritè, ut modò dixi, prosecta, vinúmque ac ferta his addenda certus quidam Sacerdotum numerus ad aræ clivum ferre solebat. Juvencorum utique prosecta, ferta, ac libamina viginti quatuor; arietum undecim, agnorum autem, hædorúmque octo (*d*). Ita tamen ut agnos ad sacra quotidiana adhibitos aliàs novem, aliàs decem, aliàs undecim, aliàs duodecim Sacerdotes, pro varia temporum ratione, ad aram ferre soliti essent (*e*). Quod si (quod mane quoque factum est, nisi fortè dies festus esset) novem tantùm Sacerdotes ad hoc officium vocarentur, primus agni caput, pedémque dextrum, adipésque ad aræ clivum afferebat. Secundus ambas, quas vocant, manus, pedes scilicet anteriores. Tertius spinam dorsi, reticulum jecoris, ambósque renes. Quartus pectus, & gut-

(d) *Misna in Joma, c.* 2. *Maimon. in Maase Korban. c.* 6.

(e) *Ib. in Joma.*

tur.

tur. Quintus duas coſtas. Sextus inteſtina pateræ impoſita, quibus etiam crura ſuperpoſita erant. Septimus fertum ſimilaceum agno ſolido accommodandum. Octavus fertum Sacerdotis magni. Nonúſque denique vini libamen agni ferto adjiciendum (*f*). Quibus Sacerdotibus hæc officia (quemadmodum etiam reliqua reliquis) ſortitò ſemper obtingebant (*g*). Verùm hæc de holocauſtis totius cœtus, ut modò dictum, intelligenda. Nam quæ ſingulorum hominum erant, ea nec ſortito offerebantur, nec à certo Sacerdotum numero (*h*). Neque enim neceſſarium viſum eſt, ut quæ in ſacrificiis publicis; eadem quoque in privatis ordinis ratio haberetur.

(*f*) *Miſna in Tamid, c.4.*

(*g*) *Miſna in Joma, c. 2.*

(*h*) Maimon. *in Maaſe Korban. cap.6.*

XIII. Cæterùm proſecta holocauſtorum in aræ clivo, vel (quod in noviluniis (*i*) fieri ſolebat) ſuper aram ipſam ſale inſperſa in ſtruem illam, quæ à Judæis מערכה גדולה *ſtrues magna* appellatur, deinceps ita porrici ſolebant, ut nulla adhuc ſitus ratio haberetur; poſtea verò ſic diſponi, ut quem quodque in viva pecude ſitum habuit, eundem, quantum fieri potuit, in ara quoque obtineret (*k*). Id quod fieri debuiſſe Judæi his ex verbis colligunt (*l*), וערכו בני אהרן הכהנים את החתחים את הראש ואת הפדר על העצים *Fruſta autem, caput, & ſebum, ſuper ligna ordinabunt Sacerdotes filii Aaronis.* Quam verò ſtruem magnam vocant, ea alios etiam lignorum ordines in ara ſolitos fuiſſe indicat; quorum tamen de numero inter Judæos parum olim conveniſſe docent, quæ in *Miſna* (*m*) de die expiationis extant, כבל יום היו שם ארבע מערכות והיום חמש דברי רבי מאיר רבי יוסי אומר בכל יום שלש והיום ארבע רבי יהודה אומר

(*i*) Maimon. *in Temidin umoſaphin, c.6.*

(*k*) *Idem in Maaſe Korban. cap.6.*

(*l*) *Lev.* 1. 8.

(*m*) *In Joma, cap.4.*

אומר בכר יום ושתים והיום שלש *Alio omni die quatuor ibi erant lignorum ordines, & hodie quinque. Verba R.* Meir, *R.* Jose *dicit*, alio *omni die tres, & hodie quatuor R.* Jehuda *dicit*, alio *omni die duo, & hodie tres.* *Maimonides* (*n*) R. *Josem* sequitur, שלש מערכות של אש עושין בראש המובח בכל יום ראשונה מערכה גדולה שעליה מקריבין התמיד עם שאר הקרבנות שניה בצדה קטנה שממנה לוקחין אש במחתה להקטיר קטורת בכל יום שלישית אין עליה כלום אלא לקיום מצות האש שנאמר אש תמיד תוקד *Triplicem ignis struem super aram singulis diebus faciunt; primam scilicet struem magnam, in quam sacrum quotidianum, reliquaque etiam sacra porriciunt. Alteram parvam, juxta illam positam, unde batillo ignem sumunt ad suffitum quotidie adolendum. Tertiam, quæ non aliò pertinet, nisi ut illud exequantur, quod de igne conservando jussum est* (*o*). *Dictum enim est; Ignis perpetuò ardebit.* Quibus omnibus die expiationis, כדי להדר המובח ולעטרו *in aræ decus & honorem*, quartam etiam struem adjunctam docet (*p*). At verò rejicit quintam illam, qua R. *Meir* reliquias victimæ vespertinæ sequenti mane cremari solitas fuisse judicat, quippe quas reliquias ad primam struem manè appositas arbitratur (*q*). Docet etiam *Maimonides* (*r*) moris fuisse, ut ignis aliunde petitus igni antè de cœlo lapso, & in ara deinceps conservato, singulis diebus apponeretur. אף על פי שהאש ירדה מן השמים מצוה להביא אש מן ההדיוט שנאמר ונתנו בני אהרן הכהנים אש על המובח *Quamvis ignis de cœlo descendit, tamen ignem nostrum admovere jussum est, dictum enim est. Et dabunt Sacerdotes filii* Aaronis

(*n*) *In Temidin umosaphin, c. 2.*

(*o*) *Lev. 16. 13.*

(*p*) *In Jom hakippurim, c. 2.*

(*q*) *In Temidin umosaphin, c. 2.*

(*r*) *Ibid.*

ronis *ignem super aram* (*s*). Verumenimvero hoc præceptum ideo potius datum arbitror, ut hinc quisque intelligeret nemini nisi Sacerdoti ignem denuo ad aram admovere fas fore, quoties is vel inde detractus esset, (quod, quando castra movebantur, factum innuunt (*t*) sacræ literæ) vel penitus extinctus ac deletus; quod Templo ab *Achazo* clauso (*u*), & à Babyloniis diruto accidit. Neque enim postquam ista fierent, ignis de cœlo in aram lapsus, sed à Sacerdote admotus erat; eúmque illuc sic admotum tum ad sacra omnia comburenda, tum ad suffitum adolendum ara ipsa consecrabat. Neque alia de causa extincti erant *Nadab* & *Abihu*, quàm quod ignem ab ara non petitum ad suffitum adolendum adhiberent (*x*).

(*s*) *Lev.*1.7.

(*t*) *Num.*4.14.

(*u*) 2 *Par.*28. 24.& 29.3,4.

(*x*) *Confer Lev.* 10.1,2. *cum Lev.* 16.12.

CAP.

## CAP. XVII.

*De victimis comedendis, & extra castra comburendis.*

HActenus ea persecuti sumus, quæ holocaustis fieri solebant. Videamus sequitur de reliquis victimis, quarum, præter ablegmina, ut antè dictum est, nihil in ara adolebatur. Earum aliæ extra castra comburendæ, aliæ verò comedendæ erant. Ac quidem extra castra cremandæ, quarum erat sanguis in ædem sacram inferendus (†). Quales erant (quod jam antè docui) piaculares cœtus totius hostiæ pro re nata immolatæ (*a*), item hircus pro eodem cœtu, juvencúsque pro familia *Aaronica*, uterque die expiationis piaculi nomine sacrificatus (*b*). Ac denique juvencus piacularis Sacerdoti maximo imperatus (*c*). Quas qui victimas extra castra comburebant, eadem opera polluebantur. *Vitulum autem & hircum*, inquit Deus (*d*), *qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in sanctuarium, ut expiatio compleretur, asportabunt foras extra castra, & comburent igni tam pelles, quàm carnes eorum, ac fimum. Et quicunque combusserit ea, lavabit vestimenta sua & carnem aqua, & sic ingredietur in castra.* Nemo autem, nisi ob impuritatem, populi castris excluſus erat, carnémque, ac vestes lavare jussus (*e*). Ac quamvis ista, quæ jam posuimus, legis verba non nisi de

(†) *Lev.* 6.30. *Hebr.* 13.11.
(*a*) *Lev.* 4.21.
(*b*) *Lev.*16.27.
(*c*) *Lev.*4.11,12
(*d*) *Ibid.*
(*e*) *v. Lev.*15.5. *Num.* 19.8.

de victimis die expiationis cæsis dicta sunt, reliquarum tamen, quibus iidem planè ritus legis jussu adhibendi erant, nempe quarum sanguis in ædem sacram inferendus erat, ac corpora extra cremanda, eadem omnino ratio fuit; ut illas etiam qui cremarent, istac opera polluerentur. Ex quo illud Judæorum (*f*), זה בניין אב כל שרשו נכנס לפנים השורפו מטמא בגדים *Conclusio planè generalis est, cujus sanguis in ædem sacram infertur, id comburentium vestes polluere.* Adde & comburentes ipsos, utpote qui non vestes tantùm, sed & carnem lavare jussi erant. Quod idem quoque præceptum eis, qui vaccam rufam comburebant (*g*). Nam & hæc piaculum quoddam fuit pro universo cœtu factum, ac quidem eis totius cœtus victimis piacularibus simile, quæ pro re nata mactabantur. Sicut enim earum victimarum corpora extra castra cremanda erant, ita etiam corpus vaccæ rufæ (*h*). Quinetiam sicut earum sanguis septies intra tentorium sacrum, ita hujus etiam illud versus septies aspergendus erat (*i*).

(*f*) *v. Siphra in Achare moth.*

(*g*) *Num.* 19.3.

(*h*) *Num.* 19.5.

(*i*) *v.*4.

II. Jam verò ratio si quæratur, cur victimæ illæ, quæ extra castra cremabantur, cremantes semper polluebant, nulla alia cogitari potest, nisi quòd ipsæ pollutæ essent. Neque ipsæ (quantum ego intelligo) alio modo polluebantur, quàm quo hircus in deserta die expiationis ductus; quem quidem peccatis alienis ritu symbolico in se congestis ita pollutum fuisse patet (*k*), ut hunc, à quo abductus erat, labe reciproca inquinaret. Quo factum erat, ut huic etiam, priusquam in castra regrederetur, caro ac vestes lavandæ essent (*l*). Verùm his de rebus alibi latiùs differendum. Illud in præsentia notandum, quæ victimæ extra populi ca-

(*k*) *Lev.*16.21

(*l*) *v* 26.

ſtra, dum gens univerſa in deſertis errabat, cremandæ erant; eaſdem extra Ieroſolymam (cujus utique, ac caſtrorum populi eadem, ut diximus, ratio fuit) poſtea cremari debuiſſe. Quo pertinet illud *Moſis Maimonidis* (*m*) de ſacris cremandis diſſerentis, מקומות השריפה שלשה הן בעזרה ושם שורפין פסולין המוקדשין ואימורים קדשים קלים כשנפסלו גם בן ופרים ושעירים שאירע בהם פסול בין קודם וריקה בין אחר וריקה ומקום השני הר הבירה ושם שורפים פרים ושעירים הנשרפים כשאירע בהם פסול. אחר יציאתו מן העזרה ושם אותו מקום בירה והמקום השלישי הוא שקורין בירה הרשן והוא מחוץ לכל העיר ודוגמתו אל הקדש ברוגמת המקום חוץ למחנה ישראל אל אהל מועד ששם שורפים פרים ושעירים הנשרפים שנאמר בהן אל מחוץ למחנה *Tria ſunt loca ſacris comburendis conſtituta. Eorum primus in ſanctuario eſt; quo in loco ſacra rejicula cremant, & rejectanea ſacrorum levium ablegmina, & juvencos hircóſque, quibus ante, vel poſt aſperſum ſanguinem macula aliqua oborta fuerit. Secundus eſt Mons Domus, in eo hircos, & juvencos cremandos, ſiqua eis labes acciderit, poſtquam è ſanctuario efferantur, cremant; is locus Bira appellatur. Tertius, quem locum cinerum vocant, extra totam urbem poſitus eſt. Eandémque ad Templum rationem habet, quam ad tabernaculum conventûs locus extra caſtra Iſraelis ſitus. Hoc in loco cremant juvencos & hircos comburendos, quos ſacræ literæ extra caſtra cremari jubent* (*n*). Atque hæ victimæ ut maxima omnium piacula erant: ita hos, à quibus cremabantur, labe ſymbolica maculabant.

(*m*) *Ad Zebachim in Miſna, c.* 12.

(*n*) *Lev.* 4. 12, 21. *& Lev.* 16. 27.

III. Sed

III. Sed & idem erat profanis populis de victimis piacularibus judicium. Has enim victimas qui attigisset, hunc & pollui judicabant, & corpus ac vestes lavare debere, priusquam vel in urbem rediret, vel quidem suam ipsius domum. Unde ista *Porphyrii* de abstinentia (o), Πάντες γὰρ ἐπὶ τούτῳ ὡμολόγησαν οἱ θεόλογοι, ὡς ὅτι ἀπέον ἐπὶ ταῖς ἀποτροπαίοις θυσίαις τῶν θυομένων, καθαρσίοις τε χρηστέον. μὴ γὰρ ἴοι τις εἰς ἄστυ, μηδ' εἰς οἶκον ἴδιον, μὴ πρότερον ἐσθῆτα, καὶ σῶμα ποταμοῖς, ἢ πηγῇ ἀποκαθήρας, φασίν. *Omnes in hoc consentiunt Theologi, in sacrificiis, quæ ad malum aliquod avertendum fiunt, immolata minimè comedenda; sed lustralia adhibenda esse. Nemo enim (aiunt) eat in urbem, vel in propriam domum, nisi veste ac corpore fluviis, aut fonte priùs lustratis.* (o) Lib. 2. §. 44.

IV. Jam victimæ illæ, quarum carnes comedendæ erant, salutarium omne genus erant, omnésque etiam piaculares, nisi quarum sanguis in ædem sacram inferendus erat; item agnus Paschalis, fœtusque masculus primogenitus, pecúsque omne decimando lectum. Quarum tamen omnium victimarum carnibus nec cuivis hominum generi vesci, nec quovis tempore, locóve licuit. Enimvero victimis piacularibus (seu de peccato, seu noxa cæsis) aut salutaribus totius cœtus nemini nisi Sacerdoti, ejúsque filio vesci licuit, neque his nisi intra Sanctuarium (p), & pura quoque corpora habentibus (q). Quod idem in omnibus postulatum, qui ad convivia sacra accederent (r). Quinetiam Sacerdotibus cessit caro omnis fœtus primogeniti (s), armúsque dexter, & pectusculum de salu-

(p) Confer Num. 18. 9, 10. cum Lev. 6. 16. v. etiam Lev. 23. 20.
(q) Lev. 22. 4.
(r) Lev. 7. 21.
(s) Num. 18. 17, 18.

taribus hominum singulorum victimis (*t*), quibus de ariete Naziræi armus alter, ísque coctus, accessit (*u*). Verùm his omnibus ubivis intra Ierosolymam (*x*) non tantùm Sacerdotibus ipsis, eorúmque filiis vesci licuit, sed etiam uxoribus, ac filiabus aut nondum nuptis, aut repudiatis, viduísve paternam in familiam revocatis, modò vel nullos omnino liberos, vel à Sacerdote genitos haberent (*y*). Id quod secundum *Abenezram* (*z*), contra *Mosem Maimonidem* (*a*) judico. Sed & idem licuit Sacerdotum vernis, itémque servis pretio emptis (*b*), sed non mercenariis, aut inquilinis (*c*). Notandum etiam (quanquam hoc quidem non sit hujus loci) Israelitam quemque, quoties bovem, ovem, caprum, caprámve, aut quicquam ex his generibus lectum ad victum familiarem cæderet; maxillas, armum, & ventriculum Sacerdotibus dare jussum esse (*d*). Sicut enim portio ex omni massa ad mensas quotidianas subacta (*e*), ita his ex animantium generibus ad epulas familiares cæsis Sacerdotibus, ut famulitio Dei, viscerátio quædam præbenda fuit. Quæ cùm ex ore, armo, & ventriculo sumpta esset, sermones, opera, & appetitus Deo Sacrari oportere mysticè significásse creditur (*f*). Unde *Grotius* (*g*), *Abrabenelem* sequens, *Apud Hebræos*, inquit, *cedebat Sacerdoti de capite maxilla, de pedibus armus dexter, de corpore stomachus, ea redimere non licebat, significatur sacrandos Deo sermones, actus, appetitus.*

(*t*) *Lev.* 7. 33, 34.
(*u*) *Num.* 6. 19.
(*x*) *Deut.* 12. 6, 7, 17, 26, 27.
(*y*) *Confer Num.* 18. 11. *cum Lev.* 22. 12, 13.
(*z*) *ad Lev.* 22. 13.
(*a*) *In Terumoth cap.* 6.
(*b*) *Lev.* 22 11.
(*c*) *v.* 10.
(*d*) *Deut.* 18. 3.
(*e*) *Num.* 15. 20, 21.
(*f*) *Abrab. ad Deut.* 18. 3.
(*g*) *ad Lev.* 3. 9.

V. Jam ut armus dexter & pectusculum de victimis salutaribus singulorum hominum, & de ariete Naziræi armus etiam alter, ísque coctus, Sacerdotibus cessit, ita reliqua caro offerentibus. Eâque

que vesci viris fœminísque Israeliticis ubivis in Ierosolyma licuit (*h*). Quod idem etiam intelligendum de victima quaque decimando lecta (quæ integra (*i*) offerentibus cessit) itémque de Paschalibus victimis, seu ex agnis, seu ex hœdis lectis; quæ igne ita torrendæ erant, ut nullum eis frangeretur os, ac mox variis in sodalitiis unà cum pane non fermentato, herbísque amaris à convivis solidæ comedendæ erant (*k*).

(*h*) *Deut.* 12.6,7

(*i*) Maimon. *in Bechoroth, c.* 6.

(*k*) *Exod.* 12.

Jam caro victimarum salutarium offerentibus ad epulandum data speciem quandam mutuæ amicitiæ inter offerentes & Deum præbuit. Enimvero sicut communis mensa mutuam fere indicare solet hominum inter se concordiam, (unde usuvenit, ut unà epulari solerent, qui mutua fœdera sociabant; quo utique ritu inter *Isaacum* & *Abimelechum* (*l*), inter *Jacobum* & *Labanem* (*m*), inter *Hebræos* & *Gibeonitas* (*n*) fœdera olim pacta legimus) ita qui victimis vescebantur, aræ participes censebantur, communíque cum Deo mensa uti. Quippe ara *mensa Dei* dicitur, *ejúsque fructus Dei cibus* (*o*); ita ut quos Deus aræ suæ participes faceret, hos sibi amicitia quadam conjunctos esse significaret. Quæ eadem quoque ratio fuit, quare qui illa comedebant, quæ Dæmonibus immolata erant, (qui mos profanarum gentium fuit) Dæmonum consortes censerentur (*p*).

(*l*) *Gen.* 26.28, 30.

(*m*) *Gen.* 31.46.

(*n*) *Josh.* 9.14, 15.

(*o*) *Mal.* 1.12.

(*p*) 1 *Cor.* 10.20

VI. Ac quoniam sacra offerentibus data speciem quandam fœderatæ amicitiæ inter eos ac Deum præbuere, hinc cautum nequis ea victima vesceretur, quam pro piaculo faciebat. Quippe qui ut reus apud Deum, sacróque hospitio parum aptus in hoc sacrificio spectabatur. Atque hinc evenit, ut quisque victimam piacularem prius, quàm salutarem

tarem faceret, quoties utrumque illud genus eodem die immolaret (*q*). Ita quippe factum, ut hostia piaculari purgatus, gratiámque denuo apud Deum nactus salutari rite vesci posset, sacráque ad convivia uti. Adde, quod piaculorum reos, quum veniæ impetrandæ causa victimas suas sacrificarent, maximè deceret pœnitentia, pœnitentes de peccatis dolor, & ab epulis omnibus abstinentia, præsertim ab eis, quæ suis ex piaculis factæ erant. Id quod à *Grotio* observatum est de sacris salutaribus differente (*r*). *De his* inquit, *licebat post effusum sanguinem privatis, qui obtulerant, eorumque uxoribus ac liberis epulari in signum amicitiæ cum Deo. Id in oblatione similæ non licebat. Quia id inter privilegia erat Sacerdotalia; nec in victimis pro peccato ac delicto, ne de culpa lætarentur.*

(*q*) *v. Exod. 29, 14, 22. & Num. 6. 14, 16, 17.*

(*r*) *Lev. 3.*

VII. Hactenus expositum, quibus victimis vesci fas erat, & quibus personis, & quibus in locis istud licuit. Videamus sequitur quo temporis spatio victimæ quæque comedendæ erant. Quod quidem paulò aliud erat aliis atque aliis in sacrificiis. Votivis enim, ac voluntariis & eo die, quo facta erant, & postero quoque vesci licuit (*s*). Quod idem etiam statuunt Judæi de pecude decimando lecta, fœtúque masculo primogenito (*t*). At agno Paschali (*u*), ariete Naziræi, victimis Eucharisticis (*x*), aut piacularibus, aut salutaribus totius cœtus non nisi die, quo mactabantur, vel saltem ante sequens mane ad epulas uti licuisse judicant (*y*). Eandémque legem in fertorum reliquiis valuisse monent (*z*). Eucharisticas autem hoc in loco ejusmodi tantùm victimas voco, quas quisque & sua sponte obtulerit ob res prosperas impetratas, léxque ipsa

(*s*) *Lev. 7. 16.*

(*t*) Maimon. *in Maase Korban. cap. 10.*

(*u*) *Ex. 12. 8, 10*

(*x*) *Lev. 7. 15.*

(*y*) Maimon. *ubi suprà.*

(*z*) *Ibid.*

ipsa ita vocare solet (*a*). Quod ideo moneo, quia agnus Paschalis, fœtúsque masculus primogenitus, pecúsque omne decimando lectum, ac denique salutares victimæ feriis solennibus cædi solitæ ad genus Eucharisticum, ut ante diximus, aliquo modo revocari possunt. (*a*) *Lev.7.12.*

VIII. Jam eò brevius temporis spatium, quo victimæ rite comederentur, lege statutum videatur, nequis sacrorum corruptioni, nequis offerentium, aut Sacerdotum avaritiæ locus esset. Atque huc pertinent *Philonis* ista (*b*), Δυσὶ δὲ μόναις ἡμέραις ὑπηρέτησι τὴν χρῆσιν τῆς σωτηρίου θυσίας ποιεῖσθαι, μηδὲν εἰς τὴν τρίτην ἀπολείπουσας, πολλῶν χάριν. ἑνὸς μὲν, ὅτι τὰ τῆς ἱερᾶς τραπέζης πάντα καιρίως δεῖ προσφέρεσθαι, σπουδὴν ποιουμένους, ὡς μὴ μεταβάλῃ μήκη χρόνου. χρεὼν δὲ ἑώλων εὐσταθεῖν ἡ φύσις, καὶ ἀεὶ ἡδύσμασι προσαρτυθῆ. ἑτέρα δὲ, ὅτι τὰς θυσίας ἀζημιώτους εἶναι προσήκει, καὶ πᾶσιν εἰς μέσον προκεῖσθαι τοῖς δεομένοις. εἰσὶ γὰρ οὐκέτι δι' εὐτυχοῦς, ἀλλ' ὑφ' ἑτοίμου τὸ ἱερεῖον, ὃς εὐεργέτης καὶ φιλόδωρος ὢν κοινωνοὺς ἀπέφηνε τοῦ βωμοῦ καὶ ὁμοτράπεζον τὸ συμπόσιον τῆς θυσίας ὑπελθόντων, οἷς προσῆκε μὴ νομίζειν ἑστίαν. ἐπίδοποι γὰρ εὐωχίας εἰσὶν, οὐκ ἑστιάτορες. ὁδὶ ἑστιάτωρ ἐστὶν, ὃ συμβέβηκεν εἶναι καὶ τῆς προσκυνοῦ, ἣν ὁ θέμις ἀποκρύπτειν, φειδωλίαν καὶ ἀνελεύθερον κακίαν φιλανθρωπίας ἀρετῆς εὐγενοῦς προκρίνουσας. Hoc est, (vertente *Sigismundo Gelenio*) *In sacrificiis salutaribus duobus tantùm diebus epulari fas est, ita ut nihil reliquiarum superstit in tertium, idque de causis pluribus. Una, quia sacræ mensæ usus tempestivus debet esse, curando nequid corrumpatur morâ temporis; cum carnium vel* (*b*) *In Libro de victimis.*

con-

*conditarum natura sit obnoxia putredini. Altera, quia victimarum partes non sunt in penum retrudendæ, sed in medium proponendæ omnibus indigentibus. Jam enim sunt non offerentis, sed ejus, cui litatum est: qui, cùm sit beneficus ac munificus, vult convivis vocatis communicari suum epulum, non ejus, qui exhibet; quem sic cogitare jubet ministrum esse ipsum convivii, non dominum. Nam apparatus sit de liberalitate domini, quam dissimulari non decet præferendo humanitati sordidam parsimoniam.* Quod ne fieret, cautum est, ut sacra ultra tempus statutum asservata igne penitus absumerentur (*c*).

(*c*) *Lev. 7. 17.*

IX. Citiùs autem sacra Eucharistica, quàm vel votiva, vel voluntaria comedenda erant. Quia hæc duo pro rebus prosperis nondum impetratis, sed impetrandis, illa pro jam impetratis fierent, eáque de causa minùs parcè habenda essent, optimóque quoque invitato, ad epulas statim adhibenda. Quæ ratio fuit, cur sacris Eucharisticis panis omne genus adjungeretur (*d*). Ita quippe factum, ut ad epulum omnia paratiora essent, ταύτῃ ἡ θυσία, inquit *Philo* (*e*), οὐχ ὥσπερ ἡ προτέρα δι' ὅλης ἡμέρας ἀναλίσκεσθαι προσῆκεν, μιᾷ δ' αὐτὸ μόνῃ, ἵν' οἱ δεηθέντες ἑτοίμων καὶ προχείρων εὐεργεσιῶν ἑτοίμως καὶ ἀνυπερθέτως ποιῶνται μεταδόσεις. *Hanc victimam non biduo, sicut priorem illam salutarem, sed ipsa prima die lex jubet absumi. Ut qui propensam paratámque Dei beneficentiam experti sunt, sine mora aliis impertiantur.* Quæ eadem quoque hac de re *Abrabenelis* est sententia (*f*).

(*d*) *Lev. 7. 12, 13*

(*e*) *Lib. de victimis.*

(*f*) *ad Lev. 7.*

CAP.

# DE

# Ratione ac vi Typi Sacri.

## CAP. XVIII.

*Quæ typi ſacri ratio ac vis ſit, explicatur; & quæ ſacrificia Judæorum ſacrificii Chriſti typi præcipui extiterunt.*

I. CUM ſacrificia Judæorum, prout in ſe ſpectari ſolent citra intuitum ſacrificii Chriſti, ita, ut potui, explicuerim; Quod reliquum eſt, duobus in locis continetur. Quorum in altero videndum eſt, quæ præ reliquis ſacrificia ita ſacrificium Chriſti, ut typi antitypum, adumbrabant. In altero autem, Quid omnibus inerat Judæorum victimis, eis præſertim, quæ præ cæteris ſacrificium Chriſti adumbrabant, ex quo propria vis ac ratio Sacrificii ejus intelligatur.

Ac prior locus quò faciliùs patefiat, in anteceſſum docere viſum eſt, & quid ſit *typus*, & quomodo à ſimili, ſymbolóque differat, typúmque denique & antitypum inter ſe conferre. Jam *typus* (quatenus vox iſta ſenſum habet theologicum) ita definiri poſſe videtur, ut ſit futuri alicujus ſymbolum quoddam, aut exemplum ita à Deo comparatum, ut ipſius planè inſtituto futurum illud præfiguret. Quod autem ita præfiguratur, illud *antitypus* dici ſolet.

Illud utique primò ad typum pertinet, ut id, cujus typus est, adumbret. Unum autem alterum adumbrare potest vel re aliqua, quam cum altero illo communem habet, (quemadmodum Judæorum victimæ Christum, qui pro humano genere opportuno tempore moriturus erat, morte sua adumbrabant) vel rei, quæ alteri insit, symbolo, (quemadmodum Cheruborum imagines in intimo Templi adyto positæ Angelorum cœlestium celeritatem, nulla quidem sua celeritate, sed idoneo celeritatis *symbolo*, nempe alis sibi affabrè appositis satis commodè adumbrabant) vel denique alio quovis modo, quo utique fiat, ut res adumbrans cum adumbrata aliquatenus comparari queat. Uti *Melchizedecus* Dei Sacerdos æternum nostrum Sacerdotem, Iesum Christum, adumbravit. Enimvero etiamsi *Melchizedecus* reipsa quidem Sacerdos æternus non extiterit, ei tamen æternitatis speciem, tenuem illam quidem, & umbratilem attribuerunt sacræ literæ; utpote quæ tam illustris viri neque parentes, neque genealogiam, neque ortum, obitúmve memoraverunt, sed, contra atque in tantis viris facere solent, divino consilio reticuerunt.

Sed & illud quoque ad typum pertinet, ut ita à Deo comparetur, ut antitypum suum ipsius instituto adumbret. Id quod inter typum & simile interest. Similia enim multa sunt, quæ tamen eo ipso consilio minimè facta sunt similia, ut altero alterum adumbretur. Quo factum est, ut licet *omnis caro ut gramen*, & *omnis gloria hominis ut flos graminis* esse dicatur (*g*), nemo tamen teneritatem graminis humanæ continuò fragilitatis, aut graminis florem humanæ gloriæ typum putet. Quod

1 Pet. 1. 24.

idem

idem esse debet judicium de eo quoque similium genere, quorum alteri datur alterius nomen. Quamvis enim *Herodes* ex subdola sua calliditate *vulpes* quidem nominatus sit (*h*), *Judásque* ex fortitudine sua *Leonis catulus* (*i*), nemo tamen *vulpes Herodis* typos, *Judæve Leonum catulos* judicat. Cujus ea omnino ratio est, quòd hæc, & hujus generis similia non sint eo consilio facta; ut alterum altero adumbraretur.

(*h*) Luc.13.32.
(*i*) Gen. 49.9.

Quod autem ad typi rationem id etiam pertinere faciam, nempe ut futurum aliquid adumbret; in eo sanè & sensum illum, qui in ea voce inveteravit, & sacras quoque literas sequor, quæ propriam typi sacri rationem nulla fortè in re agnoscunt, nisi quæ Dei instituto futurum aliquid adumbraverit. Sanè illa *Mosis* instituta, in quibus inerat typorum ratio, σκιὰ τῶν μελλόντων *futurorum umbra* appellantur (*k*), & quæ veteribus τυπικῶς evenerunt, in eorum admonitionem facta dicuntur, *in quos fines sæculorum devenerunt* (*l*). Qua eadem ratione Lex *Mosaica*, quæ typis plurimis referta fuit, *bonorum, quæ futura erant, umbram quandam habuisse* dicitur (*m*). Eáque denique, quæ olim in Tentorio sacro Dei jussu facta erant, eorum, quæ in cœlesti Tabernaculo deinceps facienda erant, *figura quædam* appellantur (*n*). Quibus ex rebus intelligitur, idem inter typum & symbolum interesse, quod inter genus & partem interest. Æquè enim symbolum dici potest, quod præsens aliquid, aut præteritum ac quod (quæ typi ratio est) futurum aliquid adumbraverit. Ita ut ejusmodi ritus omnes, quibus virtus aliqua Judæis colenda adumbrabatur, sacra potius symbola,

(*k*) Col. 2.17.
(*l*) 1 Cor. 10.11
(*m*) Hebr.10.1
(*n*) Hebr.9.11, 12,23,24.

quàm typi ſacri vocari debeant. Iſti autem ritus (ſiqui forte erant) quibus & præſentium & futurorum ſymbolica ſignificatio inerat, & ſymbola, & typi dici poſſunt. Symbola, quatenus res præſentes, typi autem, quatenus futuras inſtituto Dei deſignabant.

II. Quandoquidem quid ſit typus ſacer, ac quomodo à ſimili, ſymbolóque differt, ſatis explicatum videatur; deinceps typus & antitypus inter ſe mutuò conferendi. Ac primò ita his in rebus comparatur, ut antitypus in typi locum ſuccedat, eúmque adeo loco moveat; ut ſimul atque antitypus adſit, nullus deinceps typo locus, nullus uſus reperiatur. Deinde (quod maximè advertendum) id inter antitypum & typum intereſt, quod quæ revera in antitypo vis ineſt, ea nonniſi ſpecie tenus, aut gradu longè exiliori in typo extiterit. Enimverò quamvis (quod ante dictum eſt) typus nonnunquam rem aliquam cum antitypo ſuo communem habuerit, ea tamen res multò minus in typo, quàm in antitypo, ſemper valet; quemadmodum mors earum victimarum, quibus mors Chriſti adumbrabatur, longè minorem apud Deum hominéſque vim habuit, quam quæ ad mortem Chriſti pertinet. Ita ut vis rei adumbrantis virtutis in adumbrata repertæ nil niſi ſymbolica quædàm ſpecies, aut tam exilis gradus fuerit, ut pro umbra quadam haberi poſſet. Hinc illa Apoſtoli ad Hebræos (*o*), *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, eiſdem ipſis hoſtiis, quas per ſingulos annos offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere.* Quo in loco ſicut rerum imaginem pro rebus ipſis dixit, (quemadmodum & Latini autores *effigiem* pro

(*o*) *Hebr.* 10.1.

pro re ipsa ponunt) ita Judæorum sacrificia, quæ typi erant sacrificii Christi, umbram tantum virtutis illius habuisse dicit, quæ verè inest sacrificio Christi. Eoque factum, ut ista sacrificia eos, à quibus facta erant, perfectè nunquam expurgarent. Eodem spectant ejusdem Apostoli alia illa (*p*), *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus sanctificat ad emundationem carnis; quantò magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* Cujus ea est consecutionis ratio, quòd vis, quæ non nisi specie tenus, aut tenui exilique gradu in re adumbrante reperta fuit, ea verè ac gradu præstantiori in re adumbrata locum habeat. Quod idem mox explicatiùs dicit, cùm iis quidem sacrificiis quæ apud Judæos facta erant, *cœlestium exempla lustrata* docet, *potioribus autem cœlestia ipsa* (*q*). Hinc usuvenit, ut sicut umbra solido corpori, reive species rei ipsi; ita *Mosis* lex, quæ plurimos jussit ritus typicos, Evangelio Christi opponatur; utpote quod res ipsas habet typis istis adumbratas. Ita scilicet illa intelligenda, *Lex per* Mosem *data est, at gratia, & veritas per Jesum Christum facta est* (*r*). Ubi solida rerum ipsarum effigies in Evangelio repræsentata typicis legis umbris opponitur. His etiam adde alia illa, *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbræ futurorum, Corpus autem Christi* (*s*). Ubi S. *Hieronymus, Nullum ergo in hoc judicium est, quod est umbra, & cessavit corpore veniente, quia imagine opus non est veritate præsente.* Et *Photius,*

(*p*) *Heb.*9.13,14

(*q*) *Heb.*9.23.

(*r*) *Joh.*1.17.

(*s*) *Col.*2.16,17

*tius*, τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, τουτέστιν ἡ ἀλήθεια, *Corpus Christi est, hoc est, veritas.* Quo refer, quod Apostolus antè dixerat (*t*), *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Bene enim hoc de loco *Augustinus*, *In ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter, quia in Templo habitaverat umbratiliter.*

(*t*) *vers.* 9.

III. Quare cùm typi propria ratio in re futura quovis modo adumbranda sita sit, ut nihil referat an re aliqua, quam cum antitypo communem habuerit, an ejusmodi rei, quæ antitypo insit, symbolo aliquo, tenuive ac exili specie vim antitypi adumbraverit, minimè audiendus est *Socinus*, qui *rem adumbrantem ea qualitate penitus carere non posse* dicit, *quam in re adumbrata præfigurat* (*u*). *In eo*, inquit, *vehementer peccatur, quod pro concesso sumitur rem adumbrantem ea qualitate penitus carere posse, quam in re adumbrata præfigurat, id enim plane falsum est. Semper enim in re adumbrante aliquid ejusdem generis est cum eo, quod in re adumbrata præfigurat, quamvis id ejusmodi sit, ut, si cum eo quod præfigurat, comparetur, imago quædam veritati opposita videatur. Exempli causa, serpens ille æneus Christum adumbravit; inque eo exaltationem sive in crucem, sive in cœlum, salutémque, quam adepturi essent quicunque ei fidem habuissent, præfiguravit. Atqui interim ipse quoque serpens exaltatus fuit, omnésque in eum intuentes servabantur. Itaque utrobique exaltatio, utrobique intuitus aliquis, utrobique salus: sed hic multò præstantiora omnia, quam ibi.*

(*u*) *Prælect. cap.* 22.

Quæ

Quæ *Socinus* eo animo ſcripſit, ut nulla ſacrificii Chriſti vis ullis Judæorum ſacrificiis vel adumbrata cenſeatur, niſi quæ eiſdem in ſacrificiis verè ac reipſa inerat. Quod qui cenſuerit, maximè profecto à vero aberit. Quid enim evidentius eſſe poteſt, quàm ita nonnunquam comparatum fuiſſe, ut res adumbrans ſpeciem tantum, aut ſymbolum aliquod qualitatis ejus, non eam ipſam qualitatem haberet, quam in re adumbrata deſignabat? Quid enim Cheruborum imagines ſupra propitiatorium poſitæ? Sanè Angelorum celeritatem nulla ſua celeritate (quod ante diximus) adumbrabant, ſed tantùm alis ſibi additis, apto quidem celeritatis ſymbolo, ſed nulla celeritate prædito. Neque verò ſuffimenta ſacra in Templo adoleri ſolita, quæ (utì ſacræ literæ (*x*) docent) ſanctorum preces adumbrabant, veram ullam qualitatem cum precibus communem habuerunt. Neque enim ſuavis eorum odor (etſi quam gratæ Deo eſſent piæ omnes ſanctorum preces, ſatìs commode ſignificabat) ejuſdem generis qualitas fuit, cujus utique fuit altera illa, quam in precibus eis adumbrabat. Nec video ſanè, quid ille ipſe in ſerpentem æneum oculorum intuitus, quem *Socinus* cum fide Chriſto habita, ut typum cum antitypo confert, cum fide illa reipſa ac verè commune habuit. Licet enim oculorum intuitus cum mentis ipſius aſcenſione aliquo modo conferri poſſit, haud ſcio tamen, quidnam ejuſdem propriè generis (quod poſtulat hac in re *Socinus*) utrique adjudicari queat. His omnibus adde, quod ſalutaris ea vis, qua illi omnes ſanabantur, qui oculos ſuos in æneum ſerpentem defigebant, ſerpenti iſti non niſi ſpecie tenus ineſſet; contra atque divina illa vis, qua, qui Chriſto fidem

(*x*) *Apoc.* 5. 8. & 8. 3, 4.

dem habent, æternam ſalutem aſſequuntur, in Chriſto ineſt; quippe in quo *ipſa divinitatis plenitudo σωματικῶς habitare* dicitur. Utcunque ſit, illud certum eſt, typum antitypum adumbrare poſſe non tantùm tali aliqua re, qualis in antitypo reperta fuerit, ſed vel ejuſmodi rei ſymbolo, vel tenui umbratilíque ſpecie, vel denique tali aliqua re, qualis cum ea, quam adumbrat, aliquo modo conferri poſſit.

IV. Cæterùm etiamſi typus omnis ita quidem comparatus ſit, ut aliquid in antitypo ſuo Dei ipſius inſtituto adumbret, nihil obſtat tamen, quo minùs eadem illa res, in qua typi ratio cernitur, alios etiam aliquos fines habeat; ſiquidem ejuſdem planè rei varii eſſe poſſint fines, qui unà facile conſtare queant, licet alii huc, alii autem aliò ſpectent. Fac itaque (quod Chriſtiani veteres, quidámque Judæorum ſtatuunt) Hebræis ex Ægypto egreſſis partim quidem ea de cauſa imperata fuiſſe ſacrificia, ut populus adhuc ſibi indultis, quibus antè aſſueverat, religionibus, facilius ad Dei veri cultum adjungeretur, eique firmius adhæreret, nihilo tamen minus alia etiam cauſa ſubeſſe potuit, cur Deus eadem ſacrificia eidem populo imperaret, nimirum ut illa ſacrificium Chriſti, ut typi antitypum, adumbrarent, præſertim cum ſacrificia illa, quibus populus in Ægypto aſſueverat, novis quibuſdam ritibus & legibus corrigi poſſent, & emendari, ut multò aptius hoc præſtarent. Id quod revera factum judico eis ſaltem in victimis piacularibus, quarum utique ſanguis in ædem ſacram illatus erat, corporáque extra caſtra combuſta. Quod quare judicem, nihil eſt cur hoc in loco dicam. Illud interim ex jam dictis ſequitur, omnia illa ſacrificia

crificia sacrificii Christi typos fuisse, quibus aliquid legis ipsius jussu, eoque consilio præscriptum fuit, ut alterum aliquid in sacrificio Christi aliquo modo adumbraret, licet eadem illa sacrificia eo etiam consilio imperata essent, ut populus religiones illas, quibus jampridem assuetus fuerat, deinceps ad Deum verum transferens hoc pacto in ejusdem cultu faciliùs contineri posset.

V. Hæc itaque cum ita sint, ego sanè nihil obstare arbitror, quo minus omnes Judæorum victimæ pro sacrificii Christi typis aliquo modo haberi possint. Sicut enim victimæ cujusque mors satis commodè mortem Christi adumbrare potuit, ita summam puritatem Christi, *qui se planè immaculatum Deo obtulit* (y), immaculata corporis integritas in victima quaque postulata; idque, licet eadem illa lex, quæ integritatem illam postulabat, eo etiam pertineret, ut quisque inde intelligeret, quanta illius esset puritas, cui nulla prorsus nisi pura hostia immolanda erat, quámque sanctè is ab immolantibus adeundus esset. (y) Hib. 9. 14.

Adde quod Apostolus ad Hebræos omnia victimarum genera (nominat enim θυσίαν, καὶ προσφορὰν, καὶ ὁλοκαυτώματα, καὶ περὶ ἁμαρτίας) cum uno sacrificio Christi, ut typos cum antitypo suo tacitè conferre videatur (z). *Ideo*, inquit, *ingrediens in mundum dicit; hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata & victimæ pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superiùs dicens, quia hostias, & oblationes, & holocautomata, & victimas pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi,* (z) Hib. 10. 5, 6, 7, 8, 9, 10.

*quæ secundum legem offeruntur; tunc dixi, ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Aufert primum, ut sequens statuat, in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel.* Vult utique Apostolus (quod verba illa, *aufert primum, ut sequens statuat*, apertè indicant) in locum omnium victimarum, *quæ secundum legem offerebantur*, successisse sacrificium Christi; atque ita factum, ut hoc peracto istæ omnes evanescerent; quæ quidem ita perspicua sunt, ut à *Crellio* ipso concedantur (*a*). *Poterat*, inquit, *cogitari, quid hoc ad nos, peccatorúmve nostrorum expiationem pertinet, quod Christus oblationum legalium loco Dei sese voluntatem facturum dicat; eámve perfecerit? ostendit nempe Autor, Dei hanc voluntatem, ejusque executionem in sacrificio & oblatione Christi pro nobis facta consistere; unde etiam tacitè cum sacrificiis & oblationibus confertur, illisque simul tanquam longe præstantior, ac Deo acceptior opponitur.* Christum ergo Dei voluntatem oblationum legalium loco facturum fuisse idem his in verbis *Crellio* ipsi est, ac Christum earum oblationum loco Deo sese oblaturum fuisse. Ex quibus patet sacrificium Christi in victimarum omnium legalium locum (de omnibus enim his in verbis agitur) *Crellio* ipso judice, successisse. Quare cùm in locum victimarum omnium ad legis præscriptum immolatarum successerit Christi sacrificium, eásque omnes loco moverit; cúmque idem hoc sacrificium ejus eis omnibus præstantius esset; sanè par videtur, ut eas omnes hujus typos fuisse judicemus, hócque unum earum omnium antitypum. Satis enim elucere videtur mutua antitypi & typi ratio in duabus aliquibus ejusmodi

(*a*) *ad Hebr.* 10. 10.

ejusmodi rebus, quarum illa in istius locum Dei instituto succesſerit, eámque insuper vim attulerit, cujus ista non nisi speciem aliquam, aut gradum admodum exilem habuit; præsertim quando earum rerum tanta fuerit similitudo, quanta inter omnes Judæorum victimas & Christi sacrificium intercesſit.

VI. Hæc autem utcunque sint, illud minimè dubitandum, quin illæ Judæorum victimæ, quarum corpora extra castra cremabantur, & typi fuerint sacrificii Christi, & quidem reliquis præstantiores. Præterquam enim quod ad has omnes eadem illa pertinerent, quibus reliquæ Christum adumbrabant, (nempe mors, & illibata integritas, &, siqua sunt, ejusmodi alia) harum quæque piacularis fuit, quale fuit & sacrificium Christi. Imò verò (quod multo magis refert) hæ omnes sacrificium Christi hoc ipso magis adumbrabant, quòd harum corpora extra castra legis jussu cremanda essent. Atque huc pertinet Apostoli illud ad Hebræos (*b*), *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Cujus sanè de loco illo, ubi Christus mortem pati debebat, nulla esset argumenti vis, nisi omnes Hebræorum victimæ, quarum sanguis rite in ædem sacram inferendus erat, sacrificium Christi adumbrassent. Neque enim si ejusmodi victimæ extra castra cremarentur, idcirco Christo extra Ierosolymam (cujus utique ac castrorum populi eadem plane ratio fuit) moriendum erat, nisi ut major inter eas victimas Christúmque

(b) Hebr. 13. 10, 11, 12.

convenientia intercederet. Quæ tamen nisi inter typos & antitypum nulla omnino requirenda fuit. Ex quibus sequitur omnes victimas, quarum corpora extra castra cremabantur, & typos fuisse sacrificii Christi, & quidem reliquis præstantiores; siquidem quæcunque tales fuerint non solummodo mortem ejus, sed & mortis locum præfigurarent.

Quod autem quidam in modò positis Apostoli verbis de nullis victimis agi judicant, nisi quarum sanguis in intimum ædis sacræ adytum inferendus erat, in eo sanè vehementer errant. Agitur enim de omnibus victimis piacularibus, quibus vel ipsis Sacerdotibus nulla vescendi potestas fuit, id quod verba illa docent, *habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Tales autem erant omnes victimæ, quarum sanguis in utrumvis adytum inferendus erat. Ut vox ἅγια hoc in loco non solummodo intimum illud (quod ἅγια τῶν ἁγίων dici solet) sed utrumque planè adytum designet.

Quod autem ad victimas illas attinet, quarum sanguis in intimum Templi adytum inferendus erat, corporáque extra castra cremanda, in illis sanè non solummodo Christi mors mortísque locus adumbrabantur, verùm etiam ingressus ejus in cœlum adyto isto adumbratum. Ex quo illa ejusdem Apostoli (c) Hebr. 9. 11, 12. (c), *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem* (secus atque Judæorum Pontifex) *introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Quo in loco Pontifex Judæorum, & Pontifex noster Jesus Christus; sanguis hircorum & vitulorum (eorum

rum utique, qui diebus expiationis mactabantur) & sanguis Christi; intimum adytum, & cœlum supremum; ac denique (id quod jam posui) Pontificis in adytum illud ingressus per victimarum earum sanguinem, & ingressus Christi in cœlum ipsum sui ipsius sanguinis vi; ut res adumbrantes & adumbratæ inter se mutuò conferuntur.

VII. Hæc itaque cùm ita sint, nihil longiùs à vero abest, quàm quod *Socinus* pro certo posuit (*d*), nullas scilicet victimas piaculares sacrificium Christi adumbrasse, nisi quæ & temporibus statis, & pro toto cœtu mactabantur. Erant enim inter has ipsas victimas, quarum sanguis in Templum inferendus erat, corporáque extra castra cremanda, duo illi juvenci piaculares, quorum alter quidem pro toto cœtu (*e*), alter autem pro uno Pontifice (*f*) pro re nata mactabatur, neuter verò statis temporibus. Quod idem etiam, ut antè docui, de hirco illo statuendum, qui universi cœtus nomine toties immolandus erat, quoties cœtus iste per imprudentiam, patriarum religionum loco, ritus extraneos suscepisset (*g*). Huc accedit, quòd cùm Apostolus ad Hebræos de eis ipsis victimis ageret, de quibus, ut de sacrificii Christi typis præstantissimis, meminit, (quales erant illæ, quarum sanguis in intimum adytum inferebatur) vitulos semper, sive tauros cum hircis junxerit (*h*). Jam verò vituli, seu tauri illi, quorum sanguis in intimum Templi adytum inferebatur, non pro toto populi cœtu, sed pro una familia *Aaronica*, ut ante diximus, immolabantur.

(*d*) *Prælect.* 6.22.

(*e*) *Lev.*4.13, 14,21.

(*f*) *Lev.*4.3, 11, 12.

(*g*) *Num.*15.24.

(*h*) *Hebr.*9.12, 13. & 10.4.

At, inquit *Socinus* (*i*), cùm Christus se piaculum fecerit pro universo humano genere, *nulla piacula sacrificium ejus ita adumbrare potuerunt, ut res adumbrans rei adumbratæ responderet, nisi quæ pro populi Israelitici universo cœtu facta erant.* Quasi verò

(*i*) *Prælect.* cap. 22.

verò leves quædam argutiæ ſacris literis opponi debeant, idque abreo, qui tamen ipſe nihil profecto inde attulit, quo ulla Judæorum piacula ſacrificium Chriſti adumbraſſe doceat. Quanquam (nequis forte *Socini* illa refutari minimè poſſe putet) fac hoc quidem ipſum, nempe Chriſtum pro toto humano genere mortem oppetiturum fuiſſe per ſacrificia ſingulorum hominum adumbrari minime potuiſſe, potuit tamen ipſa ejus mors, potuit locus, quo mortem oppetiturus fuit, potuit & vis expiatoria, quæ ad ejuſdem mortem pertinet, potuit denique Chriſti puritas per ea ſacrificia adumbrari. Réque ipſâ ſanè hæc omnia per illa piacula adumbrabantur, quæ pro Pontifice facta erant. Quibus adde, quod in juvenco illo, qui pro familia *Aaronica* die expiationis immolabatur, tales aliqui ritus obirentur, quales planè Chriſti in cœlum ingreſſum, ut antè monuimus, præfigurabant. His adjici alia multa poſſent à *Socino* ejuſque ſectatoribus de ſacrificii Chriſti typis parum enucleatè, ac falſò dicta. Verùm hac in re nihil eſt cur valde elaboremus; quia quæ ad Chriſti ſacrificium rite intelligendum pertinent (quò hoc in capite dicta ſpectant) nihilo planè minus conſtabunt, licet nulla piacula Judæorum ſacrificium Chriſti adumbraſſent, niſi quæ pro toto Iſraelis cœtu, idque ipſo expiationis die, (ne dicam aliis temporibus ſtatis) legis juſſu facienda erant.

Sa-

# Sacrificiorum vis circa Deum versatur.

## CAP. XIX.

*Probatur omnium Sacrificiorum vim non circa homines, sed circa Deum primò ac proprie versatam fuisse.*

I. QUandoquidem satis expositum sit, quæ præ reliquis sacrificia ita sacrificium Christi, ut typi antitypum, adumbraverint (id quod eorum primum fuit, quod paulo antè proposuimus) videamus sequitur (quod alterum restat) quid omnibus inerat Judæorum victimis, eis præsertim, quæ præ reliquis sacrificium Christi adumbrârunt, ex quo propria vis, ac ratio sacrificii ejus intelligatur. Atque hoc quidem duabus maximè in rebus cernitur. Quarum prima est, quòd omnium victimarum vis circa Deum propriè versaretur. Altera, quòd victimis piacularibus irrogata esset pœna vicaria, quarum rerum prior eò pertinet, ut sacrificii Christi vim non circa homines, sed circa Deum primò ac propriè versatam esse intelligamus. Altera autem ejusmodi est, ut Christum pro peccatis nostris pœnam vicariam subiisse doceat. Quorum utrumque à *Socino*, ejusque Discipulis negari nôrunt, qui mediocriter his in rebus versantur. Illud quidem concedit *Socinus*;

*cinus*, noluisse Deum nisi post piaculum rite factum reo ignoscere. Atque huc pertinent *Crellii* ista (*k*), *Si eo modo Deum sacrificiis motum dicas ne peccata puniret, quod non aliter nisi hac conditione præstita voluerit pœnam remittere, id libenter fatetur* Socinus, *docet enim victimarum oblationem obedientiam quandam Deo præstandam, quanquam levem, continuisse, quam ex promisso Dei levium quorundam erratorum ac peccatorum venia consequebatur.* Verum hæc omnia ejusmodi sunt, ut vel cum scriptura sacra parum congruere videantur, vel id omittere, quod maximè explicandum erat. Quod enim *Socinus*, referente *Crellio*, *Victimarum oblationem obedientiam quandam Deo præstandam, quanquam levem, continuisse* dicit, *quam ex promisso Dei levium quorundam erratorum ac peccatorum venia consequebatur*, in eo sanè ita loquitur, quasi immolantis obedientia in victima jussa immolanda posita sola planè conditio fuerit, quam quidem ex promisso Dei peccati venia consequebatur. Qua in re aliter profecto loquitur, quàm de sacrificiis piacularibus loqui solent sacræ literæ; quæ non tam sontis obedientiæ (quanquam ea quidem accedere debebat) quam victimæ immolatæ sanguini peccati expiationem tribuunt. *Est enim sanguis*, inquit Deus de sanguine victimarum loquens (*l*), *qui pro anima expiationem facit.*

(*k*) *Contra Grot. cap. 10. partic. 10.*

(*l*) *Lev. 17. 11.*

Porro cum duo sint obedientiæ Deo rite præstandæ genera, quorum alterum propriè circa Deum (quale est, quod in precibus sacris cernitur) alterum circa homines versatur, qualia sunt nimirum, quæ homines ex præcepto Dei inter se mutuò rectè faciunt; non docuit *Socinus*, utrum ad genus

genus referri debeat victimarum oblatio; quod tamen maximè docendum erat. Si enim ad prius genus pertinuit, (id quod omnino statui debet, nisi homines rite immolantes alios aliis victimas suas immolasse dixeris) sanè sacrificiorum omnium vim, perinde ac vim sacrarum precum, ac gratiarum, circa Deum versatam fuisse patet. Neque aliter de sacrificio Christi, quàm de reliquis omnibus judicandum; nisi forte quis id sacrificio ejus detrahendum putet, quod & ad omnia sacrificia, quibus id adumbratum fuit, pertinuit, & in ipsa sacrificii cujusque ratione propria continetur. Verùm hæc loco non suo dicta sunt.

II. Jam verò, ut in viam redeam, licet omnia illa sacrificia, quæ quidem Deo facta erant, ita comparata fuisse dicam, ut vis eorum primò ac proprie circa Deum, non circa homines versaretur, hoc tamen ita intelligi nolim, perinde quasi vim illam talem tantámve fuisse putem, quanta per se erga immolantes Dei gratiam impetraret. Neque enim in præsentia quæritur, quanta erat sacrificiorum vis, sed circa quem, uti jam dixi, primò ac propriè versabatur. Neque aliud aliquid nunc contendo quàm sacrificia Deo facta eodem planè pertinuisse, quo pertinent gratiarum actiones, precésque sacræ Deo adhibitæ; quæ perinde circa Deum versantur, sive magnum aliquid, sive nihil omnino ab eo impetrent. Id quod ita verum est, ut vel ipsæ impiorum preces, quas Deus *abominari* dicitur (*m*), nihilo minus circa Deum versentur, quàm quæ ab optimo quoque fiunt, maximéque apud Deum valent.

(*m*) Prov.28.9

III. Cùm satis explicasse videar, & quid sit illud, & quorsum spectet, quod primo demonstrare statui, nempe ita comparata fuisse Judæorum omnia sacrificia, ut vis eorum circa Deum primò ac proprie versaretur; deinceps aggredienda est rei ipsius demonstratio. Atque huc spectat (quod primò considerari velim) natura, ac ratio loci ejus, ubi Judæorum sacrificia legis jussu facienda erant. Is primò Tentorium sacrum fuit, postea vero Templum illud, quod Ierosolymæ positum fuit; cujus utique ac Tentorii sacri idem usus, eadem ratio, sanctitásque fuit. Nam utrumque Majestate illa, nube scilicet, ac luce sacra, quæ singularis præsentiæ Dei *symbolicam* quandam speciem præbuit, ejusque כבוד & Δόξα dicitur, ut alias (*u*) monuimus, sacratum fuit. Utrumque eo consilio conditum, ut Dei habitaculum foret, idque legis ipsius jussu. Id quod de alio ullo loco in universo terrarum orbe in sacris literis nusquam dicitur. Quinetiam sanctuarium ingredientes coram Deo apparuisse dicti, & quod in eo factum erat, coram Deo factum censebatur. Hîc Deus adiri, consulíque voluit, hoc versus etiam ab exulantibus, peregréve profectis invocari. Id quod *Danielem* in Babylonia feciisse legimus (*o*). Quæ omnia singularem quandam Dei præsentiam in Sanctuario fuisse indicant. Quorsum hæc? ut hinc intelligas sacrificia eo in loco facta, quem Deus inter populum suum sibi ipse incolendum ceperat, suaque præsentia consecraverat, ejusmodi plane sacra fuisse, quæ facta erant pro populo apud Deum. Neque enim alia ratio fuit, cur fieri debuerint in sanctuario, nisi quod sanctuarii incolæ fierent, neque ei fieri poterant, ut non circa eum versarentur, vimque

(*n*) *De his & seq. vide quæ antè dicta sunt, cap. 2.*

(*o*) *Dan. 6. 10.*

vimque suam, quantillacunque esset, (perinde ac gratiarum actiones, preceſque sacræ ei adhibitæ) circa eum quoque exercerent. Quid, quod quædam essent victimæ, quarum sanguis die expiationis in adytum intimum inferendus esset? Jam quorsum in hoc ipsum adytum, quod Sacrum Dei penetrale fuit, sanguinem illatum judicemus, idque ipso expiationis die, nisi ad impetrandam gratiam ejus, cujus in conspectu spargebatur? Quod si ita erat, sanè vis earum victimarum, quarum sanguis eo illatus erat, circa Deum proprie versabatur. Neque aliter de reliquis judicandum. Siquidem totum sanctuarium ejusmodi officiis ac religionibus destinatum esset, in quibus rite peragendis quisque ad Deum accedebat, eique præstabat cultum sacrum, qui quin circa Deum versaretur, nemo sanus dubitaverit. Sed hac de re latius mox differendum est. Id unum addo, officia omnia in sanctuario peragi jussa preces fuisse, & sacrificia. Quibus utrisque æque inerat cultus sacri vis, & ratio. Atque ita factum, ut Sanctuarium בית תפלה *locus orationis* (*p*), & בית זבח *locus sacrificii* (*q*) diceretur. Solennis autem sacrarum legum coram apud populum recitatio septimo quoque anno facta (*r*) non in ipso Sanctuario, sed in atrio mulierum habita fuit (*s*).

(*p*) *Is.* 56.7.
(*q*) 2 *Par.*7.12.
(*r*) *Deut.* 31. 10,11.
(*s*) Maimon. *in Chagiga*, *c.*3.

IV. Jam quod ex sacrificandi loco populo Hebræo constituto satis apertè colligi potest, id multò clariùs ex munere Sacerdotali liquet. Hoc enim quale munus fuit, Deus ipse *Mosem* allocutus docuit (*t*), *Aaronem, filiosque ejus vestibus sacris indues, unges, initiabis, consecrabis*, וכהנו לי *mihi ministrabunt in Sacerdotio.* Ex quibus sequitur Sacerdotio fungi idem fuisse quod *Deo ministrare,*

(*t*) *Exod.* 28. 41. *vetiam* 29. 44. & 30.30. & 40.13,15. & *Hos.* 4. 6.

*strare*, jam verò *Deo ministrare* idem est, quod tali officio fungi, quod proprie circa Deum versatur; id quod & ipsa locutio docet, & alia illa Dei verba (*u*), *Isti sunt filii* Sadoc, *qui accedunt de filiis* Levi *ad dominum*, *ut ministrent ei*. Hinc enim patet Sacerdotes tum, cum Deo ministrabant, hoc est, cum rite sacrificabant, omnino ad Deum accessisse. Adeoque religiones illas, quæ in sacrificiis versabantur, ita comparatas fuisse, ut circa Deum versarentur.

(*u*) *Ezek.* 40. 46. *vv. etiam* 44. 15, 16.

Quid, quod *ad Deum appropinquare* (qua locutione sacræ literæ Sacerdotis operam (*x*) designare solent) idem sit nonnunquam quod Deo preces adhibere (*y*)? cujus alia nulla ratio est, nisi quòd sacrificia Deo facta, ita ut gratiarum actiones, precesque sacræ Deo adhibitæ, circa Deum propriè versarentur.

(*x*) *Ex.* 19 22. *Levit.* 10. 3. & 21. 21. *Ezek.* 40. 46. & 44. 13, 15.

(*y*) *Isa.* 29. 13. *Hebr.* 7. 25. & 10. 22.

Adde quod munus Sacerdotale eo maxime à prophetico, atque etiam Apostolico differret, quod Prophetarum & Apostolorum esset res Dei apud homines agere, Sacerdotum autem res hominum apud Deum. Illi scilicet Dei apud homines legati erant, hi hominum apud Deum patroni. Prius illud docet S. *Paulus* de se, reliquisque Apostolis loquens (*z*), *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliamini Deo.* Posterius docet Apostolus ad Hebræos (*a*), *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*; ubi *pro hominibus constitui* τὰ πρὸς τὸν θεὸν *in rebus ad Deum pertinentibus* idem est, quod res hominum apud Deum agere; & res hominum apud Deum agere idem quod

(*z*) 2 *Cor.* 5. 20.

(*a*) *Hebr.* 5. 1.

*Deo*

*Deo dona offerre, & sacrificia pro peccatis.*

V. At enim ipse quoque Apostolus (quod *Crellius* (*b*) contra *Grotium* urget) *habere se* dicit τὰ πρὸς τὸν θεὸν, *in quibus gloriari possit* (*c*). Dicit quidem, sed ideo dicit, quia versu proximè præcedente, quæ ad Sacerdotem propriè pertinent, ea *metaphoricè* ad se transtulerat. Dixerat enim se ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος, ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *operari Dei Evangelio, ut accepta sit gentium oblatio, per Spiritum Sanctum consecrata.* Ubi primò se Sacerdotem quendam, sive sacrorum antistitem facit, quia populum, quem Christiana fide & sanctitate imbuebat, quasi Deo sacrum faciebat. Deinde cùm se Sacerdotem quendam tralatitio loquendi genere fecerat, mox, quod ad Sacerdotem pertinet, id sibi sumit vendicátque, se quoque τὰ πρὸς τὸν θεὸν habere dicens *in quibus gloriari possit.* Quod tamen ipsum ita dicit, ut cùm Sacerdotis personam sumit, ita de sua opera loquatur, ut cujus vis circa Deum versetur. Dicit enim *Gentium conversionem ad Deum* fore προσφορὰν εὐπρόσδεκτον *oblationem* scilicet *Deo acceptam.* Ita ut quod προσφορὰν dixit, idem quoque Deo gratum dixerit, vimque ejus Deum versus spectare.

(*b*) c. 10. part. 3.

(*c*) Rom. 15. 17.

At verò qui homines sanctos facit, is, inquies, in hominibus ipsis operam collocat, rectè quidem. Sed Apostolus τὰ πρὸς τὸν θεὸν, Sacerdotísque sibi personam sumens non illud tantum in animo habebat, nempè quod homines Sanctos faceret, sed etiam quod Sanctos faciendo eosdem Deo consecraret,

craret, eique acceptos ac gratos redderet, Opúſque Deo gratum præſtaret, ut quatenus Sacerdotem induit, eatenus operæ ſuæ vim circa Deum verſatam fuiſſe doceat.

Jam verò quamvis S. *Paulus* tralatitio loquendi genere utens Sacerdotis perſonam ſibi ſumat, quamvis & Chriſtiani omnes, ex ſacris illis ſpiritualibus, quæ ipſi quotidie Deo offerunt, *Sacerdotes* nonnunquam appellentur (*d*), id tamen maximè advertendum, nullos Evangelii miniſtros, quocunque in ordine conſtituti fuerint, hujus ipſius muneris ratione uſquam in ſcripturis ſacris ἱερεῖς aut ἀρχιερεῖς vocari. Quod ideo moneo, ut miniſterium Evangelicum à Sacerdotio *Aaronico* multum differre intelligatur; ídque in eo præcipuè cerni, quod illud pro Deo apud homines præcipuè conſtitutum ſit, hoc pro hominibus apud Deum. Ex quo & illud intelligitur, illud præcipuè circa homines, hoc circa Deum verſatum eſſe. Quibus adde, quòd Sacerdotio Judaico ſucceſſit Sacerdotium Chriſti, non miniſterium Evangelicum. Ut nemo nunc niſi ipſe Chriſtus autoritate à Deo data ἱερεὺς, aut ἀρχιερεὺς ſuperſit; nempe hominum apud Deum patrònus.

(*d*) *Apoc.* 1.6.

Cæterùm quia ſacerrimum munus, ſummóq; honore dignum fuit *ad Deum populi cauſa accedere*, populúmq; ei commendare, propterea lege ſacra cautum, ut magna generis, magna conjugii, magna puritatis, magna corporis integritatis in Sacerdotibus ratio haberetur. Ea, inquam, de cauſa cautum erat, nequis extraneus, impurus, aut mutilus, nequis ullo corporis vitio notatus, nequis illotis manibus, pedibúſve, nequis ſtatìm à poto vino, nequis niſi veſtibus indutus,

quæ

quæ gradui suo propriæ erant, nequis nisi operto capite (quod eis in locis ac temporibus ad modestiam maximè pertinebat) opus ullum Sacerdotale faceret. Ita factum etiam, ut *Aaron* ejusque filii omnes magno admodum sacrorum rituum apparatu juxtà ac delectu, Sacerdotio primitus initiarentur. Erant enim primò aqua lustrati, deinde vestibus sacris induti, mox unguento sacro uncti, atque etiam variis sacrificiis Domino suo commendati. Quæ omnia quorsum pertinebant, verba ea, quæ prius attuli, docent. *Aaronem, filiósque ejus vestibus sacris indues, unges, initiabis, consecrabis, & mihi ministrabunt in Sacerdotio* (e). Quod perinde est, ac si dictum esset; ita in Sanctuarium meum mihi ministratum venient, ita mihi pro populo sacra facient, populúmque ipsum commendabunt, si modo rite sacrati fuerint, nullóque vitio dedecorati.

(e) *Ex.* 28.41.

VI. Hactenus ea persecuti sumus, quæ propria Sacerdotii munera (quale maximè fuit Deo rite sacrificare) circa Deum versata fuisse doceant: deinceps meminerimus oportet, quantus victimarum delectus apud Judæos habendus fuit. Neque enim omni animantium genere, quo vesci fas hominibus fuit, ad sacrificia uti licuit; nec ullo ex genere, quo uti licuit, vitiosum quodvis immolare. Cujus ea delectus causa fuit, quòd sacrificia eis in rebus essent, quæ ad Dei gratiam vel commemorandam ac retinendam, vel conciliandam pertinebant. *Si habuerit maculam*, inquit Deus, *non offeretis, neque erit acceptabile. Homo qui obtulerit victimam pacificam Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus, quàm de ovibus immaculatum offeret, ut acceptabile sit* (f). Cui acceptabile?

(f) *Lev.* 22.20, 21. *vide etiam Deut.* 17.1.

tabile? Dominò ſcilicet, cui offerendum erat. Quod ergo integrum eſſe debuit, ut Deo gratum eſſe poſſet, ejuſdem vis (quod inde facile intelligitur) circa Deum proprie verſabatur. Huc etiam refer *Malachiæ* illa (*g*), *Nam cùm offertis animal cæcum ad ſacrificandum, nihilne eſt mali? & cum offertis claudum aut ægrotum, nihilne eſt mali? Offer iſtud jam duci tuo; an acceptum habiturus ſit? aut an ſuſcepturus votum tuum? inquit Jehova exercituum.* Unde intelligitur, ſacrificium omne Deo factum inſtar rei fuiſſe Regi oblatæ. Quid ergo res Regi oblata? ſanè vel ad impetrandam gratiam ejus, vel ad gratiam ei referendam pertinet. Eadem itaque ſacrificiorum ratio, ut & illa quoque ad gratiam Dei vel impetrandam, vel commemorandam pertinerent. Qua utraque in cauſa vis eorum circa Deum propriè verſabatur. His adde, quòd Deus facta ſibi ſacrificia modò accepiſſe (*h*), modò non accepiſſe (*i*) dictus ſit. Quod dici commodè non potuiſſet, niſi ſacrificia ei facta, vel ut dona quædam, vel ut λύτρα ad gratiam ejus vel impetrandam, vel retinendam pertinuiſſent. Accipi enim (ut cuique patet) ea dicta erant ſacrificia, quæ quidem Deo & oblata, & grata erant; non accipi autem, quæ, licet Deo offerebantur, ei tamen minimè grata erant, neque eo apud eum valebant quo immolator valere voluit.

(*g*) *Mal.* 1.8.

(*h*) *Lev.* 1.4. & & 22. 21.

(*i*) *Lev.* 22.23, 25. *Mal.* 1.8, 10, 13.

VII. Huc pertinent etiam plerique ritus, quibus ſacrificia facta erant. Quales erant victimam ad aram ſiſtere, ibique ſtatam manibus capiti ejus impoſitis Deo ſacrare, ac devovere. Nihil enim dubium, quin ſolennis iſta victimæ devotio circa eum propriè verſabatur, cui victima ipſa devota fuit.

His

His adde ritus sacrificales à Sacerdotibus obeundos, quales erant prosecta aræ reddere, sanguinémque etiam ei affundere, vel (quod nonnunquam jussum fuit) intimum ædis sacræ adytum, vel propitiatorium versus spargere. Qui sane ritus ejusmodi erant, quibus sacra Deo porrigebantur. Ara enim mensa Dei fuit, propitiatorium instar aræ, intimúmque adytum sacerrimum Dei penetrale. Ut quod ad aram, aut propitiatorium, vel denique intimum adytum versus ritu sacro admovebatur, illud sanè eadem operâ Deo porrectum censeretur. Quod idem etiam de illis sacris judicandum, quæ omnes mundi plagas versus Sacerdotis manibus admovebantur. Quippe quo ritu sacra illa Deo, ut omnia possidenti, omnia tuenti porrigebantur. Quare cùm sacrificia ita fierent, ut pars saltem aliqua rei sacratæ ritu sacro Deo porrigeretur, cúmque ritus iste, quo sacra Deo porrigebantur, & circa Deum versaretur, & ipsam quoque constitueret sacrificii cujusque rationem; hinc efficitur sacrificium quodque circa Deum proprie versatum esse.

VIII. Neque verò quenquam adeo hebetem esse puto, ut Sacerdotes ad aram assistentes, eique sanguinem & prosecta ritu sacro admoventes operam suam circa aram tantùm, non circa Deum collocasse putet. Nam in omni cultu Deo præstito eodem spectant ritus illi, quibus & cultus externi ratio, & interni significatio inest, quo cultus ipse internus spectat. Aliter enim si rem instituas, sanè preces sacras ore editas, quibus aerem commoveri necesse est, non circa Deum, sed circa aerem versari dixeris; ac, quoties sacra ad Dei aram admovebantur, non Deo, sed aræ sacrificatum.

Quo nihil ineptius fingi potest. Alia itaque rituum omnium ratio est, quatenus physicè considerantur, nihilque aliud, nisi certos quosdam corporis gestus, manuúmve opera in se continent, alia, quatenus ad cultum sacrum pertinent. Atque ita factum, ut licet porriciendi ritus, quatenus nihil aliud erat nisi ~~externum~~ manuum opus, circa aram quidem versabatur, tamen quatenus externus Dei cultus, ac quidem interni signum erat, circa Deum proprie versaretur. Idémque judicium esse debet de genuum in cultu sacro flexione, itémque de capitis, totiúsve corporis demissione. Quæ, quatenus ad cultum sacrum pertinent, quin propriè circa Deum versentur, nemo quisquam dubitare potest.

IX. Ac quidem ut locum, in quo versamur; aliquantò magis illustremus, meminerimus oportet, quod antè diximus, Judæorum omnia sacrificia Deo facta fuisse vel ut omnium conditori ac Domino; vèl ut omnium bonorum largitori, vel denique ut summum pœnæ, ac veniæ jus habenti; ut facilè eorum in sacrificiis sacerrimas agnoscas religiones, propriámque cultus divini rationem. Idque idem docent & sacræ literæ, (quæ diis extraneis immolantes ut Deo rebelles. Idololatras (*k*) morti (*l*) addicunt) & Judæorum Senatusconsulta. In quibus, uti *Maimonides* monuit (*m*), cultus extranei condemnatur שמשתחוה לעוֹ ונסך וקטר ובוח *qui corpus demiserit, qui libamen effuderit, qui aliquid adoleverit, qui animal mactaverit Deo extraneo.* Quamobrem cum sacrificiis inesset propria cultus divini ratio, quis demum illa circa Deum proprie versata fuisse negaverit, nisi qui nec circa Deum versari Dei ipsius cultum dixerit? hoc est,

(*k*) *Ex.* 34.14, 15. *Deut.* 32.16 17. *Is.* 57.5,6.
(*l*) *Ex.* 22. 20.
(*m*) *In Schiga-goth. cap.* 7.

est, qui Deum etiam tum, cum colitur, coli negaverit.

X. Cæterùm cùm omnis Dei cultus, sive naturalis, sive institutus, vel ad gratiam ejus impetrandam, vel quidem commemorandam spectet, fieri non potuit, quin sacrificia (quibus, ut jam demonstratum est, propria inerat cultus divini ratio) eodem etiam pertinerent. Ac quidem (quod alibi dicta docent) ad commemorandam Dei gratiam facta erant sacra Eucharistica, תורות appellari solita, nonnunquam etiam & holocausta, עולות dicta, ita tamen ut hoc idem genus & ad impetrandam Dei gratiam sæpe factum fuisse constet. Quo eodem etiam & reliqua omnia pertinebant. Alia scilicet ad res prosperas impetrandas, ut quæ voluntariò facta essent, & נדבות nominari solent. Alia ad pericula avertenda, qualia fere voto nuncupabantur, & נדרים in sacris literis dicta sunt. Alia ad piacula expianda, hoc est ad culparum veniam impetrandam. Qualia fuere חטאות & אשמות, *sacrificia pro peccatis & noxis facta.* Ut nulla essent sacrificia, quæ non ita circa Deum, ut preces, & gratiarum actiones, laudésque sacræ, versarentur. Neque hoc mirum videri debet, siquidem factis æquè ac verbis, ritibus æquè ac orationibus & subesse possint, & significari animi affectus & desideria; iísque ipsis cerimoniis, quæ ad sacrificia pertinebant, summum vitæ ac necis jus, summum in alia omnia dominium penes Deum esse agnosceretur.

Huc etiam accedit, quòd preces sacræ *vituli labiorum* appellentur (*n*). Cujus dicti ea ratio est, quòd preces sacrificia quædam essent, & sacrificia preces quædam. Preces utique sacrificia spiritua-

(*n*) *Hos.*14.2.

lia, & ſacrificia *ſymbolicæ* preces. Quod idem liquet ex verbis *Sauli* (*o*), qui, quia nondum *ſacrificaverat*, nondum ſe *ſupplicaſſe* dixit. His adde & *Solomonis* illa (*p*), *Sacrificium impiorum abominationi eſt Jehovæ, oratio autem juſtorum accepta eſt ei.* Quibus hæc ſubjecta eſt ſententia, vel ſacrificia impiorum nihil valere apud Deum, imò verò ei diſplicere, optimi autem cujuſque preces plurimùm apud eum valere. Cujus comparationis inſtituendæ nulla prorſus fuiſſet ratio, niſi ſacrificia & preces ſacræ eodem planè pertinuiſſent. Ita tamen ut ſacrificia plus, cæteris paribus, valuiſſe, quàm ſimplices preces judicata eſſent. Ut qui propriè circa Deum vim alterarum verſari judicat, ei de alterorum vi idem judicium eſſe debeat.

(*o*) 1 *Sam.* 13. 12.

(*p*) *Prov.* 15. 8.

XI. Huc etiam ſpectant preces ſacræ inter ſacrificandum adhiberi ſolitæ. Quippe quæ eo pertinebant, ut Deo grata & accepta eſſent, quibus additæ erant, ſacrificia; & ut ſacrificia Deo facta ea ab illo impetrarent, de quibus immolatum erat. Huc ergo refer, quæ in libro ſecundo *Macchabæorum* extant (*q*), *Orationem autem faciebant omnes Sacerdotes, dum conſumeretur ſacrificium*, Jonatha *inchoante, cæteris autem reſpondentibus. Et* Nehemiæ *erat oratio hunc habens modum: Domine Deus, omnium creator, terribilis & fortis, juſtus & miſericors, qui ſolus es bonus rex, ſolus præſtans, ſolus juſtus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Iſrael de omni malo, qui feciſti patres electos, & ſanctificaſti eos; accipe ſacrificium pro univerſo populo tuo Iſrael, & cuſtodi partem tuam, & ſanctifica; congrega diſperſionem tuam, libera eos, qui ſerviunt gentibus, & contemptos*

(*q*) *v.* 23. *& ſeq.*

*temptos & abominatos respice: ut sciant Gentes quia tu es Deus noster. Afflige opprimentes nos, & contumeliam facientes in superbia, constitue populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moses.* His etiam adde preces istas, quas juxta victimam piacularem reus quisque adhibere solebat, quarum hæc extrema clausula fuit. וזה כפרתי *Hæc sit expiatio mea.* Eodem etiam *Davidis* preces illæ pertinent, ut quæ ad sacrificia spectarent, licet non inter sacrificandum habitæ (r). יזכור כל מנחתיך (r) *Psal.* 20. 3. עולתך ירשנה quæ ita vertit *Sebastianus Castellio*, *Memor sit tuorum tot fertorum, hostiámque tuam vertat in cinerem, hoc est*, inquit, *ea placetur* (s). (s) *Hostiam pro holocausto dixit.* Jam preces eo pertinentes ut Deo gratum & acceptum esset, quod factum erat, sacrificium, eaque ab eo impetraret, de quibus sacrificatum erat, propriam sacrificii cujusque vim circa Deum versatam esse docent. Frustra enim habitæ fuissent preces, ut illud Deo gratum esset, quod idem nec ad impetrandam, nec ad retinendam ejusdem gratiam pertinuisset.

XII. His expositis, videamus sequitur eis de rebus, quæ tralatitio loquendi genere sacrificia appellari solent. Quales sunt inprimis *preces sacræ*, & *gratiarum actiones* (t). Quæ quidem nulla (t) 1 *Pet.* 2. 5. alia de causa sacrificia metaphoricè dicuntur, nisi & *Hebr.* 13. 15. quòd cum sacrificiis proprie dictis hoc ipsum commune habent, quòd propriè circa Deum versantur. Quinetiam eodem loquendi genere sacrificia appellari solent *sumptus*, *labores*, & *dolores* ita suscepti & tolerati, ut Deo grati & accepti sint. Ita fit, ut sacrificia dicantur *beneficia in egentes collata* (u), (u) *Phil.* 4. 18. *spiritus fractus & contritus* (x), hoc est, pecca- & *Hebr.* 13. 16. torum pœnitentia; corpus modestè & castè habi- (x) *Psal.* 51. 17.

(y) *Rom.*12.1. (z) *Phil.*2.17. (a) *Rom.*15.16. (b) *v. locos modo indicatos.*

bitum (*y*), sanguis ad Dei honorem fusus (*z*), & gentium profanarum ad Deum conversio (*a*). Quorum pleraque eis ipsis in locis, ubi sacrificia appellantur, etiam Deo grata esse dicuntur (*b*). Ut hinc facilè intelligatur hujusmodi res sacrificia dici, quia scilicet Deo accepta sunt, ejusque ad gratiam impetrandam spectant. Quod ejusmodi est, ut sacrificia proprie dicta eodem quoque spectasse doceat. Perperam enim scriptores sacri quæ Deo grata & accepta sunt, ejusque ad gratiam impetrandam spectant, sacrificia *metaphoricè* dixissent, nisi sacrificia *propriè* dicta eodem etiam pertinuissent. Nulla enim locutio à sacrificiis propriè dictis ad impropriè dicta transferri potuit, nisi quæ eadem in proprie dictis aliquo modo locum habuit. Quamobrem, ut aliunde patet sacrificia omnia proprie dicta rationem habuisse cultus sacri; ita quoque ex jam dictis cultum eum eatenus Deo placuisse, gratiámque ejus impetrasse constat, quatenus ei suberat bonus animus, veráque erga Deum pietas. Idque ipsum est, quod toties monent sacræ literæ quoties sacrificia rite facta *Deo grati odoris* fuisse dicunt; eóque factum, ut S. *Paulus* hac locutione uteretur, cum voluntariam Christi mortem Deo perplacuisse docere voluit (*c*). Neque verò illud prætereundum, hanc locutionem positam esse non solummodo in holocaustis (*d*), & sacrificiis salutaribus (*e*), sed in ipsis quoque piacularibus pro erratis populi gregarii factis (*f*). Nunquam vero in piaculis illis, quæ pro erratis Sacerdotis magni, aut totius cœtus Israelitici, (adeoque & Senatus magni) Rectorísve denique facta erant. Cujus ea discriminis *Abrabeneli* ratio visa est (*g*), quòd peccatum legis ignorantia ortum levior esset

(c) *Ephes.* 5.2.

(d) *Ex.* 29.18. *Lev.*1.9,13. *& alibi passim.* (e) *Lev.*3.5,16. (f) *Lev.*4.31.

(g) *ad Lev.*4.

in

in homine plebeio culpa; culpámque istam victima è grege suo lecta expiatum ire ejusmodi probitatis indicium, quæ Deo perquam grata fuit; contra autem Senatui, & Pontifici, reique ipsius publicæ Rectori & turpe esset leges ignorare, erratúmque quodvis in se admittere, & nulla prorsus laude dignum erratum victima expiare.

Cæterum etiamsi apud Deum gratiam nullam conciliabant hominum impiorum sacrificia, imò verò etsi ei semper ingrata erant, ea tamen ipsa sacrificia, siquidem Deo facta erant, circa Deum quoque versabantur. Enimverò & impiorum preces Deo semper ingratæ sunt, neque eò minus, siquidem Deo adhibeantur, propriè circa Deum versantur. Quare idem quoque de sacrificiis Deo factis, quorumcunque erant, judicandum...

XIII. Quamvis, quæ hactenus dicta sunt, Hebræorum omnia sacrificia, si modo Deo facta essent, circa Deum versata fuisse doceant; tamen alia quædam addi possunt, quæ de sacrificiis piacularibus (quæ quidem sacrificium Christi præ reliquis omnibus adumbrabant) hoc idem luculentius demonstrent. Huc enim valet ipsa ratio, quæ inter Deum & Offerentes in ejusmodi sacris interceßit; ut quæ talis semper esset, qualis est inter personam ream, & offensam, eandemque etiam pœnæ ac veniæ jus habentem. Neque enim sacrificia piacularia nisi pœnæ avertendæ causa (quod antè docuimus) facta erant; nec quid erat, cur quis pœnam aversum iret, nisi quatenus culpæ reus erat. Quibus ex rebus intelligitur, sacrificia omnia piacularia ejusmodi sacra extitisse, quibus & reus quatenus reus, & Sacerdos etiam ejusdem nomine

mine ad Deum tanquam ad partem offensam, pœnæque ac veniæ jus habentem supplicum more adierunt ad veniam reo impetrandam. Reus utique ita victimam suam ad aram sistens, reliquáque ad se spectantia peragens, ut & de culpa admissa doleret, & Deum sibi propitium vellet; Sacerdos, (ut de extis taceam) victimæ sanguinem aræ, ejúsve cornibus, aspergens, hoc est pecudis cæsæ animam, ut λύτρον quoddam piaculare, ritu symbolico Deo reddens. Quod nisi eo animo faceret, ut Deum erga hominem reum propitium & benignum vellet, talis profecto vir non fuit, qualem esse Sacerdotem decuit, qualémque Deus ipse voluit. *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant, quoniam ipse circundatus est infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis* (*b*). Ipse ergo Pontifex Judæorum (perinde ac reliqui Sacerdotes) & homo factus est, & errori obnoxius, ut fragilitatis suæ conscius ita pro suis, ut pro se, piacula faceret, neque Deum minùs erga alios, quam erga se propitium vellet.

(*b*) *Heb.* 5.1,2.

XIV. At enim victimas piaculares pro toto cœtu immolatas non totus populus, sed vel Pontifex (*i*), vel Senatores (*k*) ante aram sistere, Deóque devovere solebant, idque ipsius legis jussu. Quasi verò Pontifex, & Senatores hujusmodi omnibus in officiis, quæ in singulorum hominum victimis ab offerentibus præstanda erant, populi personam non sustinuerint. Quod contrà fuisse quisque videt. Ita ut,

(*i*) *Lev.* 16.7,8, 9.

(*k*) *Liv.* 4. 15.

ut, quod Pontifex, aut Senatores talibus in officiis fecerint, id populus feciſſe cenſeretur, ideóq; omnem victimam obtuliſſe, hoc eſt, prò ara devoviſſe, quam vel Pontifex, vel Senatores ejus loco ac nomine offerebant.

Hoc itaque cum ejuſmodi ſit, ut nullam difficultatem habeat, ea, quæ hunc ad locum pertinent, ſatis explicaſſe videbimur, ſimul atque iſta addiderimus, quæ priùs dictorum ſummam continent. *Primò* inſtituiſſe Deum, ut ſacrificia Judæorum certis quibuſdam ſacris ritibus ſibi fierent. *Deinde* ſacros iſtos ritus ita comparatos fuiſſe, ut vel ſummum vitæ ac necis, vel ſummum pœnæ ac veniæ jus, vel quidem ſummum in omnia dominium penes Deum fuiſſe ſignificarent. Eò enim pertinuit, quòd Deus victimam ad aram ſuam adduci voluit, ibique ſtatam ſibi offerri, ac devoveri; quod ſanguinem, exta, totámve victimam (quod in holocauſtis factum erat) in aram ſuam porrici juſſit: hoc eſt, ſibi ipſi porrigi ut omnium Domino & Rectori. Idemque (ut paulò antè diximus) iis de ſacris judicandum, quæ omnes mundi plagas, verſus legis juſſu movenda erant, quippe quo ritu Deo, ut omnia poſſidenti, omnia regenti, porrigebantur. *Tertiò* & illud obſervandum, ejuſmodi ritus, quibus quid Deo ſic, ut dictum eſt, oblatum aut porrectum fuit, cultus ſacri, licet externi tantùm, propriam habuiſſe rationem, nec minus circa Deum verſatos fuiſſe, quàm genuum in cultu ſacro flexionem, capitiſve aut corporis demiſſionem, alióſve quoſlibet ejuſmodi ritus, quibus cultus ſacri ratio ineſt, quoties in ſacris adhibentur. *Ultimò* illud adverti velim, ritus ſcilicet ſacrificales ſive ab ipſo offerente, ſive à Sacerdote peractos, ita peragi debuiſſe, ut cultui externo & ſymbolico internus ſubeſſet

animi cultus, ea utique de Dei providentia, juſtitia, & beneficentia fides, ea reverentia ſacrarum legum, ea peccatorum pœnitentia, ea vitæ rectè agendæ ſtudia, quæ pium quemque probúmque decent. Quo qui animo immolabat, is demum Deo gratus erat.

Atque hæc earum religionum, quæ in ſacrificiis verſabantur, generalem quandam rationem continent, eáſque (quod ſæpe antè diximus) tanquam preces, ac gratiarum actiones Deo adhibitas fuiſſe docent. Illud intereſt, quod alia in precibus, ac gratiarum actionibus, alia autem in ſacrificiis interioris animi cultus ſigna externa adhiberentur. Quod enim in illis verba, humiléſque corporis geſtus, id in his & alii ritus præſtabant, de quibus paulò antè meminimus. Verùm hæc ita intelligi velim, ut de ſacrificiis generatim dicta. Nam quæ ad victimas piaculares propria quadam ratione pertinent, alium ſibi locum poſtulant.

Judæi

# Judæi Sacrificia ſua circa Deum verſari judicarunt.

## CAP. XX.

*Oſtenditur Judæos ſacrificia ſua circa Deum verſari judicaſſe, Gentéſque profanas ſua quoque circa Deos ſuos. Quibus etiam additur Chriſtianorum eiſdem de Religionibus judicium.*

1. HActenùs de toto ſacrificiorum genere nos ipſi quid judicemus, dictum. Nunc non abs re fore videtur, ſi diſpiciamus, quid & Judæi, & alii populi de ſuis utrique ſacrificiis, ac quid Chriſtiani de utriſque magno conſenſu judicarunt.

Ac quidem, ut à Judæis ordiar, quænam his de rebus Gentis illius ſententia fuit, ſatis explicatè docuit *Philo* (*l*); qui hos, qui ad aras accedebant, ἢ εὐξομένους, ἢ εὐχαριστήσοντας *vel precaturos, vel gratias acturos* eò ſemper acceſſiſſe monuit. Unde intelligitur populum Hebræum perinde ſacrificia ſua, ac preces & gratiarum actiones, circa Deum verſari ſtatuiſſe. Eodem pertinent alia illa ejuſdem Autoris (*m*), Εἰ γὰρ βούλοιτό τις ἐξετάζειν ἀκριβῶς τὰς αἰτίας ὧν ἕνεκα τοῖς παλαιοῖς ἔδοξεν ἀνθρώποις ὑπὲρ τὰς θυσιῶν εὐχαριστίας ὑμνῳδοὺς καὶ λιτὰς ἐλθεῖν, εὑρήσει δύο τὰς ἀναγκαιοτάτας. μίαν μὲν τὴν πρὸς θεὸν πιμὴν, τὴν

(*l*) *De animalibus idoneis ſacrificio.*

(*m*) *Ibid.*

τὸν ἄνευ τινὸς ἑτέρου ζητῆ τὸ μόνον γινομένου, καὶ ἀναγκαῖον καλόν. ἑτέρων δὲ τῶν θυόντων προηγουμένων ὠφέλειαν. διττὴ δέ ἐστιν ἡ μὲν ὅτι μετασχεῖν ἀγαθῶν, ἡ δὲ ὅτι κακῶν ἀπαλλαγῆ. τὸν μὲν οὖν κατὰ Θεὸν δι' αὐτὸν μόνον νενομίκασιν προσήκειν ὁ νόμος ἀπαιτεῖ θυσίαν ὁλόκαυτον ὁλοκλήρῳ καὶ παντελεῖ, μηδὲν ὑπερβάλλοντος τῆς φιλωτίας ὁλόκληρον καὶ παντελῆ. τὸν δὲ χάριν ἀνθρώπων, ἐπειδὴ διαίρεσιν ἐπεδέχετο ἡ δόξα, καὶ αὐτὸς εἴλε, τὴν μετουσίαν τῶν ἀγαθῶν οἰκείας θυσίαν, ἣν ὠνόμασε σωτήριον· τὴν δὲ φυγὴν τῶν κακῶν ἐποιήσατο τὸν περὶ ἁμαρτίας. *Si quis causas investigare velit, propter quas primi illi homines per sacrificia gratias egerint, itémque preces Deo fecerint, duas omnino præcipuas inveniet. Unam scilicet Dei Honorem; quæ res per se, sine ulla alia accedente, cultu digna est, ac quidem bonum necessarium. Alteram, sacrificantium utilitatem; quæ duplex est; adeptio bonorum, & malorum aversio. Jam illi generi, quod Deo propter se fieri debet, Lex commodè tribuit holocaustum; quod Deo integro ac perfecto integrum atque solidum datur, mortalium cupiditate nihil inde sibi usurpante. Alterum autem genus, hominum causa factum, quia divisit vulgaris opinio, divisit etiam & ipsa Lex, ita ut altero quærantur bona, quod salutare nominavit; altero mala avertantur, cui piaculare tribuit.* Quibus verbis hæc sententia subest, nempe Veteres sacrificia sua ut laudes, & gratiarum actiones, precésque Deo adhibuisse.

II. Ne-

II. Neque verò aliam sententiam habent, quæ his de rebus scripsit *Abrabenel* (*n*). Quid enim ille de sacrificiis salutaribus? ואמנם תכלית זבח השלמים (n) *In præf. ad Lev.*
יחבאר אחר שתרע שהשלמים היו באים אם לובח
תורה ואם בנדר ובנדבה כמו שיחבאר בפרשת צו
ועניין שני המינים האלה הוא שפעמים היו מקריבים
שלמים לחת הודאה לשם יחברך על מה שנמלם
ברחמיו וברוב חסדיו ועל הטובה שהיטיב עמהם
אם בירושת הארץ ונחלתם ואם בשאר הניסים ועל
זה נאמר אם על תורה יקריבנו והוא המין האחר
והמין השני שהוא בנדר ובנדבה ענינו תפלה לשם
שיחנם ויברכם בחבואותיהם ועניניהם בעתיד ויריק
עליהם ברכה עד בלי די הנה אם כן היה המין
הראשן הוראה על העבר והמין השני תפלה על העתיד

*Jam sacrificiorum salutarium qui finis erat, intelligetur, simul atque illa vel Eucharistica, vel votiva, & voluntaria fuisse nôris, quemadmodum in particula* צו *docebimus. Cujus duplicis generis ea ratio fuit, quòd Nostrates sacra salutaria eo nonnunquam animo fecerint, ut Deo pro summa clementia ejus, maximâque in se benevolentia, omnibúsque denique beneficiis (sive ea in Terræ hæreditate, & possessione cernerentur, sive aliis gestis mirabilibus) gratias agerent, quo de genere illud dicitur* (o), si sacrificium fecerit Eucharisti- (o) *Lev. 7. 12.*
*cum. Atque hoc quidem primum genus fuit. Alterum autem, quod votivum fuit, aut voluntarium, rationem habuit sacrarum precum, quibus Deum orabant, ut sibi in posterum clemens esse vellet, ut proventus suos, aliaque omnia prosperaret, ut suppeditaret ea, quæ ad vitam sufficerent. Quæ cum ita sint, hinc intelligitur primum genus gratiarum rationem habuisse pro beneficiis antè acceptis actarum, alterum precum pro ex-*

*expetitis.* Quibuscum consentiunt & alia illa (*p*), אחרי שובר הכחוב שלמי התודה וכר אחריו שלמי נדר ונדבה והם הבאים על דבר תפלה ונדר שיקריב אדם שלמיו ליי כדי שיצליחו מעשיו *Post Eucharisticum sacrificium meminit sacra scriptura de sacrificiis votivis & voluntariis, quæ quisque, tanquam vota, & preces, ad res prosperas impetrandas Deo fecit.* Hæc *Abrabenel* de sacrificiis salutaribus. Quid autem idem de piacularibus? לא הצריכה התורה להזות מדם החטאת בקדש פניסה אלא לבקש כפרה וסליחה על החטא החסור סיחטא הכהן גדול או הקהל (*q*) *Lex non præcepit, ut in æde sacra spargeretur victimæ ullius piacularis sanguis, nisi ut à Deo impetraretur expiatio, ac venia culpæ alicujus gravioris, qualis utique Pontificis, & Senatus magni culpa omnis censebatur.* Quibus verbis ea sententia inest, omnes quidem hostias piaculares ad impetrandam culparum veniam, gratiámque apud Deum cæsas esse; eas autem, quarum in ædem sacram sanguis rite inferendus erat, tales fuisse, quales de culpis gravioribus, quàm aliæ ullæ, cædebantur. Idem enim ipsum culpæ genus in Pontifice & Senatu magno, quàm in alio quovis, gravius erat. His adde, quæ de piaculari Pontificis hostia apud eundem Autorem extant (*r*), יזה מדמו על פני פרכת הקדש ועל מובח הקטורת לבקש סליחה וכפרה לפני אלדים *Aulæum adyti interioris versus, aræque suffitus sacri sanguinis aliquantum asperget, quo remissionem & expiationem à Deo coràm in æde impetret.* Hactenus *Abrabenel* de salutaribus, & piacularibus sacrificiis. Videamus quid de holocaustis quotidianis (*s*), עניין חמידין תפלה ליי שיזכור רחמיו לישראל

(*p*) *Abrab. ad Lev. 3.*

(*q*) *In præf. ad Lev.*

(*r*) *Ibid.*

(*s*) *ad Lev. 16.*

לישראל בבקר ובערב ויבוך רגנם תירושם ויצהרם שעל
זה היה מורה המנחה והנסך שהיו מקריבים עמהם
*Holocausta quotidiana rationem habuere sacrarum precum idcirco Deo adhibitarum, ut clementiæ suæ erga Israelem manè, & vesperi meminisse vellet, ut augeret ei frumentum, mustum, oleúmque. Quod docet fertum, & libamen, quod eis rite adjungendum erat.* Sic etiam *R. Moses Ben Nachman* singulorum hominum holocausta pro immolantibus התפלל *supplicare* dixit (*t*). Ac quidem sacrificiorum omnium tanta *Isaaco Ben Aramah* cum precibus sacris cognatio visa est, ut alteras nunc eò valere judicaverit, quo altera olim valuere, (*t*) *Lev.* 1.

התפלות הם מעצם הקרבנות ומשובחים מהם ואין
צריך לומר שמועילין במקומן בכל זמן שהם בטלים
(*u*) *Preces sacrificiorum rationem habent, súntque illis quidem potiores. Neque opus est dicere, has illorum vices præstare, ex quo illa fieri desierunt.* (*u*) *ad Lev.* 6.

Atque ita fit, ut idem Autor sacrificia לפיוס facta esse dixerit (*x*), qua voce *precatio*, & *deprecatio*, itémque *placatio* significatur. (*x*) *ad Lev.* 1.

Quid multa? ex quo populo Hebræo nulla sacrificandi facultas fuit, decrevit ipse Senatus magnus, ut statorum sacrificiorum loco statæ quædam preces adhiberentur; sacrificia utique, ac preces sacras eandem rationem habere ratus. Quâ de re est apud *Maimonidem* (*y*),

תקנו שיהא מניין התפלות כמניין הקרבנות שתים תפלות
בכל יום כנגד שני התמידין וכל יום שיש בו קרבן מוסף
תקנו בו תפלת שלישית כנגד קרבן מוסף ותפלת שהיא
כנגד של בקר היא הנקראת תפלת השחר ותפלת שכנגד
תמיד של בין הערבים היא הנקראת תפלת מנחה
ותפלת שכנגד התוספין נקראת תפלת המוספין וכן החסינו
שיהא אדם מתפלל תפלה אחת בלילה שהרי
איברי תמיד של בין הערבים מתאכלין והולכין כל הלילה
(*y*) *In Tephilla ubircath Cohanim, cap.* 1.

*Sta-*

*Statuerunt, ut numero ſacrificiorum par ſit orationum numerus; nempe binæ orationes quotidianæ binis ſacrificiis quotidianis reſpondentes. Porrò omni die, quo fit ſacrificium adventitium, tertia ut ſit oratio ſtatuerunt, ſacrificio adventitio reſpondens. Oratio autem, quæ ſacrificio matutino reſpondet, matutina dicitur, quæ veſpertino, veſpertina, quæ adventitio, adventitia. Eundem ad modum conſtituerunt, ut noctu una peragatur oratio, quia holocauſti veſpertini proſecta per totam noctem flagrare ſolebant.*

(z) *Ibid.* Eodem pertinent alia illa (z), אין הציבור מתפללין תפלה נדבה לפי שאין הציבור מביאין קרבן נדבה *Eccleſia non utitur oratione injuſſa, quia Eccleſia non facit ſacrificium injuſſum*; hoc eſt, ſacrificium voluntarium. Quibus (ut intelligas, quanta inter preces & ſacrificia Judæis ſimilitudo viſa eſt) iſta quoque adjicienda (a), יש מן הגאונים מי שהור שאסור להתפלל תפלה נדבה בשבתות וימים טובים לפי שאין מקריבין בהן נדבה אלא חובת בלבד *Sunt ex Geonim, qui Sabbatis ac diebus feſtis injuſſâ oratione nemini uti licere judicant, quia his diebus imperata tantùm ſacrificia, non voluntaria fieri ſolebant.* Quæ ſanè omnia ejuſmodi ſunt, ut hinc facilè intelligatur idem eſſe Judæis de ſacrificiis, quod de ſacris precibus judicium; atque ita factum, ut, poſtquam ſacrificari deſitum eſt, in ſacrificiorum ſtatorum locum ſtatas quaſdam ſupplicandi formulas, quæ ſacrificiis reſpondeant, ſubſtituerint.

(a) *Ibid.*

III. Quinetiam ut cruentis ſacrificiis, ita iis etiam (quod in tranſcurſu attingendum) quæ ex rebus inanimis facta erant, cultus ſacri ratio inerat. Ea enim Deo facta erant ut ejuſmodi bonorum lar-

largitori, nempe vini, olei, frumentíque, quæ ad vitam hominum sustentandam terra, arboréſque proferunt. Ita ut fertorum omnium oblatio rationem habuerit ejusmodi cultus, quo quisque vel uberiores fructus impetratum ivit, vel de impetratis gratias egit. Eóque spectant eorum aliqua, quæ ex *Abrabenele* modo attuli. Quibuscum etiam consentanea sunt, quæ scripsit *R. Levi Ben Gerson* (*b*), כמו שיקרבו העומר בפסח לבקש ברכת הקציר והבכורים לבקש ברכת פירות האילן. כן קרבו המים בחג הסוכות לבקש משׁ ברכת הגשמים כי אז יבא עת הזרוע *Sicut ad impetrandam prosperam messem Deo (cui laus) Omerum* (*c*) *in Paschate sacrificabant, itémque primitias* (*d*) *in Pentecoste ad impetrandos uberes fructus; ita in festo umbraculorum (quando instabat seminandi tempus) ad largos imbres impetrandos aquas etiam Deo libabant.* Verùm hoc legis injussu factum est. Illud interea satis constat, Judæos ita de sacrificiis, ut de precibus & gratiarum actionibus, alteráque æquè atque alteras circa Deum versari judicasse.

(*b*) *ad 2 Sam.* 23. 15.

(*c*) *Lev.23.v.9,* 10.

(*d*) *v.* 17.

*Idem Gentium profanarum de suis sacrificiis judicium.*

IV. Ac quidem quale Judæorum de sacrificiis suis judicium, tale fere de suis quoque ipsarum Gentium profanarum extitit. Id quod *Porphyrii* ista docent (*e*). πρὸς θεῶν ἕνεκα θυτέον τοῖς θεοῖς. ἢ γὰρ ἀφ' τιμὴν, ἢ ἀφ' χάριν, ἢ ἀφ' ἀρετὴν τῶν ἀγαθῶν. *Tribus de causis diis sacrificandum est, vel ut eos honore afficiamus, vel ut gratum erga eos testemur animum, vel ut bona ab iis impetremus.* Quarum duas priores immolandi causas ad unam rectè revocant

(*e*) *De abstinentia, l.2. § 24.*

Judæi; utpote qui in honoribus eis, quos inter immolandum Deo dabant, ita ſummam ejus ſapientiam, potentiámque celebrabant, ut ejuſdem quoque bonitatem, vel in ipſa rerum univerſitate, vel in ſingulari aliqua beneficentia erga ſe, ſuóſve elucentem unà ſemper commemorarent; cujuſmodi laudes & honores eodem, quo gratiarum actiones, & ad idem cultus genus, pertinent. Quanquam quidem parum refert, quas ob cauſas Gentes profanæ diis ſuis immolandum duxerint, modo omni ſacrificiorum generi (id quod ſemper ab eis factum eſt) cultus ſacri rationem, ac vim tribuerint. Nullo enim modo fieri potuit, quin Deorum cultum circa Deos verſari judicaverint.

(f) *Ibid.* His conſtitutis, alia illa *Porphyrii* videamus (f), Τιμῶμεν δὲ τοὺς Θεοὺς, ἢ κακῶν μὲν ἀποτροπὴν, ἀγαθῶν δὲ παρασκευὴν ἡμῖν γενέσθαι ζητοῦντες, ἢ προπεπονθότες εὖ, ἢ ἵνα τύχωμεν ὠφελείας τινὸς, ἢ κατὰ φιλίαν τῆς ἀγαθῆς αὐτοῦ ἕξεως ἐκτίμησιν. ὅθεν καὶ τῶν ζώων εἰ ἀπαρχὴν αὐτοῖς θεοῖς τούτων τινὸς ἕνεκα θυτέον. καὶ γὰρ ἃ θύομεν, τούτων τινὸς ἕνεκα θύομεν. *Deos autem colimus, vel petentes ut mala avertant, & ſuppeditent bona, vel quod jam antea commodi aliquid ab iis percepimus, vel ut poſthac conſequamur, vel eos denique propter ſolam naturæ præſtantiam honorantes. Ita ut, ſi animalium primitias Diis ſolvere oporteat, eas de harum cauſarum aliqua ſacrificare debeamus. Quæcunque enim immolamus, hujuſmodi de cauſis immolamus.* Unde intelligitur profanas Gentes diis ſuis ideo immolaſſe, ut eorum gratiam vel impetrarent, vel commemorarent, vel denique ut

eos

eos honorarent propter ſolam naturæ excellentiam; neque aliter de ſacrificiis ſuis, ac de eximio cultus genere, diiſque pergrato exiſtimaſſe.

V. Huc etiam pertinent *preces* iſtæ *ſacrificales* inter Gentes profanas adhiberi ſolitæ. Quales *Sophocli* (g) dictæ ſunt θυσάδεις λιτάι, Scholiaſti, αἱ διὰ τῆς θυσίας γινόμεναι λιταὶ, *preces inter ſacrificandum habitæ.* Hæ quo ſpectabant ex eis formulis, quæ apud *Catonem* extant, patet (h). *Jane pater, te hac ſtrue commovenda bonas preces precor, ut ſies volens propitius mihi, liberiſque meis, domo, familiæque meæ, mactus hoc ferto.* Et mox, *Jane pater, uti te ſtrue commovenda bonas preces bene precatus ſum, ejuſdem rei ergo macte vino inferiori eſto.* Quas inter formulas & hæc poſita eſt; *Jupiter te hoc ferto obmovendo bonas preces precor, uti ſies volens propitius mihi, liberíſque meis, domo, familiæque meæ, mactus hoc ferto.* Quibus adde (ut alias aliquas prætream) preces in Solitaurilibus factas; *Mars pater, te precor, quæſóque, uti ſies volens propitius mihi, domo, familiæque noſtræ, quojus rei ergo agrum, terram, fundúmque meum Solitaurilia, circumagi juſſi, uti tu morbos viſos, inviſóſque, viduertatem, vaſtitudinémque, calamitates, intemperiáſque prohibeſſis, defendas, averruncéſque; utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultáque grandire, benéque evenire ſinas, paſtores, pecuaque ſalva ſervaſſis, duíſque bonam ſalutem, valetudinémque mihi, domui, familiæque noſtræ. Harunce rerum ergo fundi, terræ, agrique mei luſtrandi, luſtrique faciendi ergo, ſicuti dixi, macte hiſce Solitaurilibus lactentibus*

(g) *In Antigone.*

(h) *De re ruſtica, cap.* 134.

*immolandis esto.* Quorsum hæc? ut hinc intelligas profanas Gentes tam sacrificiis, quàm precibus suis id egisse, ut Deorum gratiam, ac benevolentiam, réisque prosperas impetrarent; támque sacrificia, quam preces istas huc valuisse judicasse.

VI. Idem docent locutiones istæ, quibus passim apud Scriptores profanos sacrificiorum vis exponi solet. Quales sunt Græcis Θεὸν ἱλάσκεσθαι, & ἱλάσκεσθαι, Latinis *supplicare*, *placare*, *propitiare*, *impetrare*, *litare*, ac *perlitare*. Quare huc refer *Homeri* illud (*i*).

(*i*) Iliad. β.

Ἔνθα δέ μιν ταύροισι καὶ ἀρνείοις ἱλάσσαι.
*Illic ipsam tauris, & agnis placant.*

(*k*) In operib. & diebus.

Adde etiam & illud ex *Hesiodo* (*k*).

Ἀλλοτε δὲ σπονδῇσι θυηέσσῃσι ἱλάσκεσθαι.
*Interdum libaminibus & aromatibus placa.*

Hinc etiam κεκλιμένῳ dictus est, cui exta victimæ Deos propitios pollicebantur.

(*l*) In prolog. ad Aululat.

Sed & modò dictæ voces Latinæ in sacrificiis sæpe positæ. Unde *Lar* apud *Plautum* de virgine quadam (*l*).

——*Ea mihi cotidie*
*Aut ture, aut vino, aut aliqui semper supplicat.*

(*m*) Hist. Nat. l. 12. c. 18.

*Plinius* etiam (*m*) Veteres *mola salsa supplicasse* dicit. Idémque cùm *temporibus Iliacis thure supplicatum fuisse* negat, id suis fieri solitum docet (*n*).

(*n*) v. Hist. Nat. l. 13. c. 11.

Quinetiam vis *placandi* Deos sacrificiis inesse censebatur. Unde idem *Plinius* (*o*), *Magna est pecori gratia in placamentis Deorum.* Et *Horatius* (*p*).

(*o*) Hist. Nat. l. 8. c. 47.

(*p*) Lib. 1. Od. 36

*Et*

*Et Thure & fidibus juvat*
*Placare, & vituli ſanguine debito*
*Cuſtodes Numidæ deos.*

Idemque alibi (*q*),

(*q*) *Serm. lib. 2. Satyr. 3.*

*Prudens placavi ſanguine Divos.*

Quo eodem pertinet *Virgilii* illud (*r*),

(*r*) *Æneid. 2.*

*Sanguine placaſti ventos.*

Quibus adde, quod *Cæſar de Gallis* ſcribit (*s*), *Pro vita hominis niſi vita hominis reddatur, non poſſe deorum immortalium numen placari arbitrantur.* Cujus etiam rei meminit *Cicero* eadem iſta voce uſus (*t*).

(*s*) *Lib. 6. de bell. Gallico.*

(*t*) *pro Fonteio.*

Sic etiam *propitiare* Deos ſacra rite facta cenſebantur. *Undè dicitur* Otho (*u*) *per omnia piaculorum genera manes* Galbæ *propitiare tentaſſe.* Quo etiam refer *Plinii* illud (*x*), *Nec minus propitii erant mola ſalſa ſupplicantibus, imo verò, ut palam eſt, placatiores.*

(*u*) *v. Sueton. in Othone, c. 7.*

(*x*) *Hiſt. Nat. l. 12. c. 18.*

Sed & vocem *impetrare* in ſacris fuiſſe ex *Livio* conſtat (*y*); *Per dies aliquot*, inquit ille, *hoſtiæ majores ſine litatione cæſæ, diuque non impetrata pax deûm.*

(*y*) *Lib. 27. c. 25.*

Jam *litare* & *perlitare* voces ſunt propriè ſacrificales. *Senatus*, inquit idem *Livius* (*z*), *majoribus hoſtiis uſque ad Litationem ſacrificari juſſit. Cæteris Diis perlitatum ferunt, Saluti Petilium perlitaſſe negant.* Et *Cicero* de divinatione (*a*); *Quid? quum pluribus Diis immolatur, quîtandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur?* & *Sue-*

(*z*) *Lib. 41. c. 15.*

(*a*) *Lib. 2.*

*tonius*

(b) Cap. 81. *tonius* in *Julio* (*b*), *Dein pluribus hostiis cæsis cùm litare non posset, introiit in curiam spreta re-*
(c) In Pœnulo. *ligione.* Ac denique *Plautus* (*c*),

*Si hercle istuc unquam factum est, tum me Jupiter*
*Faciat, ut semper sacrificem, nec unquam litem.*

Quamobrem hæc? quia vox litare (si *Servium* sequamur, *Macrobiúmve*) est *facto Sacrificio placare numen* (*d*). Adde etiam *Nonii Marcelli* illud (*e*), *Sacrificare est veniam petere. Litare est propitiare, & votum impetrare.* Quanquam quidem rectiùs aliquanto *Vossius* (*f*), *Sacrificare generale esse* dixit, *Litare autem locum habere, cum sacrificium esset Diis gratum.*

(d) Serv. ad Æneid. 4. Macrob. l. 3. c. 5.
(e) Cap. 5. num. 12.
(f) Etymolog. in Lito.

Neque verò refert, siqui inter profanos populos vel nullis omnino sacrificiis, vel nullis ex animalibus factis Deos suos colendos existimaverint (*g*). Neque enim hi, qui Deos suos ita coli noluisse dicunt, eosdem ita cultos negant, cultúmve illum circa eos versatum; quod æquè ad nostrum institutum valet, ac si & hi Deos suos non modò sacrificiis cultos, verùm etiam (quod aliis visum fuit quorum longè major erat numerus) placatos quoque judicassent.

(g) v. Arnob. adv. Gentil. l. 7. in initio. & Lucian. de sacrific. in initio, & Porphyr. de abstin. l. 2. §. 7, 8.

## *Christianorum etiam in hac re consensus.*

VII. Jam vero si, de sacrificiis quid sit Christianis visum, quæras; Ea semper eorum his de rebus sententia fuit, ut nunquam nisi uni Deo sacrificari licuisse duxerint. Unde intelligitur eos omnes propriam cultus sacri rationem sacrificiis inesse judicasse. Eóque factum, ut Diis extraneis immolantes Idolola-

lolatriæ condemnarent. Ita *Tertullianus* de Idololatria (*h*), *Si propter sacrificium vocatus adsistam, ero particeps Idololatriæ.* Et mox, *Si merum quis sacrificanti tradiderit, imò si verbo aliquo sacrificio necessario adjuverit, Minister habebitur Idololatriæ.* Ita *Cyprianus* (*i*) Christianos monens ne Diis profanarum Gentium immolent. *Deus loquitur, dicens: Sacrificans Diis eradicabitur, nisi Domino soli.* Sed nihil est, cur in re perspicua testibus utar. Id unum hic meminisse sufficit, Qui nunquam nisi uni Deo fine summo cultus extranei scelere sacrificatum existimabant, (quæ sententia apud Christianos omnes semper valuit) hos sacrificiis attribuisse propriam cultus sacri rationem, ac quidem (inde quod efficitur) sacrificia omnia Deo facta, ut proprium planè ipsius cultum, circa Deum versari statuisse.

(*h*) Cap. 16.

(*i*) De Lapsis.

VIII. Jam (ne de re non necessaria adeo laborasse videamur) cùm omnia rite facta sacrificia ita comparata fuisse constat, ut circa Deum versarentur, hinc quoque de sacrificio Christi idem esse debere judicium, patet. Quæ enim omnis sacrificii rite facti ratio fuerit, ea sit necesse est & sacrificii Christi ratio. Ac quidem cum sacrificium ejus ad genus piaculare pertinet, genúsque totum piaculare ad impetrandam malorum veniam, hinc efficitur sacrificium ejus eo omnino pertinere, ut nobis, pro quibus factum est, peccatorum veniam à Deo impetret. Id quod in transitu monendum erat, ne quod in duobus his capitibus tantopere persecuti sumus, frustra persecuti videamur.

DE

# DE

## Pœna vicaria piacularibus hoſtiis irrogata.

---

### CAP. XXI.

*Oſtenditur quid ſit pœna vicaria, eamque piacularibus hoſtiis irrogatam eſſe.*

I. QUUM omnia ſacrificiorum genera legibus *Moſaicis* conſtituta id commune habuiſſe pateat, ut circa Deum verſarentur, (id quod eorum primum fuit quæ demonſtranda in nos ſuſcepimus) deinceps de hoſtiis piacularibus paulò accuratius diſpiciendum; quippe cui generi pœnam vicariam irrogatam eſſe prius diximus, nunc autem palam facturi ſumus. Eſt autem pœna vicaria malum quodvis alteri inflictum ad culpam alterius expiandam, modò malum iſtud eò ſpectet, ut ſontem ipſum à pœna liberet, eique peccati veniam impetret. Unde intelligitur ejuſmodi mala pœnæ vicariæ vi carere, quæ quis propter peccata ſua in perſona ſecum conjuncta luerit. Ut cùm parentes hac de cauſa liberis ſuis orbati fuerint. Nam pœna vicaria eò ſpectat, ut reo afferat peccati veniam, qua perinde excidit, qui in ſuis, ac qui in ſe pœnam excipit. Ac quidem pœna omnis vicaria ad ſontis commodum comparatur, quod contrà eſt in ejuſmodi pœna, unde damnum, dolor, aut infamia ex alie-

na

na calamitate ad ipsum fontem semper redit.

Pœnæ autem vicariæ duo sunt genera. Alterum, cùm idem pœnæ genus quod nocens meruit, ejusdem vicario irrogatur; ut siquis sese morti dedat, ut alterum aliquem à morte liberet. Alterum, cùm aliud pœnæ genus nocentis vicario irrogatur, ac id, quod meruit ipse nocens. Ut siquis in exilium eat, ut alterum redimat è servitute. Inter quæ duo pœnarum genera nihil interest, nisi quòd in altero nulla nisi personarum, in altero autem & personarum & pœnarum etiam sit commutatio. Quæ differentia ejusmodi est, ut propriam pœnæ vicariæ rationem utrique perinde generi relinquat.

II. Jam pœna vicaria hostiis piacularibus inflicta ad expianda hominum peccata pertinuit tanquàm conditio lege præscripta, sine qua Deus peccata illa remittere noluit, de quibus hostias cædi jussit. Quanquam enim illa maxima ex parte leviora erant, ea tamen Deus præterire noluit sine omni animadversionis specie, ne tantam forte indulgentiam peccandi licentia consequeretur. Atque ita factum, ut sicut peccata graviora suo ipsius nocentis sanguine, ita ea, quæ leviora erant, victimæ sanguine expiari vellet, eoque pacto eorum à se impetrari veniam. Quæ cùm ita comparata essent; hinc liquet sacra piacularia non inertem planè & otiosam, sed ejusmodi veniæ impetrandæ conditionem continuisse, quæ Dei justitiæ, ac sanctitatis, animique perperam factis infensi & satis aptam præbebat speciem, & ad excitandam tuendámque legum sacrarum reverentiam non incommodè pertinebat.

III. Verum hæc ne temere dixisse videar, nunc ad rem propositam veniam: quæ, quò facilius patefiat, paulo altiùs repetenda est. Enimvero *primò*

notandùm eſt, ita loqui ſolere ſcriptores ſacros de peccatis nondum expiatis, tanquam de fœda quadam macula reos turpiter inquinante (*k*). Atque ita fit, ut peccatorum expiatio eis ſæpe vocibus enuncietur, quæ idem quod purgare valent. Quales ſunt Græcis καθαρισμὸς (*l*), & καθαρίζειν (*m*). Hebræis autem כפר, & טהר, pro quibus vocibus Græci interpretes vocem καθαρίζειν nonnunquam ponunt (*n*). *Deinde* & illud advertendum, moris fuiſſe apud Hebræos (Deo ita præcipiente) ut peccata populi Iſraelitici ſolenni expiationis die ad hircum in deſerta ducendum ſpecie *ſymbolica* transferrentur (*o*). Atque ita factum, ut hircus iſte eorundem peccatorum macula deinceps ita polluere-tur, ut eum, à quo abductus erat, labe quadam reciproca inquinaret. Id quod ex eo intelligitur, quod nemini eo munere functo in caſtra prius redeundum erat, quàm aquis rite luſtratus eſſet (*p*). *Quinetiam* animadverti velim, quonam ritu populi peccata in hircum illum conjecta erant. Atque hoc quidem Pontificis manibus pecudis ejus capiti impoſitis, peccatorum addita confeſſione factum docent ſacræ literæ (*q*). Qua in re Pontifex perſonam populi, cujus peccata deprecabatur, ut quiſque videt, ſuſtinebat. *Poſtremò* meminerimus oportet ejuſmodi victimis piacularibus, quarum utique ſanguis in ædem ſacram illatus erat, corporáque extra caſtra combuſta, & eundem ritum adhiberi ſolitum, qui hirco illi adhibitus erat, manuum ſcilicet impoſitionem cum peccatorum confeſſione junctam (*r*), eoque ex ritu talem in eis extitiſſe maculam, qualis in hirco iſto extitit. Id quod ex eo intelligitur, quod harum etiam victimarum corpora & è caſtris ſtatim efferenda eſſent, & eos, à qui-

(*k*) *Lev.* 18.20. *Pſ.* 106.39. *Jer.* 2.23. *Ezek.* 20. 7,18,31. & 22. 3. *Mat.* 15.18, 20.

(*l*) *Hebr.* 1.3.

(*m*) *Hebr.* 9.22, 23. 1 *Joh.* 1.7.

(*n*) *v.*70 *Interpretes Deut.* 32. 43. *Iſa.* 6.7. & 47.11. *Pſ.* 16. 30. & 19.12. & 51.2.

(*o*) *Lev.* 16.21.

(*p*) *v. Lev.* 16.*v.* 26.

(*q*) *Lev.* 16.21.

(*r*) *v. Lev.* 4.4, 15. & *quæ antè diximus c.* 15.

quibus cremabantur, continuo ita inquinarent, ut nisi aqua prius lustratis in castra redire nefas esset (*s*). Quamobrem cùm idem ille ritus, quo populi peccata in hircum in deserta ductum conjecta erant, his etiam victimis adhiberetur, quarum utique sanguis in ædem sacram illatus erat, corporáque extra castra combusta; cúmque idem maculæ tralatitiæ in his, perinde ac in hirco illo indicium esset, eadem scilicet corporum impuritas; par est, ut quisque has ad victimas, perinde atque ad hircum istum sontium peccata translata judicet. Illud (quod caput est) interfuit, quod hircus ille populi peccata in se congesta, in expiationis rite factæ, veniæque impetratæ speciem, quasi nunquam posthac in Dei conspectum reditura, in deserta vivus asportaret, victimæ autem hæ, de quibus agimus, sontium peccata in se translata sanguine suo expiarent. Quibus sane ex rebus elucebat tantum pœnæ vicariæ indicium, quo nullum majus esse potuit. Neque enim ulla ejusmodi pœnæ species clarior esse poterat, quàm ut peccata immolantium primò ad victimas mox cædendas specie quadam *symbolica* transferrentur, tum verò continuò expiarentur earundem victimarum sanguine, ad quas priùs translata fuerant. Quorum illud ex modò dictis constat, hoc ex iis legis verbis, quibus *sanguis pro anima expiare* dictus (*t*).

(*s*) *v. Lev.16. 28.& quæ antè diximus c. 17.*

(*t*) *Lev. 17.11*

IV. Jam verò manuum impositio cur huic potius victimarum generi, quarum corpora extra castra cremabantur, quam aliis ullis labem inferret, ea fortasse ratio fuit, quòd maxima omnium piacula essent, quæ hoc ad genus pertinebant. Hæc enim nunquam facta erant nisi vel pro maximo Sacerdote, vel quidem pro Sacerdote illo cum reliqua fa-

milia *Aaronica*, vel denique pro universo cœtu; quorum peccata (quod antè diximus) graviora erant, & graviori nota digna, quàm quæ aliorum hominum erant.

Quanquam quidem parum admodum refert, quo tandem modo, nimirum an manuum impositione (prout hircus in deserta ductus) an tacito Dei instituto, nulla ritus ejus ratione habita, polluerentur illæ victimæ; de quibus in præsentia agimus, siquidem de re ipsa constet, Nihil enim excogitari potest, quamobrem institueret Deus, ut maxima planè omnium piacula, potius quàm alia ulla genera, semper inter sacrificandum impura fierent, nisi quòd in hac impuritate in corpora victimarum invectà peccatorum quoque ab offerentibus ad easdem victimas translatorum speciem quandam *symbolicam* ostendere vellet. Id quod & eo magis apparuit, quòd qua opera polluebantur sontium victimæ piaculares, ea sontes ipsi expurgarentur. Sed neque dubitari potest, quin victimæ illæ pœna vicaria afficerentur, quæ hominum peccata in se conjecta suo sanguine expiabant.

V. Verùm hæc, inquies, non aliò valent, nisi ut hoc unum victimarum genus, quarum corpora extra castra cremabantur, pœnam vicariam fuisse indicent. Esto, sed ex hoc genere de victimis omnibus piacularibus (ut quarum eadem ratio esset) judicari debet, præsertim de sacrificio Christi; quòd hoc in genere præ quàm in reliquis adumbrabatur. Sunt enim ejus Sacrificio ejusmodi omnia tribuenda, quæ ullis omnino ipsius typis adumbrata erant, præsertim vero insignioribus, minimè vero detrahenda, siqua obscurioribus deerant. Antitypus enim typorum omnium (quatenus typorum

ra-

rationem habent) omnia in se complecti debet. Imò verò eò majus in Christo pœnæ vicariæ indicium extitit, quod ita divinitus comparatum esset, ut major ejusmodi pœnæ species in insignioribus ejus typis, quàm in aliis ullis eluceret. Quippe cujus rei, præter hanc unam, nulla cogitari causa potest.

VI. Verùm enimverò etiamsi his in sacrificiis, in quibus victimarum sanguis in ædem sacram illatus erat, ac corpora extra castra combusta, aliquanto clarius quam in reliquis, pœnæ vicariæ indicium esset, res tamen ipsa in aliis omnibus pro noxa aut peccato cæsis, æquè atque his ipsis inerat. Id quod ex eo intelligitur, quòd cum delicta graviora suo ipsius sontis interitu, leviora interim pecudis sanguine expianda essent. Exempli causa, ponatur quemvis eo proterviæ perveniſſe, ut sibi sacrum suffitum conficeret, sebóve, aut sanguine sciens ac prudens vesceretur, huic sanè suo ipsius exitio peccata illa luenda erant (*u*), contra autem peccata eadem per imprudentiam forte admissa victimæ sanguine expiabantur. Quamobrem cùm divina lege ita planè comparatum esset, ut quæ peccata graviora erant, ea suo ipsius nocentis sanguine, leviora autem sanguine victimæ expiarentur, quicquámne evidentius esse potest quàm pœnam illam, quæ quidem in gravioribus peccatis nocenti ipsi irrogata fuit, in levioribus ad ejusdem victimam translatam esse, pœnámque pecudis hominis pœnæ substitutam fuisse?

(*u*) *Ex.* 30.38. *Levit.* 7. 25,27. & 17. 10.

Quid ad hæc *Crellius*? Tantóne in surrogationis indicio nullam vel commutationem agnoscit? imò *sacrificium Deo benignissimo pro pœna* hominis *fuisse* dicit (*x*); Verum, inquit, *Expiatio in sacrificiis*

(*x*) *ad Hebr.* 9. v. 14.

*ficiis non de ipſa mactatione pecudis, quæ revera fuiſſet luitio illa ſeu pœnæ perſolutio, ſed de iis dicitur, quæ mactationem conſequebantur, atque imprimis de aſperſione ſanguinis, quæ à Sacerdote vel in Sancto Sanctorum, vel in ara aut circa eam fiebat* (y). At maximè ſe fefellit *Crellius* ſacra ad civilium morem exigens. Ita enim his in religionibus comparatum fuit, ut aliud eſſet pœnam pecudi irrogare, aliud Deo ritu ſacrificali ſolvere. Nam prius illud tum fiebat, cùm pecudi vita adimebatur. Poſterius autem tum, cum vita animáve pecudis Deo more ſacro reddebatur. Id quod in hoc rituali cultu non factum erat, priuſquam ſanguis, vitæ vehiculum, aræ illius redditus eſſet, vel ſaltem ſanctuarium ejus, vel propitiatorium verſus ſparſus.

(y) Contra Grot. c. 10. partic. 37.

Ac quidem ejuſmodi pœnæ ſpecies, quæ ad Deum propitiandum ſpectabat, eo magis in ſacrificiis eluxit, quod pecudis ſanguis non ſolummodo effundendus eſſet, ſed & Deo etiam rituali ſpecie porrigendus. Ita quippe ſignificatum erat vitam ſive animam victimæ in ſacrificiis piacularibus Deo redditam eſſe ut λύτρον quoddam piaculare, ac λύτρον illud eò ſpectaſſe, ut ejus erga reum gratiam impetraret, cui ritu ſacro porrigebatur, cujúſque in ara depoſitum erat. Quamobrem, quicquid his placuerit, qui nihil non argutiis ſuis eludi poſſe arbitrantur, nos interim omni ejuſmodi cædi, ex qua λύτρον quoddam extiterit ad peccatorum remiſſionem, Deíque gratiam impetrandam, pœnæ vicariæ nomen damus. Nec quid magnum intereſſe remur (neque enim adeo arguti ſumus) ſive cædes iſta per ſe ipſa hoc præſtiterit, ſive ejus in ara repræſentatio ſanguinis aſperſione facta, ſive alio

lio quovis ritu, modo, locóve præstita. Atque ita fit, ut pœnam vicariam in Christo agnoscere non dubitemus, ut qui vitam, animámve suam ad expianda peccata nostra; eorumque veniam impetrandam, ut λύτρον piaculare dederit (z). (z) *Mat.* 20. 28. *Marc.* 10. 46.

VII. Quod autem *Socinus* bestiam pro homine puniri non potuisse dicit, *quia* scilicet *inter bestiam & hominem nulla est speciei communio*, me sanè nihil omnino movet. Potuerunt enim peccata hominum ad pecudes rationis expertes specie quadam *symbolica* transferri. Hoc enim in hirco die expiationis in deserta ducto factum docent sacræ literæ, ac quidem verbis explicatis (a). Potuerunt etiam hominum peccata victimarum sanguine expiari. Nam & hoc quoque, ut prius monuimus, explicate dicunt sacræ literæ. Quorum utrumque cum factum esset in præcipuis victimis piacularibus, quæ tandem potuit pœnæ vicariæ clarior usquam species edi, quam quæ in eis edita fuit? nec dubium sanè quin quæ earum, eadem & reliquarum ratio esset. Idque ipsum (quanquam ejusmodi sit, sine quo satis intelligi potest sacrificii Christi vis, & ratio) aliunde quoque demonstravimus. (a) *Lev.* 16.

Verùm, inquies, peccatorum ista à sontibus ad victimas quasdam translatio non nisi specie facta fuit, reipsa fieri nullo modo potuit. Rectè quidem. Sed illa ipsa translationis istius species aliquam significationem habuit, quæ quidem, uti mihi videtur, alia nulla esse potuit, nisi victimas illas, in quibus species ista edita est, sontium in locum suppositas esse, eásque noxas & peccata, de quibus rite immolabantur, pœna vicaria expiasse. Quanquam quidem licet speciem potius pœnæ vicariæ vel in maximis Hebræorum piaculis, quàm rem ipsam extitisse

titiſſe demus, res ipſa tamen locum habuerit neceſſe eſt in Domini noſtri ſacrificio piaculis iſtis adumbrato. Ita enim eſt in typo omni, ejuſque antitypo (ut antè docuimus) comparatum, ut quod in altero vel ſpecie aliqua adumbratum fuerit, id verè in altero locum habeat.

VIII. Neque quenquam moveat, quôd in maxima ſontium paupertate ferto quodam piaculari (in quod ne ſpecies pœnæ vicariæ, nedum res ipſa cadere potuit) litari poſſet, malorúmque venia impetrari (*b*). Neque enim ſi fertum piaculare pœnam vicariam non ſubiret, ideo continuò ſtatui debet nec ipſas victimas piaculares ejuſmodi pœnam paſſas eſſe. Hoc enim perinde eſt, ac ſiquis neque ipſam mortem victimarum ullarum piacularium mortem Chriſti adumbraſſe dicat, quia nulla ferta piacularia ejuſdem mortem adumbrabant. Quod quiſque, quam ſit ineptum videt.

(*b*) *Lev.* 5. 12.

IX. At enim victimæ piaculares pœnam vicariam ſubiiſſe minime judicari debent, niſi mortem vicariam ſubiiſſent; mortem autem vicariam nullo pacto ſubire potuere, quia mors vel ipſis immolantibus ob ea peccatorum genera, quæ victimis expianda erant, in legibus populo Hebræo latis explicatè nuſquam denunciabatur. Quaſi verò vel nulla eſſe poſſet vicaria pœna, niſi quæ ejuſdem generis erat, cujus ea, quæ reo imminebat; vel nullo modo fieri poſſet, ut immolantium ipſorum vice morerentur victimæ piaculares, niſi lex aliqua diſertis verbis ob ea peccatorum genera, quæ victimis expianda erant, immolantibus mortem denunciaſſet. At neutrum horum verum eſt, alterum ejuſmodi, ut ſecum pugnet. Enimvero primò nihil ad pœnam vicariam intereſt, an idem illud

pœnæ

pœnæ genus, quod ſonti ipſi imminebat, an aliud quodvis ejuſdem loco ſontis vicario irrogetur. Utrumvis enim pro arbitrio ejus, penes quem eſt puniendi jus, ad ſontis impunitatem valere poteſt. Unde intelligitur aliud eſſe *pœnam vicariam*, aliud *mortem vicariam* luere, alterique locum eſſe poſſe, ubi alterum nullum locum habet. Deinde neque illud verum eſt, non potuiſſe victimas ullas immolantium vice mortem luere, niſi lex aliqua diſertis verbis mortem immolantibus denunciaſſet ob ea peccatorum genera, quæ victimis illis expianda erant. Imò verò hoc, ſi ſic fuiſſet, ſacrificiis profecto piacularibus locum nullum reliquiſſet. Pœna enim omnis explicata lege ſontibus ipſis denunciata legis ejuſdem vi ac juſſu eiſdem infligenda fuiſſet; ideoque nullis ſacrificiis, nullis piaculis avertenda. Unde intelligitur pœnam illam, quæcunque fuit, quæ ſacrificiis avertebatur, nulla explicata lege, (quæ cum altera victimam imperante non pugnaret) immolantibus, hoc eſt, ſontibus ipſis denunciari potuiſſe; ac quidem ea ipſa de cauſa ita minimè denunciatam eſſe, quia lege ſic proviſum erat, ut ſacrificiis averti poſſet.

X. Hæc itaque cum ita ſint, fruſtra in explicatis minis ſontibus ipſis intentatis pœnam illam requiſiveris, quæ ſacrificiis piacularibus ab iis averruncata fuit. Verùm hæc, quæ fuerit, ut intelligas, videas oportet, quænam pœna reis infligi potuiſſet, ſi modò Deus jure ſuo erga eos uti voluiſſet. Atque ea quidem, ſi ſacras literas audire velis, mors ipſa, ſive exitium erat. Idque indicant, quæ apud *Moſem* extant (*c*), *Homo quilibet de domo Iſrael, & de advenis, qui peregrinantur inter eos, ſi comederit ſanguinem, obfirma-*

(*c*) Lev. 17. 10, 11.

*bo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo: quia anima carnis in sanguine est, & ego dedi illam vobis super altare,* לכפר על נפשותיכם *ut expiet pro animabus vestris, sanguis enim est, qui pro anima expiat.* Ubi sanguis ille, qui pro anima expiare dicitur, sanguinem victimarum designat, itémque pro anima expiare idem valet, quod animæ כפר aut λύτρον esse, siquidem utraque locutione eadem sententia efferri soleat (*d*). Jam animæ כפר aut λύτρον esse idem est quod mortem averruncare. Idque his ex verbis intelligitur, *Dabit quisque* כפר נפשו ליהוה *pretium animæ suæ domino, & non erit plaga in eis.* Plaga enim illa pestem significat repentinam mortem allaturam. Eóque factum, ut Græci Interpretes pro כפר נפשו λύτρα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ dixerint.

(*d*) *v. Exod. 30. & confer v. 12. cum v. 15, 16.*

Adde quod pro *anima expiare* idem sit, quod expiare pro vita, anima enim hac in locutione sine omni dubio vitam significat; pro vita autem expiare quid aliud est nisi interitu averruncato vitam incolumem conservare? Quísve est qui locutionem eam ejusmodi esse non perspiciat, ut & hanc sententiam per se ipsa sibi vendicet, & aliam planè omnem respuat?

Nihil ergo dubium est, quin hæc locutio *pro hominis anima expiare* idem significet, quod mortem ab homine averruncare. Nec quis Judæorum est, qui ei aliam sententiam adjudicat, plurimi autem qui hanc attribuunt, quorum ego alibi verba referam. Sed neque magis dubitandum, cur dicta sit victima piacularis mortem ab homine averruncasse. Certum enim est eam hac de causa hoc præ-

stitisse

stitisse dictam esse, quia id præstabat, quod ad se proprie pertinebat, hoc est, quia pœnam peccati ejus, de quo rite immolabatur, ab immolante avertebat. Ex quo efficitur pœnam illam mortem exitiúmve fuisse. Quod cùm ita sit, relinquitur victimas piaculares tam dici posse vicariam mortem, quàm pœnam vicariam passas esse.

XI. Jam verò quorsum pertinebant victimæ illæ piaculares, quæ quidem ad lustrandas puerperas, aliisve de rebus (siquæ erant) cædebantur, in quibus nihil culpæ inerat, nihil à quo caveri poterat, nos, ut potuimus, ante diximus. Id unum hunc ad locum pertinet, ut nihil ex eis concludi posse moneamus, quo jam dicta convelli queant. Neque enim in præsentia quæritur, quid causæ fuit, cur Deus corporis impuritatem, omni forte culpa vacantem, sacrificio expurgari jusserit, sed quænam ista pœna fuit quæ eis victimis avertebatur, quæ de peccatis proprie dictis legis jussu mactandæ erant? Quibus utique peccatis ipse *Crellius* (*e*) & pœnam aliquam debitam fuisse, & post sacrificium rite factum à Deo remissam confitetur. Hac, inquam, nunc de pœna quæritur, quæ qualis erat, jam satis explicatum arbitror.

(*e*) *ad Hebr.9. 14.*

XII. His explicatis, deinceps quid vicaria pœna, suáque sontis cujusque propria inter se tum consentaneum habent, tum dissentaneum, docere visum est. Quippe quæ rectè qui intellexerit, in promptu habebit, quod respondeat ad alia omnia, quæ à *Socini* Sectatoribus contra jam dicta afferri possunt. Ac prius illud ut paucis expediam, pœna omnis, sive vicaria sit, sive sua sontis ipsius propria, ex violata lege aliqua (etiamsi, uti mox patebit, alio atque alio modo) oritur; ut neutri lo-

cus esse possit, ubi nulla sit legis violatio. Sed & ambo ista pœnarum genera ad legum reverentiam tuendam pertinent, ambobus ejusmodi vis inest, quæ doceat, quantam legum suarum Legislator ipse rationem habet, quámque sanctè eas ab aliis omnibus coli velit. Quibus de rebus in pœna sonti ipsi inflicta nemo dubitat, nemo in vicaria dubitare debet, si quidem & ea ejusmodi sit, sine qua is, cujus est punire, sontem dimittere impunitum nolit, neque peccati ab eo admissi veniam à se impetrari pati, ne veniæ adipiscendæ facilitas peccandi continuo licentiam faciat.

XIII. Verumenimverò licet duo ista pœnarum genera hæc inter se communia habent; ac quidem alia forte aliqua; multa tamen & magna sunt, quibus alterum ab altero differre constat. Nam primò propria sontis ipsius, non alterius alicujus pœna (qualis ea est, quæ vicaria dicitur) naturaliter ad legis sanctionem pertinet, ejúsque in obligatione ponitur. Lex enim eos ad pœnam vocat, qui quidem pœnam meruerunt, eosque pœna dignos esse dicit (*f*). Nemo autem ob alienam culpam pœnam meretur, nisi sit culpæ illius particeps. Neque enim peccati meritum peccantem naturaliter egreditur. Meritum enim voluntatis est, nihil autem magis cuique proprium, quàm sua cujusque voluntas est. Ac quidem pœna reo, ut reo, irrogata jure ex peccato orto infligitur, reus enim quisque, ut modo diximus, dignus est, qui pœnam luat. Jus autem illud, quo irrogatur pœna vicaria, vel ipso punientis dominio, vel consensu illius, qui punitur, cum dominio illo juncto nititur. Quorum hoc in Christo mortem sibi à Deo oblatam sponte sua passo cernitur; illud in victimis pia-

(*f*) *Deut.* 25.2. 1 *Sam.* 26.26. *Luc.* 12. 48. *Rom.* 1.32. *Apoc.* 16.6. *& passim alibi.*

piacularibus apud Judæos cædi solitis, quippe quas Deus cædi jussit dominii sui jure usus, ita tamen ut immolantium peccata in causa essent, cur eo jure, hoc in negotio, uteretur.

XIV. Quæ autem omnia afferri solent, ut mala omnia utrovis isto jure inflicta in eo semper, cui infliguntur, pœnæ ratione carere doceant, non eo valent, ut mala ea istac pœnæ ratione careant, quæ ad vicariam pœnam pertinet, sed illâ tantùm, quæ pœnæ illius propria est, quam sua quisque ob peccata luit. Quod quidem minime negari debet. Enimvero, ut ad reliqua pergam, sua cujusque sontis pœna, si modo culpæ par sit; sine gratia cujusquam interposita per se ipsa reatum delet; legisque obligationem ad pœnam sua continuo vi dissolvit, quippe qua idem id persolvitur, quod in obligatione illa ponitur. At pœna vicaria, qua aliud solvitur atque id, quod in obligatione ponitur, primò ac proprie non versatur circa legis obligationem ad pœnam, sed circa voluntatem ejus, penes quem est pœnæ veniæque jus. Atque ita fit, ut pœna sonti ipsi inflicta (quæ, quoties culpæ æqualis est, sine cujusquam adjuncta gratia per se ipsa reatum delet) unà cum peccati remissione nullo modo constare possit. Quod contra est in pœna vicaria, quæ nihil valet sine gratia ejus interposita, penes quem est puniendi & ignoscendi potestas; neque sic ab eo consideratur, ut sua sontis ipsius pœna, sed tantùm ut ejusmodi conditio, quæ ad legum reverentiam tuendam pertinet, ac quidem præcipua quadam ratione ad legis istius autoritatem recuperandam, quæ culpa admissa violata fuit, aliquoque modo debilitata. Cujusmodi conditio cùm nihil obstet, quo minus sontis à pœna libera-

liberatio ab illius planè gratia pendeat, penes quem est puniendi jus, unà cum peccati remissione ita, ut nihil magis, convenit; nisi forte quis nullam esse putet peccati propriam remissionem, nisi cujus impetrandæ causa conditio nulla postulatur. Quod adeo à veritate abest, ut nulla cuiquam in sacris literis, nisi sub fidei, & pœnitentiæ, vitæque correctæ conditione peccati remissio proponatur. Quod tamen nihil ejusmodi continet, quod cum clementia illa pugnet, quæ ad peccati remissionem pertinet. Quamobrem cum vicaria pœna nihil obstet, quo minus personæ sontis impunitas ab ejus beneficentia pendeat, penes quem sit puniendi jus; fit ut idem hic certas conditiones (quales sunt pœnitentia peccatorum, vitæque in posterum emendatio) sonti ita statuere possit, ut nisi iis rite præstitis nihil ei pœna aliena prosit. Nam suâ cuique beneficentiâ, ut sibi libet, uti licet. Nec quis alieno ex beneficio jure ullo commodum vendicare potest, nisi præstitis eis conditionibus, quas qui beneficium id obtulerit, beneficio suo constituerit.

Atque hæc omnia cum ita sint, hinc patet, quomodo sons quisque peccati sui, tum etiam quomodo sontis vicarius peccati alieni pœnam luens satis legi facere dici possit. Sons enim ipse, ut prius dicta apertè docent, hoc præstat id solvendo, quod in legis obligatione ponitur; Sontis vicarius id luendo, quod minimè quidem in legis obligatione continetur, eodem tamen, quo pœna sontis ipsius, pertinet; hoc est, ut paulo antè diximus, ad restituendam & conservandam violatæ legis autoritatem.

XV. Ac denique, ut finem his imponam, nihil refert, quo quisque animo, libente scilicet an reluctante, peccatorum suorum pœnas luat, modo istæ pares

sint

sint peccatis; utpote quæ, si tantæ sint, per se ipsæ reum liberant, nec alia ulla aliunde petita re indigent, qua hoc apud judices æquos præstent. At pœna vicaria ejusmodi est, quæ magnam vim, qua veniam saltem à Deo impetret (quicquid aliis de judicibus statuas) aliunde mutuari potest. Ut si, cui partes vicarii dantur, propositam sibi pœnam vicariam sua ipse sponte in se suscipiat; si pœna illa & gravis sit, & magnum Deo honorem afferat. Si ea non piaculi tantùm, sed & μαρτυρίαν rationem habeat, Deíque jussis, & promissis, ac denique minis fidem faciat. Si ea erga Deum obedientia in ea suscipienda eluceat, quæ ad pietatem & sanctitatem aliis magno sit exemplo. Si idem ille, qui pœnam vicariam in se excipit, summa planè sit innocentia, summa personæ dignitate, eosque percupiat salvos fore, pro quibus sese pœnæ offert. Quæ quidem omnia cùm in Christo, ejusque morte elucerent, magnam profecto morti ejus efficacitatem attulerunt, qua nobis peccatorum veniam, gratiámque apud Deum impetraret. Quicquid enim fecit, ut ipse Christus majore apud Deum gratia valeret (qualia sunt, de quibus jam meminimus) idem illud fecit, ut mors ejus eo majorem vim haberet, qua eò apud Deum valeret, quò Christus eam valere voluit. Hoc est, ut peccatorum nostrorum ab eo veniam impetraret, ac quidem reliqua etiam omnia, quæ ad æternam vitam pertinent. Quæ omnia penitus qui perceperit, facilè argutias istas diluet, quibus *Socini* Sectatores hunc locum maximè oppleverunt.

DE

# Christianorum de Victimis piacularibus judicium.

## CAP. XXII.

*Piaculares victimas peccata, de quibus immolabantur, pœna vicaria expiasse, veterum Christianorum, & Judæorum, perinde ac Gentium profanarum sententiam fuisse demonstratur.*

I. HActenùs dicta eo pertinent, ut quisque victimas piaculares peccata, de quibus immolabantur, pœna vicaria expiasse videat, nec quid contrà afferri posse, quamobrem quisquam aliter judicet. Quæ quia tanto majorem fidem habitura sunt, quanto amplioribus testimoniis confirmata fuerint, deinceps veteres Christianos, & doctissimos quosque Judæorum, perinde atque profanos populos de hoc eodem victimarum genere idem judicasse docere visum est.

Ac quidem veteres Christianos (à quibus exordiri libet) non modò offerentium peccata victimis quodammodo imposita esse judicasse constat, sed & earum etiam animas offerentium animarum vice datas. Prius illud *Origeni* placuisse patet, quippe qui

qui ex manuum impositione victimis adhiberi solitâ peccata hominum Christo imposita fuisse colligit (*g*) *posuit*, inquit, & *manum suam super caput vituli, hoc est, peccata generis humani imposuit super caput suum. Ipse enim est caput corporis Ecclesiæ.* Idem judicavit *Cyrillus Alexandrinus:* Nam & hic quoque Christum peccata nostra, hoc est, eorum pœnas tulisse eodem ex ritu intelligi docuit (*h*). Verùm his multo explicatius hac de re disseruit *Theodoretus* (*i*), Ἐπιτίθησι δὲ ὁ προσφέρων τῷ ἱερείῳ τὰς χεῖρας οἱονεὶ τὰς ἑαυτοῦ πράξεις, τὰς γὰρ πράξεων αἱ χεῖρες δηλωτικαί. ὑφ' ὧν δὲ τοῦτων τὸ θῦμα προσέφερεν. *Quisque victimam offerens capiti ejus manus suas, tanquam suas ipsius actiones, imposuit. Manus enim actiones significant, pro his autem victimam offerebat.*

(*g*) *Homil. ad Lev.* 1.

(*h*) *De Adoratione lib.* 11.

(*i*) *Quæst.* 1. *ad Levit.*

II. Sed & animas quoque victimarum animarum offerentium vice fusas esse apud Christianos veteres creditum. Ita enim idem *Theodoretus* (*k*), ἱερεῖς δὲ πᾶσι τοῖς ἱερείοις, ἀλλὰ τοῖς ὑφ' αὑτοῦ προσφερομένοις καὶ μάλιστα τοῖς ὑφ' ἁμαρτίας, τοῖς δὲ ἄλλοις αὐτοὶ τὰς χεῖρας ἐπετίθησαν οἱ προσφέροντες· ἦν δὲ τοῦτο σύμβολον ὅτι τὸ ἱερεῖον ἀντὶ τοῦ τόπου πληροῖ ὃν προσφέροι τις· τοῦτο γὰρ αὐτοῦ δηλοῖ σφαγιόν. *Non omnibus victimis manus imponebant Sacerdotes, sed illis, quæ pro se oblatæ sunt, & præcipuè pro peccato factis. Cæteris autem offerentes ipsi manus imponebant. Hoc autem symbolicè indicabat hostiam in locum offerentis, pro quo mactabatur, suffectam esse.* Idemque alibi (*l*), ὥσπερ (φησὶ) σὺ ψυχὴν ἀψάτου ἔχεις, οὕτω τὸ ἄλογον

(*k*) *Quæst.* 61. *ad Exod.*

(*l*) *ad Lev.* 17. 11.

ζῶον ἀντὶ ψυχῆς ἔχει τὸ αἷμα. ὃ δὴ χρεὼν κελεύει ἢ τῦ ἀλόγυ ψυχὴν, τυτέστι τὸ αἷμα, ἀντὶ ἧς σὺ προσενεχθῆναι ψυχῆς ἀθανάτυ καὶ λογικῆς. *Sicut enim, inquit, tu immortali anima præditus es; sic animal rationis expers sanguinem habet loco animæ. Quam ob causam præcipit, ut anima ejus ratione carens, hoc est, sanguis, vice animæ tuæ ratione præditæ, & immortalis offeratur.*

(m) Demonstr. Evang. l. 1. c. 10.

His paria sunt *Eusebii Cæsariensis* illa (*m*), τῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ὁ περὶ τῶν θυσιῶν νόμος συμβάλλεται ποιεῖν τῷ προφερομένῳ σκοπῦντι. πάντα γῦν ἢ θύοντα τὰς χεῖρας ἐπιβάλλειν προστάττει τῇ κεφαλῇ ἧς θυομένυ, προσκομίζειν δὲ τὸ ζῶον τῷ ἱερεῖ ἢ κεφαλῆς ἐχόμενον ὡσανεὶ ὑπὲρ ἢ ἑαυτῦ κεφαλῆς τὸ ἱερεῖον προσφέροντα. λέγει δ' ὅτι ἐφ' ἑκάστῳ, προστάξει αὐτὸ ἕναντι κυρίυ, καὶ ἐπιθήσει τὰς χεῖρας αὐτῦ ἐπὶ ἢ κεφαλῆ ἧς δώρυ. καὶ ὕτως ἐφ' ἑκάστυ τετήρηται θύματος, ὑδεμιᾶς θυσίας ἄλλως ἀναφερομένης. δι' ὧν ὁ λόγος ὅτι δὴ ἀντίψυχα τῆς αὐτῶν ψυχῆς προσήγετο τὰ ζωοτυτύμενα. *Hoc ipsum lex de victimis lata cuique animum huc advertenti indicat; quippe quæ quemque, qui sacrificat, victimæ suæ capiti manus imponere, ejusque caput manibus tenentem animal ad Sacerdotem adducere jubet, quasi victimam pro capite suo offerentem. Quare sic de unaquaque victima dicit, eam quisque sistito coram domino, manusque suas victimæ suæ capiti imponito. Id quod in omnibus hostiis factum est, nulla enim aliter oblata fuit. Unde intelligitur victimarum animas animarum offerentium vice datas esse.*

Ne-

Neque verò de eis tantum victimis, quæ *Moſis* legibus ſtatutæ erant, ſed de eis etiam quas *Abel*, *Noas*, & *Abrahamus*, optimíque quique ante *Moſis* tempora immolabant, idem *Euſebio* judicium fuit. Ita enim ille de Sapientibus ante *Moſem* natum immolantibus (*n*). Ἐπειδὴ γὰρ ἐώρων ἄτε τ τρόπον εὐσεβεῖς ϗ Θεῷ προσφιλωμένοι θείῳ τε πνεύματι τὰς ψυχὰς πεφωτισμένοι μεγάλης αὐτοῖς δεήσεως εἶναι εἰς ἀποκάθαρσιν τῶν ἁμαρτημάτων, λύτρον τ αὐτῶν σωτηρίας τῷ τ ζωῆς ϗ ψυχῆς χορηγῷ προσοφείλεσθαι ἡγοῦντο. ἔπειτα μηδὲν κρεῖττον ϗ τιμιώτερον τ οἰκείας ψυχῆς καθιερῶν ἔχοντες ἀντὶ ταύτης πως τὰ ἀφ' ἑαυτῶν ἀλόγων ζώων προσῆγον θυσίαι, τῆς σφῶν ψυχῆς ἀντίψυχα προσκομίζοντες. *Quandoquidem enim viri pii, Deóque familiares, & afflatu divino illuminati magno ſibi opus eſſe remedio viderent, quo mortifera peccata expiarent; Deo vitæ animæque datori* λύτρον *aliquod dandum judicabant ſalutis impetrandæ cauſa. Ac quidem cùm animabus ſuis nihil melius, nihil præſtantius, quod Deo conſecrarent, haberent, pro eis beſtias immolabant, ita ſcilicet animarum ſuarum vice alienas animas offerentes.* Et paulò poſt, Ἕως μὲν οὖν οὐχ ὑπελέπετο τὸ κρεῖττον, οὐδὲ τὸ μέγα, ϗ τίμιον, ϗ θεοπρεπὲς σφάγιον παρῆν ἀνθρώποις, ταῖς ἀφ' ἑαυτῶν ζώων θυσίαις λύτρα τῆς ἑαυτῶν ζωῆς, ϗ ἀντίψυχα τῆς οἰκείας φύσεως προσηκόντως ἀποδιδόναι δοκῶν τῷ Θεῷ. *Quamdiu nulla melior, nulla magna, nulla pretioſa, nulla Deo digna hominibus victima ſuppetebat, animalia ut vitæ ſuæ* λύτρα, *ac quidem naturæ*

(*n*) *Ibid.*

*propriæ* ἀντίψυχα *Deo dare conveniebat.* Has ille victimas rite immolandas existimavit, quoad se ipse Christus offerret pro omnibus Gentibus immolandum. Christum autem vocat τὸ μέγα καὶ τίμιον λύτρον Ἰουδαίων ὁμοῦ καὶ Ἑλλήνων, τὸ δὲ παγὸς κόσμου καθάρσιον, πάντων ἀνθρώπων ἀντίψυχον, *i. e. magnum & pretiosum* λύτρον *Judæorum simul & Græcorum, mundi universi piaculum, omniumque planè hominum* ἀντίψυχον. *Athanasius* quoque Christum πρόβατον ἀντίψυχον vocavit (*o*), Quod idem valet, ac si ipsa Judæorum piacula ἀντίψυχα quoque nominasset. Sicut enim Christum πρόβατον dixit victimas Judæorum intuitus; ita etiam πρόβατον ἀντίψυχον dixit animas victimarum piacularium vice animarum offerentium apud Judæos fusas ratus. Quod idem statuisse videtur Autor responsionum ad Orthodoxos (*p*), ut qui *sanguinem victimarum* ἀντὶ τῆς ψυχῆς τῶν προσφερόντων *vice animarum offerentium in Sancta Sanctorum illatum* dixerit.

(*o*) *De Incarnatione verbi.*

(*p*) *ad Quæst.* 99.

III. Id unum addo, eorum, de quibus jam meminimus, de victimis piacularibus sententiam reliquis etiam veterum Christianorum, quorum non meminimus, placuisse eó minùs dubitandum esse, cùm quòd quæ alteri docuerunt, alteri nusquam refutarunt, tum quòd omnibus commune sit, quoties quidem de Christo loquuntur tanquam de victima piaculari, ejusmodi aliquid de morte ejus commemorare, quod pœnæ vicariæ rationem continet. Verum hos ego prætermitto, neque enim id nunc ago, ut Sacrificia Judæorum ex Sacrificio Christi, sed ut Sacrificium Christi Judæorum ex Sacrificiis explicem.

IV. Cæ-

IV. Cæterum quoniam multum interest de Gentis cujusque religionibus Gentis ejusdem sententiam nosse, videamus deinceps quæ de piaculis Judæorum homines Judæi docuerunt; quorum ea omnia, quæ huc pertinent, tres ad locos referri possunt. Primus ea testimonia continet, quibus sons quisque victimam suam ad aram sistens in ejusdem caput peccata sua conjeciſe dicitur. Alter ea, quæ victimas illas, quarum utique sanguis in ædem sacram illatus erat, corporáque extra castra combusta, sontium peccatis in se conjectis planè pollutas fuisse docent. Ultimus ejusmodi dicta continet, quibus victimæ anima sontis animæ vice data dicitur, alteráque alterius כפר חמורה ופריון λύτρον, ἀντίλυτρον & *redemptio.*

V. Primum itaque ad locum pertinent, quæ ad verba illa (*q*), *Imponéntque* Aaron & *filii ejus manus super caput juvenci*, annotavit *R. Levi Ben Gerson* (*r*), הנה הסמיכה היתה בשתי ידים וענינה היתה להעיד על שחטאים נפרדו מהם וכאלו הושמו על ורא הבעל חיים *Impositio hæc manuum ambarum erat, eóque spectabat, ut hinc intelligeretur removeri ab iis peccata ipsorum, & ad hoc animal quodammodo transferri.* Quibus etiam adde alia illa ejusdem Autoris (*s*), לזוה הסמכה היתה הסמיכה להורות שהוא כאלו סלק מעליו אותן העונות והעתיק אותן על הבעל חי ההוא *Eo pertinebat manuum impositio, ut se quisque peccata sua à se removere, & ad hocanimal transferre indicaret.* Eodem valet, quod apud *Isaacum Ben Aarama* extat (*t*), איך שיהיה שחטא בנפשו בשוגג או בסויר הוא מעביר ארא חטאו ממנו ונותנו על ראש קרבנו וכפר עליו ולשעם ורא כללו בוידוים חטאתי

(*q*) Ex. 29. 10.

(*r*) Ibid.

(*s*) ad Lev. 1.

(*t*) ad Lev. 4.

חטאתי עויתי פשעתי כמו שנראה מוריים בהן נדול ביום הכפורים אף על פי החטא אשר שלו *Quoties quis anima sentiente imprudens, vel quidem prudens peccat, transfert à se peccata sua, conjicítque in victimæ suæ caput. Eoque pertinent confessiones istæ, peccavi, rebellis fui, perverse egi, sicut ex Pontificis confessionibus juxta piacularem juvencum suum die expiationis editis patet.* Sed & eadem quoque sententia fuit *Abrabenelis*, qui de juvenco piaculari pro toto cœtu immolato (*u*) inter alia quædam ista dixit, אחר הוידוי ה ו עליו עיניהם בני ישראל *Post confessionem ei incumbebant peccata filiorum Israelis* (*x*). Unde intelligitur *Abrabenelem* peccata illa, quorum juxta victimam piacularem solennis confessio edita fuit, ex ista illico confessione victimæ insedisse judicasse.

(*u*) *Cujus mentio fit Lev. 4.*

(*x*) *ad Num. 19.*

VI. Quod siquis dubitet, an qui peccata immolantium ad victimas transferri judicabant, peccata eadem victimarum cæde, ut pœna vicaria expiari duxerint, hunc ei facile scrupulum eximent ultima deprecationis verba juxta victimam piacularem editæ, זה כפרתי *hæc sit expiatio mea.* Quibus utique verbis Judæi omnes hanc sententiam, ut mox docebimus, inesse dicunt, *Quod ego ipse malum merui, id in victimæ meæ caput recidat.*

VII. Hactenùs iis de testimoniis, quibus Judæi sontium peccata ad victimas continuò jugulandas translata fuisse docuerunt. Quorum majorem afferre numerum parum necessarium judicavimus, quia hoc idem in se continent, quæ ad secundum locum pertinent. Qualia sunt, quæ ejusmodi omnes victimas, quarum quidem sanguis in ædem sacram illatus erat, corporáque extra castra combusta, sontium peccatis in se conjectis coinquinatas fuisse re-

referunt. Qua de re est apud *Maimonidem*, מפני זה היה העוסק בפרה ובשעירים הנשרפים מטמא בגדים כשעיר המשתלח אשר יאמן בו כי מרוב מה שנשא מן העונות הוא מטמא מי שנגע בו *Vestes eorum, qui vaccæ rufæ, hircisque combustis operabantur, eadem de causa polluebantur, qua vestes ejus, qui hircum in deserti ducebat. Qui quidem hircus ob multa, quæ ferebat, peccata, id, quod tangebat, contaminare censebatur.* Hæc *Maimonides* in *Moreh Nevochim* (y). Quæ cum *Buxtorfius* Latinè redderet, neque tamen de hircis combustis meminerit, parum se diligentem præbuit. His etiam adde, quæ *R. Schem Tob* super iis, quæ jam posita sunt, *Mosis Maimonidis* verbis scribit (z), עוד אמר הרב כי צוה להרחיק הצרעה בעבור שהיא מתרבקת וכל בני אדם מאסים אותה ונבדלים ממנה וכמעט שיהיה בטבעו כשעיר המשתלח אשר יאמין בו כי מרוב שנשא בעונות הוא מטמא מה שנגע בו והבן אמרו אשר יאמין בו מרוב מה שנשא בעונות הוא מטמא וכן העניין בשעירים הנשרפים כי בעבור נושאם עונות יהיה הנוגע בהם מטמא *Dicit insuper Magister præceptum esse, ut sibi quisque a lepra caveat; quippe quæ contagiosa est, ita ut omnes eam aspernentur, & fugiant, ab eâque fere natura sua sic abhorreant, ut ab hirco in deserta ducto, qui propter multa, quæ portabat, peccata, id, quod tangebat, contaminare censebatur. Fac autem intelligas id, quod dicit, qui ob multa, quæ portabat, peccata, id, quod tangebat, contaminare censebatur; quippe eadem ratio hircorum combustorum fuit (a). Ut qui, quoniam peccata portabant, ea, quæ tangebant, inquinarent.*

(y) *Part.3.c.47*

(z) *Ibid.*

(a) *Qualiumnam quorum mentio fit Lev. 16.15. & Num.15.*

VIII. Idem

(b) *ad Lev. 16.* VIII. Idem judicavit *R. Levi Ben Gerson* (*b*), ראוי שיחבאר מזה שהמוציא הפר והשעיר הנשרפים מחוץ למחנה הוא טמא ומטמא בגדים כי הוא ראוי בזה כמו שמשלח שעיר המשתלח כי הם נשרפים הוץ למחנה מפני שאתם העונות כמו שישתלח השעיר מפני שאתו עונות *Intelligas oportet, eum, qui juvencum & hircum extra castra comburendos efferebat, impurum factum esse, ejusdémque vestes pollutas fuisse; quippe cujus eadem ratio fuit, atque ejus, qui hircum in deserta duxit. Enimvero combustæ illæ victimæ, idcirco quia peccata portabant, extra castra cremabantur; quemadmodum etiam & hircus iste, propterea quod peccata portabat, procul è castris educebatur. Isaacus Abrabenel*, eandem forte sententiam secutus, juvencum Pontificis piacularem כדבר נתעב *ut rem de-*

(c) *ad Lev. 4.* *testabilem* extra castra crematum esse monuit (*c*). *Isaacus Ben Arama* hircum in deserta dimissum, quasi peccatorum, quæ asportabat, turpissima labe

(d) *ad Lev. 16.* inquinatum (*d*), דבר סנוי ומשוקץ *rem execrabilem ac fœdam* dixit. Neque aliter judicasse videtur de victimis extra castra combustis, quippe quas æquè, eodémque modo, atque hircum istum, pol-

(e) *Ibid.* lutas fuisse judicavit (*e*), המשלח ארז השעיר לעזאזל והשורף החטארז בחוץ יכבסו בגדים ורחצו בטים ואחר יבואו אל המחנה כי עניין אחד להם שיטמא בטנע שליחותם *Qui hircum in deserta duxit, tum etiam qui victimam piacularem extra castra cremavit, vestes uterque suas perluet, seque itidem aqua lavabit; atque ita in castra regredietur, eadem enim est utriusque ratio, ut polluatur eo, quod è castris a-*

(f) *Ibid.* *movet* (*f*).

IX. Quæ

IX. Quæ autem maximè omnium valent, ea ſunt Judæorum teſtimonia, quæ tertium ad locum pertinere diximus. Qualia ſunt, quæ victimæ cæſæ animam ſontis animæ vice datam teſtantur, alteramque alterius כפר תמורה ופדיון hoc eſt, λύτρον, ἀντάλυτρον, & *redemptionem* vocant.

Huc itaque imprimis ſpectat ſolennis iſta deprecatio juxta victimas piaculares edita, אנה ה׳ חטאתי עויתי פשעתי ועשיתי כך וכך וחזרתי בתשובה לפניך וזו כפרתי *Obſecrò Domine, peccavi, rebellis fui, perverſe egi, hoc & iſtud feci, nunc autem me peccaſſe pœnitet; hæc ſit itaque expiatio mea.* Quibus ultimis verbis, *Hæc ſit itaque expiatio mea*, quæ quiſque victimam intuens edidit, hæc ſubjecta eſt ſententia. *Quæ in caput meum mala recidere juſtè poſſent, ea recidant in victimæ meæ caput.* Ita enim hujuſmodi formulas paſſim interpretantur Judæi. כל מקום inquit *Baal Aruch* (g), שהוא אומר הריני כפרתו והוא פירושו הריני במקומו לסבול עונותיו כלומר שאני מקבל עלי עונותיו להתכפר *Omni in loco ubi dixerit quiſquam, Sim ipſe expiatio ejus, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ſim ipſe ejus in locum ſuppoſitus, ut iniquitates ejus portem. Quod idem valet, ac ſi dixiſſet; ego ipſe, quo ille veniam conſequatur, illius in me peccata ſuſcipio.* (g) *In voce* כר.

Ita etiam eandem formulam explicat *R. Solomon Jarchi* (h), אנו כפרתך בנו חבפר אחה ואנחנו תחתיך לכל הראוי לבא עליך *Nos expiatio tua ſimus*: hoc eſt, inquit, *Simus nos in locum tuum ſuppoſiti, ut quod in te recidere meritò poſſet, illud omne in nos recidat.* Quibus iiſdem planè verbis eandem formulam interpretatur *R. Obadias de Bar-* (h) *Sanhedr. cap.2.*

(*i*) *Ibid.* *tenora*, & Autor Libri *Caph Nachath* inscripti (*i*). Eodémque sensu *Moses* Ægyptius, eandem & ille formulam explicans, כפרון pro כפרה, *redemptionem* pro *expiatione* posuit (*k*). Quibus ex testimoniis intelligitur, qui juxta victimam piacularem solennia ista verba edidit, *Hæc sit itaque expiatio mea*, eum peccatorum suorum pœnas victimæ suæ imprecatum esse, eámque sibi surrogasse, & surrogatam judicasse.

(*k*) *ad Xagaim cap.* 2.

X. His addi possunt Rabbinorum paulò ampliora testimonia, eáque perinde de holocaustis (nam & his quoque expiandi vis à Judæis data est) ac de ejusmodi victimis dicta, quæ nunquam nisi de peccato, noxâque aliquâ cædendæ erant. Quid enim *R. Moses Ben Nachman* de reo victimam offerente (*l*)? ראוי לו שישפך דמו וישרף גופו לולי חסר הבורא שלקח ממנו חמורה וכפר הקרבן חוה שיהא דמו תחת דמו נפש תחת נפש *Æquum erat, ut sanguis suus funderetur, & ut cremaretur corpus suum. Creator autem pro clementiâ suâ hanc ab eo accepit victimam, ut rem vicariam,* & λύτρον *ejus; ut hujus sanguis sanguinis ejus vice profunderetur, anima scilicet vice animæ.* Quid *R. Bechai* (*m*)? כיון שהחוטא ראוי שיהוה דמו נשפך כדם הקרבן ושיהוה גופו נשרף כנוף הקרבן והקבה לוקח קרבנו ממנו חמורתו וכופרו הנה חסר ממור אשר נשלהו השי ברחמיו וכרוב חסדיו לקח נפש הבהמה תחת נפשו ויתכפר בה ושעם וה נכון ומחשב על הלב *Cùm sons ipse dignus esset, cujus sanguis profunderetur, ut sanguis victimæ, corpúsque, ut victimæ corpus, cremaretur; Cúmque Deus (cui laus) hanc victimam, ut rem vicariam* & λύτρον *ejus ab eo acciperet, vide quanta in eum benevolentiâ Dei fuit!*

(*l*) *ad Lev.* 1.

(*m*) *Ibid.*

*fuit! Is enim pro miſericordiæ ſuæ & bonitatis amplitudine, ut ille expiaretur, animæ ejus loco beſtiæ animam accepit. Atque hæc ſententia vera eſt, & rationi conſentanea.* Quid *Iſaacus Ben Arama* (*n*)? כאשר יראה שהקרבן הנקרב על חטאו ושחט ויפשט וינותח וישרף על האש אשר על המובח כי ישים או על לבו שכן מספטו על חטאו וכן ראוי שיעשה בו לולי יי שרחם עליו לשום אשם נפשו *Reus cum victimam de peccato ſuo immolatam mactari, pelle exui, proſecari, igneque aræ comburi videt, ſecum ipſe cogitare debet ita ſecum agi, & ita ſe tractari oportuiſſe, niſi Deus pro miſericordiâ ſuâ pro animâ ejus piaculum accepiſſet.* Quid *David de Pomis* (*o*)? המקריב היה צריך לכוין שיהיה הקרבן ההוא תמורתו *Intelligat oportet immolator hanc victimam ſibi ſuccidaneam eſſe.* Quid *Iſaacus Abrabenel* (*p*)? ראוי שישפך דם המקריב ושישרף גופו על חטאתו לולי חסר השם שלקח ממנו בתמורה וכופר הקרבן ההוא שהיה דמו תחת דמו ונפשו תחת נפשו *Dignus erat offerens, cujus ſanguis funderetur, corpúſque cremaretur pro peccato ſuo. Deus autem pro clementiâ ſuâ ut ipſi vicariam, & ut λύτρον ejus, hanc ab eo accepit hoſtiam; cujus ſanguis effuſus eſt ſanguinis ejus vice, animáque vice animæ ejus.* Ita etiam de Sacerdote maximo juvencum ſuum piacularem immolante (*q*). כפי שורת הדין ראוי שיהיה ענשו במיתה והשרף גופו ואיבריו אשר חטאו והרוח תשוב אל האלהים אשר נתנה כיון שלה חטאה במתקוין אלא בשגגה לכן חיובתה התורה שיביא פר בן בקר תחת עצמו וסמך ידיו עליו לדמות הוא תמורתו *Id juris ratio poſtulabat, ut ipſe (Pontifex) mortem lueret, & ut, quæ peccaverant, ipſius corpus & membra*

(*n*) *ad Lev. non procul ab initio.*

(*o*) *In voce* עולה

(*p*) *In Præf. ad Lev.*

(*q*) *Ibid.*

*cremarentur; Spiritus autem, (quia non consultò, sed imprudens peccabat) ut ad Deum, qui eum dedit, rediret. Quare lege statutum est, juvencum ut daret suiipsius loco, eique ut manus suas imponeret, ut istoc ritu significaret eum sibi ut vicarium succedere.*

XI. Huc etiam pertinent, quæ Judæi magno admodum consensu scribunt super his Scripturæ sacræ verbis, de quibus antè nonnulla diximus. *Anima omnis carnis est in sanguine, eúmque vobis in aram dedi ad expiandas animas vestras. Sanguis enim est, qui pro anima expiationem facit* (r). Quid ergo hic *R. Solomon Jarchi*? נפש כל בריה בדם היא תלויה לפיכך נתתיו לכפר על נפש אדם חבא ונפש וחכפר על הנפש *Anima omnis animantis est in sanguine. Quare eum dedi ad expiandas animas vestras. Veniet anima & animam expiabit.* Ita etiam *Abenezra*, הדם בנפש שיש בו יכפר והטעם נפש תחת נפש *Sanguis expiat animâ, quæ sibi inest, sensúsque est; anima vice animæ.* Et *R. Moses Ben Nachman*, אני חסלתי על נפש האדם ונתתיו להם על המזבח שתהיה נפש הבהמה מכפרת על נפשו *Ego hominis animæ peperci, eúmque* (Sanguinem) *in aram dedi, ut anima pecudis pro illius animâ expiationem faciat.* Et *Isaacus Ben Arama, Quoniam anima omnis carnis est in sanguine*, לזה הטעם נתתיו על המזבח בקרבנותיכם לכפר על נפשותיכם נפש תחת נפש *idcirco eum in sacrificiis vestris in aram dedi ad expiandas animas vestras, animam scilicet vice animæ.* Et *R. Lipmannus*, לפי שמחמת החטא נתחייבו נפשותיכם שיארע לכם כמעשה הקרבן בשחיטה ובוריקה נתתי נפש הקרבן תחת נפשותיכם

(r) Lev. 17. 11.

*Cum*

*Cum animæ veſtræ peccato ita conſtrictæ teneantur, ut quod ſit victimæ (quæ cæditur, & cujus ſanguis aſpergitur) id vos ipſi meruerîtis; ego victimæ animam veſtrarum animarum vice dedi.* Et *Iſaacus Abrabenel*, והנה צוה שעל המובח יקריב אדם את קרבנו ויהיה נוף הבהמה ובשרה תחת גופו ובשרו של הבעל המקריב ויהיה הדם הבהמה מפאר הנפש החיונית הנשואה בו תחת נפש האדם נפש תחת נפש *Præceptum eſt, ut quiſque pro arâ hoſtiam ſuam offerat; erîtque corpus, & caro pecudis pro corpore, & carne offerentis; erîtque etiam pecudis ſanguis (quia anima ſentiens in eo ineſt) pro animâ hominis. Anima nimirum vice animæ.* Quo eodem ſenſu Pontificis juvencum piacularem, itémque piacularem juvencum pro toto cœtu immolatum. כפר נפשם ופרין גופם *animarum offerentium* λύτρον, *& corporum redemptionem* vocavit (*s*). Quemadmodum etiam & *Abenezra* victimam cujuſque expiatoriam כופר עונש שיש עליו *pœnæ cuique debitæ* λύτρον dixit (*t*).

(*s*) *ad Lev.* 4.

(*t*) *ad Lev.* 1.

XII. Siquis itaque ſcire velit, quid de piaculis Judæorum Judæi ipſi judicarunt; Hi ſanè, quod jam dicta docent, ad victimam illico jugulandam tranſlata fuiſſe ſontis peccata, eúmque pœnas ipſi debitas victimæ imprecatum eſſe docuerunt. Hi victimas illas, quarum ſanguis in ædem ſacram illatus erat, corporáque extra caſtra cremata, ſontium peccatis ad ſe tranſlatis pollutas fuiſſe monuerunt. Hi omne piaculum rite factum ſontis כפר & תמורה, λύτρον dixerunt, & ἀντίλυτρον, alterúmque alteri *vicarium* & *ſuccedaneum* fuiſſe; id enim valet vox תמורה. Hi animam omnis ejuſmodi victimæ, quam כפר & תמורה appellarunt;

תחת

תחת נפש החוטא *sontis animæ vice* datam ſtatuerunt. Quæ qui dixerunt, ſine dubio expiationem illam, quæ victimis piacularibus fiebat, vicariâ factam pœnâ putabant. Quod tamen ita judicabant, ut peccata ita expiata nihilo minus remiſſa dixerint, idque ſummâ Dei miſericordiâ. Neque enim (quod vel hinc apparet) aliam ullam pœnæ vicariæ vim tribui debere exiſtimabant, niſi quæ cum culpæ remiſſione, Deíque maximâ benevolentiâ in eadem remittendâ conſtabat.

## *Profanarum Gentium de victimis piacularibus judicium.*

XIII. Jam quæ Judæi de victimis ſuis piacularibus, eadem fere profani populi de ſuis quoque judicarunt. Nam & hi etiam quæcunque mala ſibi imminere videbantur, ea victimis imprecari ſolebant. Hi ſacris piacularibus operatos eâ operâ pollui judicabant; Animáſque denique victimarum vice animarum offerentium dari. Quæ eadem omnia, ut jam vidimus, ſcriptores Judæi docuerunt.

(u) *In Euterpe.* Ac primum illud prodidit *Herodotus* (u) de Ægyptiis, quos utique victimarum capitibus πολλὰ καταρᾶσθαι *multa imprecari* ſolitos dixit. Et mox, καταρῶνται δὲ τάδε λέγοντες τῇσι κεφαλῇσι, εἰ τι μέλλοι ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι ἐς κεφαλὴν ταύτην τρεπέσθαι. χρῶνται μὲν τὰς κεφαλὰς τῶν θυομένων κτηνέων, καὶ τῇσι ἐπιστεύσιν ἕκαστα πάντες Αἰγύπτιοι νόμοισι τοῖσι αὐτοῖσι χρέωνται ὁμοίως

ὁμοίως ἐς πάντα τὰ ἱερά. ᾗ ἀπὸ τούτου ἢ νόμου ἢ δὲ ἄλλου ἢ δεινὸς ἐμψύχου κεφαλῆς γεύσεται Αἰγυπτίων ἢ δλείς. *Capitibus autem iis imprecantur, ut ſiquid mali aut immolantibus ipſis, aut univerſæ Ægypto impendeat, id in caput hoc convertatur. Eodem porro ritu circa capita pecudum, quæ immolantur, & vini libationem omnes pariter Ægyptii omnibus in ſacrificiis utuntur. Quo ritu fit, ut nemo Ægyptiorum animantis ullius caput guſtet.* Eadem de re meminit *Plutarchus* (x), τῇ μὲν κεφαλῇ (x) *De Iſide & Oſiride.*
ἢ ἱερεῖον καταρασάμενοι ᾗ ἀποκόψαντες εἰς τὸν ποταμὸν ἐρρίπτουν πάλαι, νυνὶ δὲ τοῖς ξένοις ἀποδίδοσαν. *In caput victimæ execrati, amputatum in flumen projiciebant antiquitus, nunc autem peregrinis dant.*

XIV. Ac quidem ut Ægyptii beſtiarum capitibus, ita Maſſilienſes hominibus ipſis ad ſacra piacularia adhibitis mala ſibi imminentia imprecari ſoliti; tantò plus valere victimam rati, quanto ea præſtantior eſſet. Quæ eadem cauſa eò valuit, ut homines immolandi ritus, ſævus admodum & inhumanus, ubique olim graſſaretur. *Maſſilienſes*, inquit *Servius* (y), *quoties peſtilentiâ laborabant, unus ſe ex pauperibus offerebat, alendus anno integro publicis & purioribus cibis. Hic poſtea, ornatus verbenis & veſtibus ſacris, circumducebatur per totam civitatem cum execrationibus, ut in ipſum reciderent mala totius civitatis; & ſic proiiciebatur.* Eundem fere apud Græcos etiam valuiſſe morem docuit *Suidas* (z), (y) *Æneid. 3.*
(z) *In voce* περίψημα.
Οὕτως ἐπίλεγον τῷ κατ' ἐνιαυτὸν σωέχοντι τὴν κακῶν.

Πε-

Περίψημα ἡμῶν γένου, ἤτοι σωτηρία καὶ ἀπολύτρωσις. καὶ ἐνέβαλον τῇ θαλάσσῃ ὡσανεὶ τῷ Ποσειδῶνι θυσίαν ἀποτίνυοντες. *Ei, qui malis averruncandis quotannis destinatus erat, sic imprecabantur, sis* Περίψημα *nostrum, hoc est, salus, & redemptio. Atque ita illum in mare projiciebant, quasi Neptuno sacrum persolventes.* Ubi verbis iis, *sis* Περίψημα *nostrum*, & precatio inest, & imprecatio. Neque enim nos dubitare sinit aliarum Gentium profanarum in eadem planè causa mos, quin verba illa enunciantes ita sibi salutem peterent, ut mala sibi impendentia piaculo suo imprecarentur.

XV. Quinetiam ut illæ Judæorum victimæ, quæ extra castra cremabantur; ita etiam, uti mihi videtur, & Gentium profanarum piacula tralatitiâ quadam peccatorum labe & ipsa pollui censebantur, & contrectantes polluisse. Atque ita factum (vix enim aliter fieri potuit) ut sicut iis, qui quidem victimas Judæorum extra eorum castra cremaverant, nisi aquis prius se lustrâssent, in castra redire non liceret: ita neque victimis piacularibus apud Gentes profanas operatis vel in urbem, vel in domos suas, nisi fonte aut fluvio expurgatis, regredi licere crederetur. Quâ de re *Porphyrius* (cujus alio in loco verba posui) inter omnes Theologos convenisse refert (*a*).

(*a*) *De Abstin. lib.* 2. §. 44.

XVI. Ex-

XVI. Extremum id est, ut, quod Judæis visum diximus, nempe victimæ cujusque piacularis animam sontis animæ vice datam fuisse, idem illud quoque profanis Gentibus placuisse doceam. Quo pertinet, quòd piacula illa, quæ Græci περιψήματα vocant, ab *Hesychio* dicta sint ἀντίψυχα (*b*). Quæ sanè, quod vox ipsa indicat, ejusmodi erant, quorum *animæ* fusæ datæque erant *animarum offerentium vice*. Huc etiam refer Scholiastis illa in *Aristophanem* (*c*), Ἕτερόν γάρ τινας Ἀθηναῖοι λίαν ἀγενεῖς καὶ ἀχρήστους, καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινος ἐπελθούσης τῇ πόλει (λοιμὸν λέγω ἢ τοιοῦτόν τινος) ἔθυον τούτους ἕνεκα καθαρθῆναι τὸ μίασμα, οὓς καὶ ἐπωνόμαζον καθάρματα. *Alebant enim Athenienses quosdam valde ignobiles & inutiles, quos, cum malum ullum civitati impenderet (pestis scilicet, aut tale quicquam) ad piaculum expiandum immolabant; quos etiam* καθάρματα *appellabant*. Quibus adde, quæ idem alibi habet (*d*), καθάρματα ἐλέγοντο οἱ ὑπὲρ καθάρσεως λοιμοῦ τινος, ἢ τινος ἑτέρας νόσου θυόμενοι τοῖς θεοῖς. *Illi* καθάρματα *appellabantur, qui ad pestem, aliúmve morbum ullum avertendum diis immolabantur*. Quorsum hæc? ut hinc intelligas piacula Græcis καθάρματα dicta eandem rationem habuisse, quam, quæ περιψήματα, sive ἀντίψυχα dicta erant. Neque enim dubium, quin de piaculis ab eadem Gente, eadémque etiam de causâ factis idem judicium esse debeat.

(*b*) *In voce* περίψημα.

(*c*) *ad Equites.*

(*d*) *ad Plutum.*

XVII. Jam cuique notum *Plauti* illud,

*Meù piaculum oportet fieri propter ſtultitiam tuam,*
*Ut meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccedaneum?*

ubi id piaculi proprium facit, ut pœnâ vicariâ peccatum expiet alienum. Adde etiam illud veteris Poetæ;

*Cum ſis ipſe nocens, moritur cur victima pro te?*

ubi *pro* idem eſt quod *vice*. Eademque etiam apud *Cæſarem* (e) ejuſdem particulæ vis eſt; *Natio eſt omnis Gallorum admodum dedita religionibus. Atque ob eam cauſam qui ſunt affecti gravioribus morbis, quique in prœliis periculiſque verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vovent, adminiſtríſque ad ea ſacra Druidibus utuntur; quòd pro vitâ hominis niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium numen placari arbitrantur.* Verùm minimè omnium prætereundum, quod *Porphyrius* ex *Aſclepiade* refert (f), τὸ πρῶτον οὐκ ἐθύετο τοῖς θεοῖς οὐδὲν ἔμψυχον. ἀλλ' οὐδὲ νόμος ἦν περὶ τούτου διὰ τὸν νόμον φυσικὸν κεκωλύσθαι, ὕστερον δέ τινας καιροὺς πρῶτον ἱερεῖοι θύσαι μυθεύονται ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς αἰτησάσης. *Primùm nullum animal Diis immolabatur. Neque lex ulla ſuper hac re fuit, quippe quam prohibebat lex naturæ. Occaſione verò aliquâ animam pro animâ exigente, primum ſacrificium ex animalibus datum referunt.* Quibus ex verbis intelligitur paſſim olim creditum fuiſſe, non niſi tali aliquo tempore animalibus ſacrificari cœptum eſſe, quale

(e) De bello Gallic. lib. 6.

(f) De abſtin. lib. 4. §. 15.

quale videretur ψυχὼ ἀντὶ ψυχῆς *animam pro anima* poſtulare. Tempora autem illa Gentes profanæ talia eſſe exiſtimabant, quibus graviora aliqua mala ſibi imminere videbantur; id quod ex eodem *Porphyrio* liquet. Quibus enim in ſacris ψυχὼ ἀντὶ ψυχῆς *animam pro animâ* dari dixit, eadem illa paulo ante dixerat εἰς ἀποτροπὴν τινων κακῶν *ad mala aliqua avertenda* fieri.

XVIII. Hæc itaque cùm ita ſint, ſiquid & Chriſtianorum, & Judæorum, & profanarum denique Gentium (hominum moribus & religionibus alioqui maximè differentium) magnus admodum conſenſus valeat; ita quiſque de victimis piacularibus ſentire debet, ut eis alienæ ſalutis cauſâ pœnam vicariam irrogatam judicet. Illud interim, quod antè docui, tenendum eſt, laxiorem quandam ad pœnam vicariam pœnæ rationem pertinere, quàm quæ ad pœnam illam pertinet, quæ legis in obligatione ponitur, reóque ipſi irrogatur. Eóque fieri, ut non ſit ea illius vis, quæ pœnæ ſonti ipſi inflictæ (hæc enim, ut ante dictum, per ſe ipſa reatum delet) ſed quæ ſit ejuſmodi conditionis, quæ ad reſtituendam & conſervandam violatæ legis autoritatem, veniámque ſonti impetrandam pertinet.

## *Finis Libri Primi.*

# Finis Libri Primi.

# LIBER SECUNDUS,

## QUO EXPLICATUR

# SACRIFICIUM CHRISTI.

LIBER SECUNDUS.

DE EXPLICATIONE

SUBSTANTIÆ

CHRISTI.

# DE
# Sacerdotio Christi.

## LIB. II.

### CAP. I.

*Ostenditur Sacerdotii Christi generale munus, & ordo, ac denique quibus præcipuè rebus Christus ad Sacerdotium sacratus erat.*

I. SAcrificium Christi expositurus non alienum esse arbitror de Sacerdotio ejus in antecessum pauca dicere. Ac primò, quid sit Sacerdotii ejus generale munus. Deinde, qui ejusdem ordo, *Melchisedeci*, an *Aaronis*. Ultimò, quibus præcipuè rebus Christus ad id consecratus fuit.

Jam primum illud, Sacerdotii Christi generale munus ita definiendum est, ut sit *Patrocinium hominum apud Deum.* Ut cùm reliqua ejus munera, Regium & Propheticum, circa homines, Sacerdotale circa Deum versetur. Est enim Rex Vicarius Dei, Propheta quisque legatus ejus apud homines, Sacerdos autem *patronus hominum apud Deum.* Atque ita factum, ut Iesum Christum παράκλητον πρὸς τὸν πατέρα *patronum* sive *advocatum apud patrem habere* dicti simus (*a*), ita factum, ut Christus ἐντυγχάνων ὑπὲρ ἡμῶν, *causam nostram apud Deum*

(*a*) 1 Joh. 1. 2.

*Deum agere* (*b*), & ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν, *in conspectu Dei pro nobis apparere* dicatur (*c*). Quæ omnia, quoniam alibi latius exponenda sunt, hoc in loco proposuisse sufficit.

(*b*) Rom. 8. 34.

(*c*) Hebr. 9. 24.

II. Jam qui sit ordo Sacerdotii Christi explicatè docent sacræ literæ; quæ Christum Sacerdotem faciunt ad rationem *Melchisedeci* (*d*); ejúsque inter Sacerdotium & Sacerdotium *Aaronicum* duo præcipuè intereſſe monent. Primò quod illud *Melchisedeci* (cujus tanti viri neque genealogia, neque ortus aut obitus memoratur) nulli familiæ astrictum esset, *Aaronicum* autem uni familiæ *Aaronicæ* lege sacrâ mandaretur. Deinde, quòd ejusmodi esset *Melchisedeci* Sacerdotium, ut cui illud datum fuerit, hic in æternum Sacerdos esset, nempe vel umbratili quadam specie, quâ *Melchisedecus*, ut ante diximus, Sacerdos in perpetuum dicitur, vel verâ ac solidâ ratione, qualis est æternitas Sacerdotii Christi. Ut qui per omnia mundi sæcula eo munere functurus sit, neque suorum patrocinium, quamdiu eo opus fuerit, deseret unquam, aut deponet. Quod contrà comparatum fuit in Sacerdotio *Aaronico*, quo alii alios morte abreptos continuâ serie excipiebant, quódque ipsum quidem etiam ipsi genti *Aaronicæ* jamdiu abrogatum fuit.

(*d*) Ps. 110. 4. Hebr. 5. & 7.

Qui verò *Aaronem* aliis rebus, aliis *Melchisedecum* ad sacrificia usum judicant, *Aaronem* iis, quæ ante diximus, animalibus perinde ac inanimis, *Melchisedecum* nihil nisi pane & vino, hi sanè, quantum mihi videtur, quare sic judicent, nihil habent. Panem hic & vinum *Abrahamo* & vernis

ejus.

ejus jam ex itinere, prælióque fessis ad vires reficiendas dedit. Similémque simili in causa morem finitimis fuisse regionibus non obscurè docet historia sacra (†): neque *Melchisedecus* Sacerdos dicitur, quia panem illum & vinum protulit, sed ut hinc quisque intelligeret, quî factum erat, ut *Abrahamo* solenni ritu benediceret (id quod Sacerdotis fuit) (*e*) tum etiam, quare *Abrahamus* spoliorum decimas ei dederit. *Erat*, inquit *Moses* (*f*), *Sacerdos Dei altissimi, & benedixit ei* (i. e. Abramo) *& ait, Benedictus* Abram *Deo excelso, qui creavit cœlum & terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt; & dedit ei decimas ex omnibus.*

(†) *Deut.* 23.4. & *Jud.* 8. 5,6, 15.

(*e*) *Deut.* 21.5. & 1 *Par.*23.13. & *Num.*6.23.

(*f*) *Gen.* 14.18, 19.

Nihil ergo est, cur *Melchisedecum* pane solummodo atque vino, nihil, quare rebus tantùm inanimis sacrificasse arbitremur. Imò verò est, quamobrem contrà judicemus. Si enim à Sacerdotio ejus aliena fuissent cruenta sacra, quî factum est, ut ipse Christus, cujus idem, quod *Melchisedeci* fuit, Sacerdotii genus esse dicitur, sanguine suo sacrificaret?

Neque verò audiendi sunt, qui tam *Aaronicum* Sacerdotium, quàm *Melchisedeci* Christo tribuunt, eumque, ut Sacerdotem *Aaronicum*, sanguine sacrificasse judicant. Qui enim ita rem instituunt, quare ita faciant, nihil, quod sit fide dignum, afferunt. Imò verò repugnant sacris literis, quæ Sacerdotium *Aaronicum* explicatis verbis Christo abjudicant (*g*); hanc rationem interponentes, quòd Christus aliâ ex familiâ, aliâ ex tribu ortum duceret, ac cui Sacerdotium *Aaronicum* lege sacrâ astrictum erat (*h*).

(*g*) *Hebr.* 7.11

(*h*) *v.* 13,14.

## *De Consecratione Christi ad Sacerdotium.*

III. His constitutis, videamus sequitur eis de rebus, quibus Dei Filius, æternus λόγος, susceptâ demum naturâ nostrâ Sacerdotio initiatus fuerit. Quæ quidem longè aliæ sunt, ac quibus Sacerdotes *Aaronici* suo muneri sacrabantur. Hi lustralibus quibusdam aquis, vestium imperatarum indutu, unguento quodam variis ex aromatibus confecto, ac pecorum sanguine sacrati erant (*i*). Quæ quidem res virtutes illas, quæ in Sacerdote postulantur, umbratili specie adumbrabant, præstare nullo modo poterant. Jam verò Deus Filium suum cùm talem esse Sacerdotem vellet, qualis omni ex parte perfectus foret, nemini dubium esse potest, quin eum iis ipsis rebus, quæ ejusmodi Sacerdotem faciunt, Sacerdotio initiari vellet. Quod cùm ita sit, videamus primò, quæ sit Sacerdotis perfectio summa. Deinde quibus rebus Christus, ut μεσίτης, perfectionem illam consecutus sit. Certum enim est eum iisdem rebus sacerdotio consecratum fuisse.

(*i*) *Exod.* 29.

IV. Jam ad ejusmodi Sacerdotem, qui summè perfectus haberi debeat, tria ista omnino pertinent. Primò, ut tanta apud Deum autoritate & gratiâ valeat, ut ei omnes clientes suos cum effectu commendare possit, eúmque iis propitium facere. Deinde, ut tantâ erga homines bonitate & misericordiâ sit, ut ista sedulo præstare velit. Ultimò, ut vitam immortalem habeat, quâ fretus eadem perpetuò præstet. *Primum* illud in Sacerdote, omni planè ex parte perfecto, rei ipsius ratio postulat.

Cùm

Cùm enim id Sacerdotis sit, ut quos in clientelâ habet, eos, ut Patronus, Deo commendet, Deúmque iis propitium faciat (*k*), nemo profecto in Sacerdotio maximè perfectus esse potest, nisi cujus tanta apud Deum gratia existit & autoritas, ut ista omnino præstare possit. Neque verò, ut *alterum* attingamus, perfectus esse Sacerdos potest, qui quantâcunque apud Deum gratiâ & autoritate valet, eâ omni nolit ad patrocinium suorum uti. Huic enim deest erga suos fides ea, & misericordia, quæ sanè omni in Sacerdote, præsertim verò in optimo quoque, postulatur. Id quod & sacræ literæ docent (*l*). *Omnis enim Pontifex*, inquit Apostolus ad Hebræos, *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis : qui condolere possit iis, qui ignorant & errant, quoniam & ipse circundatus est infirmitate. Unde debuit Christus* (quod ante (*m*) dixerat idem Apostolus) *per omnia fratribus suis similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex, ut repropitiaret peccata populi.* Unde intelligitur, misericordiam & fidem ita in Sacerdote omni, ut nihil magis, postulari. Sed & *illud* denique in pleno & perfecto Sacerdote requiritur, ut vitam habeat immortalem, quâ fretus suos in perpetuum apud Deum defendat, & tueatur. Ex quo ejusdem Apostoli illa (*n*) de Christo verba facientis; *Hic autem, eò quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium, unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Et mox,

(*k*) 1 *Jo.*2.1,2.

(*l*) *Hebr.*5.1,2.

(*m*) *Hebr.*2.17.

(*n*) *Hebr.* 7.25. & *seq.*

*Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem juris jurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.*

Cum itaque satis apertè constet summam apud Deum autoritatem & gratiam, summámque erga homines misericordiam & fidem, cum vitâ immortali conjunctam, Sacerdotem maximè perfectum reddere, nihil dubium est, quin quibus rebus Christus ista omnia consecutus sit, iisdem quoque ad Sacerdotium suum consecratus fuerit. Jam eæ res (quod cuique patet) summæ Christi virtutes erant, summa vitæ ejus sanctitas, tum maximè ea obedientia, quæ morte sponte oppetitâ, gravissimísque doloribus iis, quos propter peccata nostra pertulit, ultro suscipiendis constitit. His enim rebus factum est, ut tanta Christi apud Deum gratia existat, & autoritas, ut suos omnes cum effectu Deo commendare possit. His etiam factum, ut idem maximè præstare velit. Ut qui, quid sit hominem esse, quid fame, siti, & paupertate, summâque ignominiâ laborare, quid à suis deseri, ab aliis abjici, vilissimo cuique ludibrio esse, quid omni periculorum genere appeti, premi, & tentari, ac denique, quod omnium caput est, quid sit propter peccata nostra mortem acerbissimam pati, jam olim experiundo didicerit. Ex quarum rerum experientiâ tanta ejus erga clientes suos, quibuscunque malis tentati sint, gratia & misericordia existit, ut & ipse iis suppetias ferre, & Deum quoque omnibus in rebus maximè propitium esse velit. Hinc illa Apostoli ad Hebræos, *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Iesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro simi-*

*similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* (o). Extremum id est, nihil esse quare qui in illius fide manserint, ne patrono suo deinceps unquam orbentur, metuant. Quippe qui ultro oppetitâ morte vitam adeptus est immortalem. Quam quidem vitam assecutus, ad *rationem Melchisedeci*, ad sempiternum Sacerdotium perfectus, sive sacratus dicitur. Ita Apostolus ad Hebræos (p), *Et* (q) *consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem* Melchisedech. Unde intelligitur Dei Filium tum, cùm ad vitam immortalem è mortuis resuscitatus esset, ad Sacerdotium sempiternum plenè consecratum fuisse. Neque enim dubium, quin τελειωθεὶς idem hic sit, quod *consecratus*, ac quidem plenè & perfectè. Hoc enim docet & loci ratio, in quo hac ipsâ de re agitur, & similis etiam ejusdem vocis simili in materiâ usus, quippe quâ à Græcis interpretibus *Aaronicorum* Sacerdotum consecratio multis in locis designatur (r). Quibus adde etiam, quòd hostia illa, cujus exta *Moses* in manus Sacerdotum tradidit in Sacerdotii iis dati signum, κριὸς & θυσία τελειώσεως, *aries* & *victima consecrationis* dicta sit (s).

(o) *Hebr.* 4. 15, 16.

(p) *Heb* 5. 9, 10.

(q) τελειωθεὶς.

(r) *Exod.* 29. 9, 33, 35. *Lev.* 8. 33. & 16. 32.

(s) *Ex.* 29. 27, 31, 34. & *Lev.*

Christus

# Christus Sacerdos est propriè dictus.

## CAP. II.

*Sacras literas Sacerdotium propriè dictum Christo tribuere demonstratur.*

I. SAcerdotii Christi generale munus ita antè definivimus, ut sit patrocinium hominum apud Deum, proximèque circa Deum versetur. Quod cùm ita esse doceat ipsa Sacerdotalis officii ratio; fit, ut *Socini* sectatores (qui Dominum nostrum ea omnia, quæ ad salutem nostram pertinent, per se ita præstare judicant, ut nihil nobis à Deo impetret, nec quidem unquam impetraverit, ex quo Pontificatum adiit) Sacerdotium nullum Christo tribuant, nisi quod sit impropriè ita dictum. Id quod tam contra sacras literas, quàm Sacerdotii rationem statuunt. Enimverò quisquis sacras literas consuluerit, ita eas de Sacerdotio Christi, ut de Sacerdotio propriè dicto, passim profecto meminisse sentiet. Ita loquitur Apostolus ad Hebræos (*t*), *Si ergo consummatio per Sacerdotium Leviticum erat, (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem* Melchisedech *alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? translato enim Sacerdotio necesse est, ut legis translatio fiat.* Ubi ex Sacerdotio Christo dato, legis, (quæ uni genti *Aaro-*

(*t*) *Hebr.* 7. 11, 12.

*Aaronicæ* munus Sacerdotale dederat) mutationem factam esse colligit. Id quod colligere minimè potuit, nisi Sacerdotio Domini nostri propria insit Sacerdotii ratio, sitque is Sacerdos propriè dictus. Nam Sacerdotes impropriè dicti, valente adhuc lege *Mosaicâ* ad Sacerdotium pertinente, plurimi semper existebant. Tales enim Sacerdotes erant, qui quidem sacra *spiritualia*, qui preces Deo faciebant. Tales Sacerdotes erant optimi quique Judæorum, imò tota Hebræorum gens *Sacerdotum regnum* appellatur (*u*). Cum fuerint itaque Sacerdotes multi impropriè dicti valente adhuc lege illa, quæ uni familiæ *Aaronicæ* munus Sacerdotale dedit, non posset autem Dominus noster talis esse, qualis est Sacerdos, nisi lex illa abrogata esset, efficitur Sacerdotium ejus Sacerdotium esse propriè dictum.

(*u*) *Exod.* 19. 6.

II. Eodem valent & alia illa; *Si ergo esset super terram, non esset Sacerdos, cum essent qui offerrent secundum legem munera* (*x*). Ad quæ verba ita *Crellius* (*y*), *Rationem*, inquit, *reddit ejus quod asseruit, nempe cur Sacerdos non esset Christus, si in terrâ ministraret. Quia scilicet jam alii sunt Sacerdotes à Deo constituti, qui in terra ministrant, & munera offerunt; ex quorum numero Christus non est, nec esse potest, ut præcedenti capite fuit ostensum. Offerre autem secundum legem munera dicuntur, quatenus illis solis hoc juris & privilegii lex concessit, ut nemo alius salva lege arrogare illud sibi possit, ut in terris offerat, aut terreno sacrario ministret.* Quorsum hæc? quia, si *Crellium* audiamus, tale est Sacerdotium Christi, quale in terris administrare eâ lege ei interdictum fuit, quæ quidem solis *Aaronidis* Sacerdotium in terrâ

(*x*) *Hebr.* 8. 4.
(*y*) *In Comment. ad locum.*

terrâ fungendum dedit. At ea lex nihil profecto prohibebat, quo minùs Christus vel in terris sacerdotium haberet metaphoricum, Sacerdósque esset impropriè dictus. Siquidem, dum ea lex valebat, tales etiam in terris ipsis plurimi Sacerdotes essent, talísque Sacerdotii munus toties obiret ipse Christus, quoties Deo precibus suis se, suósve commendabat. Cùm itaque Christus ejusmodi Sacerdotium habeat, ut eo in terris per legem *Mosaicam* fungi non possit; posset autem, si Sacerdotium suum improprie ita dictum esset, hinc intelligitur Dominum nostrum Sacerdotem esse propriè dictum.

(z) *Hebr.* 8. 3. III. His etiam illa addi possunt (z), *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur: unde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat.* Quæ sanè Apostoli ratiocinatio frustra susceptа videatur, nisi Christus (de quo hoc in loco meminit) Sacerdotium habeat propriè dictum. Nam Sacerdoti cuique impropriè dicto præstò semper est quod Deo offerat, sanctitas animi, corporis castitas, preces, & gratiarum actiones. Quod Hebræis adeo notum erat, ut nihil esset, quare Apostolus hoc modo apud eos differeret, nisi Sacerdotium propriè dictum Christo adjudicare vellet.

IV. Ac quidem cùm Pontificis nomen sæpe Christo tribuat hic Apostolus, munus ipsum idque propriè dictum, ei tribuere judicandus est, nisi quid contrà afferatur, quod tale munus nullo modo Christo convenire posse doceat. Jam verò nihil attulit *Socinus*, nihil ipse *Crellius* (qui tamen hac in controversiâ præ cæteris omnibus *Socini* Discipulis laboravit) quod Sacerdotium propriè dictum Christo

Christo convenire non posse monstret. Id quod cuique palam fiet, si ea breviter attingamus quæ *Crellius* hac de re disseruit. *Duo*, inquit ille (*a*), *ista munera*, *Regium nempe & Pontificium in sacris literis aperte à se invicem disjuncta*, *&*, *ut in Scholis loquuntur*, *contradistincta nusquam cernas*, *sed potius alterum in altero quodammodo comprehensum videas. Nam D. Auctor* Hebr. 3. *initio Christi dignitatem*, *quam ratione muneris sibi à Deo mandati habeat*, *nobis ante oculos proponere volens*, *& ad ejus considerationem nos cohortans duo tantum illius officia commemorat*, *Propheticum*, *& Sacerdotale. Quorum illud in terris olim absolvit*, *hoc in cœlis perpetuò administrat: dum inquit*, *unde Fratres sancti vocationis cœlestis participes considerate Apostolum*, (*seu Legatum*) *& Pontificem professionis nostræ Iesum Christum.* Hæc *Crellius*, & paulò plura, sed cuncta perperam. Nusquam enim scriptores sacri vel regnum Christi in Sacerdotio, vel Sacerdotium in regno comprehendunt. Sed munera re ipsâ distincta semper distinguunt, & dijudicant. Nec rectè Apostolus ad Hebræos sententiæ contrariæ testis citatur, utpote qui, cùm prætermisso regis nomine Christum vocavit *Apostolum*, & *Pontificem*, nihil aliud dicere voluit, nisi eum in Ecclesiâ Dei & *Mosis* partes olim obiisse, & *Aaronis* nunc obire. Illas ut *Apostolum*, seu *Legatum*, has autem ut *Pontificem.* Illas hoc in loco persequitur, in quo eum cum *Mose* comparat, has deinceps explicandas suscipit (*b*), eúmque cum *Aarone* confert. Regium ejus munus prius exposuerat (*c*), nec quid erat, cur id paulò antè expositum hoc in loco iterum exponeret.

(*a*) *Contra Grot. c.10.partic.55.*

(*b*) *Cap. 4. in fine. & deinceps.*

(*c*) *Cap.1. & c. 2. v.5,6,7,8,9.*

(d) *Contra Grot. c. 10. partic. 55.*

V. Atqui inquit *Crellius* (*d*), *Cæteri Scriptores Novi Testamenti regnum potius & Propheticum Christi munus commemorant, nec ullus ex iis Christum disertè Sacerdotem aut Pontificem vocat; facturi id proculdubio creberrimè, si id in cæteris ipsius muneribus, atque imprimis in regio, consideratis certis eorum munerum circumstantiis, in quibus Sacerdoti legali similis est Christus, intelligi, ac tacitè comprehendi non posset. Cum ex eo munere salus nostra æterna pendeat.* Hebr. 5. 9, 10. 7. 24, 25. Quasi verò Christus munus Sacerdotis propriè dicti habere nequeat, nisi bene multi scriptores sacri Sacerdotis *nomen* ei tribuant.

Num verò ei vel *Prophetæ*, vel *Regis* nomen multi tribuunt? imò pauci potius, neque hi *creberrimè*. Neque enim Christus usquam in Epistolis Apostolorum Βασιλεὺς, aut Προφήτης disertè dicitur; licet iis etiam ex muneribus, quæ vocibus istis designantur, salus nostra æterna pendeat. Apostolus quidem ad Hebræos bis eum Ἀρχηγὸν vocavit. Ἀρχηγὸν σωτηρίας, (*e*) & Ἀρχηγὸν πίστεως (*f*), verùm eum septies Ἱερέα, & decies Ἀρχιερέα dixit.

(*e*) *Cap. 2. v. 10.*
(*f*) *Cap. 12. v. 2.*

At, inquies, in Epistolis Apostolorum ea Christo tribuuntur, quæ ad Regem & Prophetam pertinent, licet ista nomina non ponantur. Rectè quidem. Sed & ea etiam, quæ ad Pontificem; licet nomen istud omittatur. Id enim (ut alia prætéream) fit, ubi Christus vel *Advocatus* noster, vel *pro nobis* ἐντυγχάνειν dicitur. Neque enim ullius momenti est id, quòd deinceps addit *Crellius* (*g*); *Apostolum Paulum* Rom. 8. 34. *in interpellatione Christi actum etiam regiæ potestatis ad nos à pœ-*

(*g*) *ubi suprà.*

*nâ*

*nâ liberandos pertinentem tanquam interpellationis effectum quendam proximum complexum esse*, Nam his quæ *Crellius* respicit, verbis, *qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, hæc duo dicere vult Apostolus. Primò, summam esse Christi dignitatem, summam apud Deum gratiam, ut cujus ad dextram collocatus sit. Deinde eum, cujus tanta dignitas, tanta est apud Deum gratia, causam nostram apud eum agere. Id quod ad Sacerdotium Christi, non ad regnum ejus pertinet, quod alibi latiùs demonstrabitur.

VI. Sed & aliud est, quo se premi vidit *Crellius*. *Johannes*, inquit (*h*), *dum Christum Advocatum, quem apud Patrem habemus, nominat, & eum simul expiationem pro peccatis nostris vocat, censeri potest munus Sacerdotale nobis descripsisse; ubi tamen regium munus non apponit. At cùm ad consolationem illam, quam eo loco peccantibus proponit* Johannes, *pertineat scire Christum pleniſſimam habere pœnas peccatorum à nobis auferendi potestatem, tacitè id in suis verbis inclusisse censendus est.* Quid? num cæteri Scriptores sacri, ubi unum quodvis, quod lapsos consoletur, memorant, alia etiam omnia, quæ eódem aliquo modo valeant, cumulare solent? Num hic Apostolus ea omnia, quæ ad lapsorum solatium pertinent, uno loco dicere necesse habuit, ut ea dixisse censeri debeat, quæ verba sua nullo modo præ se ferunt? neque enim παράκλητος *Regem* significat, sed *Advocatum*, seu *Patronum*; cujus munus est alterius apud alterum causam agere. Id quod Christus pro nobis præstat, non ut Rex, sed ut Pontifex noster apud Deum. Apostolus itaque hoc in loco (*i*) nulla lapsis solatia proponere voluit, nisi

(*h*) Contra Grot. c. 10. partic. 55.

(*i*) 1 Joan. 2. 1, 2.

ea tantùm, quæ ex Pontificatu Christi fluunt. Atque ea quidem clarè & luculentè proposuit. Quæ verò ejus ex regno oriuntur, ea hoc in loco non attigit, nec attingere voluisse censendus est, nisi ei forte sensus eos affingere volumus, quos verba sua non significant. Quod si ita Scriptores sacros tractare liceat, iis ut pro libitu nostro sensus eos ascribamus, quos verba ipsorum non enunciant, sanè qui cuique sensus placent, eos quisque sacris literis tribuet, & tribuere licere judicabit. Quâ cuique semel licentiâ datâ, qui tandem erit ineptiendi, qui sacra profanandi modus?

(k) *ubi suprà.* VII. Jam verò id, quod addit *Crellius* (*k*), *quicquid à Christo ut Sacerdote expectamus, id ab eo ut Rege proficisci dici posse*, nullam habet veri speciem. Siquidem ab eo ut Sacerdote id omnino expectetur, ut nos ac nostra Deo commendet, ejusque erga nos gratiam impetret. Id quod ab eo, ut ab Rege, nemo quisquam requisiverit. Ludit ergo *Crellius* operam suam, dum *Christum* dicit *peccatum, mortem, Satanámque, hostes ejus ac nostros debellare, & destruere ut Regem*, idque esse, *quod Sacerdotis est, peccata expiare, & expurgare.* Idem facit, dum *Christi Regis esse* dicit *populo suo ad thronum ipsius confugienti succurrere, & afflictis opem ferre; sed & Sacerdotis etiam esse auxilium iis, qui ad thronum gratiæ accedunt, opportunum præstare, & afflictis promptè succurrere, Hebr.* 2. 17, 18. & 4. 15, 16. Enimverò Christus aliter ut Rex, aliter ut Sacerdos nobis succurrit. Ut Rex ea nobis *confert*, quæ ad salutem æternam pertinent. Ut Sacerdos nos, precésque nostras Deo *commendat.* Partes Regias adversus nos, Sacerdotales adversus Deum agit. Ut munus Regium

gium circa nos, Sacerdotale circa Deum versetur.

VIII. At enim *Autor Divinus Epistolæ ad Hebræos* (*l*) *locum illum Psalmi, filius meus es tu, ego hodie genui te, ad Sacerdotium Christi apertè refert, cap. 5. 5, 6. & Pontificiam ei dignitatem hac ratione à Deo concessam docet. At ea de regno apertè loquuntur. Nam* David, *qui Christi typus fuit, explicat in iis verbis Dei decretum, quo Rex post diuturnum exilium reipsa fuit constitutus, & in solio regio collocatus. Quemadmodum Psalmus inspectus quemvis docebit. Unde ea* Paulus *Christo è mortuis resuscitato demum ait impleta* Act. 13. 32, 33. *Nam tum demum Deus secundum promissa sua Regem dedit populo suo, & Iesum constituit Dominum & Christum, seu, quod idem est, filium Dei in potentia.* Imò verò ea verba, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quicquid in *Davide* significant, ad Christum ita transferuntur, ut eum à Deo ad vitam immortalem è mortuis excitatum designent. Cujus immortalis vitæ adeptio cùm æquè ad Sacerdotium Christi ac regnum in cœlo obeundum valuit; factum est, ut eadem illa verba, quibus utique resurrectio Christi ad vitam immortalem designatur, ad utrumque accommodari possent, réque ipsâ quidem accommodentur. Ad regnum scilicet *primo* Epistolæ ad Hebræos *capite*, ad Sacerdotium *capite quinto.* Neque eò magis duo munera rebus & nominibus distincta in unum protinus coalescunt. Nihil enim sæpius contingit, quàm quæ longè diversa sunt, ea ut aliquid commune habeant. Idque inter se commune habent regnum & Sacerdotium Christi, ut utrumq; perinde perpetuum sit, utrumq; vitam immortalem postulet.

(*l*) *Verba Cretlii ubi suprà.*

IX. Jam

(m) Contra Grot. c. 2. partic. 38. vetiam c. 10. partic. 54.

IX. Jam ad id, quod alibi (*m*) urget *Crellius*, fieri non posse ut *Christus propriè Rex ac Judex*, itémque *Advocatus*, seu Sacerdos sit, hoc in præsentiâ respondemus. Christum adversus nos Regem, adversus Deum Sacerdotem esse. Ut Regem nos legibus suis & potentiâ regere, auxiliis Spiritus Sancti juvare, omnibúsque in rebus præstò esse. Ut Sacerdotem nos, precésque nostras commendare Deo. Ac nos quidem, dum Deum nobis propitium esse vult, precésque nostras, dum vult, ut Deus eas gratas habeat. Hæc autem vult non supplici prece interpositâ, sed eâ planè autoritate, quæ personæ suæ dignitatem decet. Quæ tamen autoritas ejusmodi esse judicari debet, ut suum quoque Deo Patri Dominium & autoritatem relinquat. Neque enim is, qui omnia alia, se quoque ipsum

(n) 1 Cor. 15. 27. subjicit Christo (*n*), neque ita illi, ut μεσίτῃ, regnum suum communicavit, ut eo sese abdicaverit; nihil ut nostrâ nunc interfit Patrem nobis propitium esse, precésque nostras gratas habere. Hoc enim si nihil refert, quid est cur ei preces adhibemus, ut nobis propitius esse velit? quid erat, quare ipsi Apostoli, quid, cur omnes Christiani hoc idem per omnia sæcula fecerint? Quod si nostra maximè interfit, ut Deus nobis propitius sit, interest quoque ut Pontifex noster Iesus Christus, cujus utique maxima est autoritas, maxima apud Deum gratia, Deum nobis propitium esse velit.

Nullius itaque momenti sunt alia illa, quæ affert

(o) Contra Grot. c. 10. partic. 54. *Crellius* (*o*); *Cùm Deus omnem Christo in cœlo ac terra potestatem dederit eum in finem, ut nobis remissionem peccatorum, æternámque vitam largiatur; & nos, qui ipsius membra sumus, perpetuâ*

*petuâ ope foveat, cur Deum adhuc vero oret, & preces apud ipsum interponat, ut peccata nobis remittere velit?* Hæc, inquam, nullius momenti sunt. Neque enim nos Pontificem nostrum Iesum Christum humili quadam & supplici prece apud Deum uti judicamus, sed nostri atque precum nostrarum potentissimâ planè commendatione, qualis ipsius personam decet. Neque nihil interest, ut Deus nobis peccata remittat, si per peccatorum remissionem propitius Dei erga nos animus intelligatur. Fac enim eum animo nobis infenso esse, nunquid esse nobis, majus graviúsque malum potest? num Christum iis propitium fore arbitramur, quibus Pater suus infensus sit? plurimùm ergo refert, ut Deus nobis propitius sit, æque etiam refert, ut Christus eum nobis propitium esse velit; nisi vel nullam dilecti Filii apud Patrem autoritatem & gratiam esse, vel nullâ nobis apud Deum commendatione opus esse dixeris. Quorum utrumvis qui statuerit, S. *Joanni* repugnabit. Quid enim ille his de rebus? (*p*) *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum Justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ubi Christum & Advocatum nostrum apud Patrem esse, ac quidem Advocatum potentissimum, & nobis etiam tanto Advocato maximè opus esse monuit. Extremum id est, Christum regnum suum ad Dei voluntatem administrare, neque aliis ullis salutem æternam præstiturum, nisi quos & Pater salvos vult. Atque ita factum, ut quibus ipse salutem æternam præstare vult, eos quoque Deo Patri commendet.

(*p*) 1 *Joan.* 2. 1, 2.

Itaque

Itaque ut ratio antè proposita tandem aliquando concludatur, Quandoquidem Sacerdotis nomen in sacris literis Christo datur, & cùm nihil afferatur, quod ei proprium illud munus, quod nomen istud præ se fert, abjudicandum esse doceat; efficitur Sacerdotium Christi Sacerdotium esse propriè dictum.

Quod siquis forte argutiis, nescio quibus, fretus, Sacerdotium Christi circa Deum quidem proximè versari, Christúmque nos ac preces nostras Deo commendare dixerit, neque eò magis Sacerdotium habere proprie dictum, hic, & ubi de re constat, de nomine controversiam movet (qualis omnis inanis est controversia) & magis se, quam ipse *Crellius*, argutum præbet. Neque enim ille, cùm Iesu Christo Sacerdotium propriè dictum detrahit, aliud profecto quid contendit, nisi nullam esse Christi operam, quæ proximè circa Deum versatur. Atque hæc de Sacerdotio Christi, nunc ad Sacrificium ejus aggredimur.

Quo

# Quo in genere censeatur Sacrificium Christi.

## CAP. III.

*Ostenditur cujus generis sit Sacrificium Christi, & quibus rebus contineatur.*

I. MUlta Sacrificiorum genera populo Hebræo constituta erant. Alia solida, sive holocausta, alia piacularia, alia salutaria, alia salutaribus similia, neque tamen planè salutaria. Sed & piacularium, & salutarium alia atque alia genera. De quibus omnibus Superiori in libro dictum est. Sin quis requirit, quodnam ad genus pertineat Sacrificium Christi, hoc facilè expedient sacræ literæ. Cùm enim peccati *obliteratio* (q) Sacrificio ejus tribuatur, cùm is per se (r), ac sanguinem suum (s) peccata nostra expiasse, & victimam ὑπὲρ ἁμαρτιῶν Deo sacrificasse (t) dictus sit, hinc intelligitur Sacrificium ejus piaculari in genere contineri. Quod tamen ego sic intelligo, ut non solummodò peccatorum veniam, sed etiam Spiritus Sancti auxilia, & reliqua omnia, quæ ad salutem nostram æternam pertinent, ut sanguine ejus impetrata, Sacrificio ejus accepta referam. Sicut enim universa Judæorum simul congesta Sacrificia ad assequenda hujus vitæ commoda omnia facta erant, ita unum Christi Sacrificium ea

(q) ἀθέτησις Hebr.9.26.
(r) Hebr. 1.3.
(s) Hebr.13.12
(t) Hebr.10.12

omnia impetrasse judico, quæ ad æternam vitam pertinent. Id quod & eò magis judico, quòd omnia Judæorum Sacrificia (licet alia aliis evidentiùs) Sacrificium Christi adumbrarent. Neque mirum, si Sacrificium illud, quod nobis gratiam apud Deum ad æternam vitam pertinentem impetrat, reliqua etiam impetret omnia, quibus vitam illam assequamur.

## *Quibus rebus contineatur Sacrificium Christi.*

II. Cùm itaque constet, quo in genere censeri debeat Sacrificium Christi, deinceps sequitur ut doceamus, quibus rebus contineatur. Quem locum, quoniam satis patefactum nondum vidimus, paulò diligentiùs explicabimus. Id ut fiat, meminisse oportet & victimas illas, quarum corpora extra castra cremabantur, evidentiùs Sacrificium Christi, quàm alias ullas, adumbrasse, & quidem ex his ipsis victimis eas, quarum sanguis die expiationis in adyto intimo spargebatur, hoc idem clariùs præstitisse, quàm alias illas, quarum sanguis non nisi in exterius adytum pro re natâ illatus erat; quibus de rebus alio in libro satis diximus.

Istæ ergo victimæ, quibuscum Sacrificium Christi ut cum *typis* præstantissimis conferri debet, juvencus & hircus is fuerunt, quorum alter pro Sacerdote summo, & pro familia *Aaronicâ*, alter pro toto populi cœtu die expiationis immolabatur. Jam has victimas ipse Pontifex primò ad aram adducebat in atrio Sacerdotum positam. Deinde Deo sic oblatas (tum enim offerebatur victima, cùm ante aram sistebatur) juxta eandem aram mactabat.

bat. Quibus peractis, earundem sanguinem in adytum intimum mox illatum sic, ut alias diximus, aspergebat, extáque adolebat in arâ; corpora autem extra populi castra, sive extra urbem Ierosolymam, penitus comburenda curabat. Ac Pontifex quidem sanguine & extis aram imbuens personam suam, hoc est, Pontificalem gessit; at victimas offerens, jugulánsque personam totius populi cœtus. Nam in sacris hominum singulorum suam quisque victimam pro arâ sistere jussus erat, manúque suâ consecrare, & consecratam mox mactare. Unde patet eos, qui hæc obiere (quæ aliàs à Senatoribus quibusdam, alias à Pontifice ipso facta erant) in totius cœtus Sacrificiis, ejusdem planè cœtus personam, hæc dum obibant, sustinuisse.

III. His ergo ex ritibus, quibus facta erant Sacrificia illa, quæ quidem Sacrificium Christi maximè omnium adumbrabant, palam fit Christum tribus rebus Sacrificium suum perfeciſſe. *Voluntariâ scilicet sui ipsius ad mortem cruentam oblatione, morte ipsa, & ingressu in cœlum victimæ jam mactatæ nomine*, eóque erga homines animo, ut eos Deo commendaret. *Primam*, inquam, earum rerum, quibus constitit Sacrificium suum, tum præstabat Dei Filius, cùm se ad mortem imminentem Deo ultro offerebat. Id quod illius morti cruentæ se dedentis tum dicta, tum etiam facta docent. *Primò* enim mortem aditurus *se propter suos seipsum* ἁγιάζειν dixit (*u*); hoc est, ut *victimam Deo offerre*. Nam קדש, sive ἁγιάζειν idem quandoque, quod προσφέρειν, idem, quod *offerre* valet (*x*). Nec aliam ullam hoc in loco vox ἁγιάζειν sensum

(*u*) *Joh.* 17. 19.

(*x*) *Lev.* 22. 2, 3. *Deut.* 15. 9. 1 *Par.* 23. 13.

recipit. Quo factum est, ut verba illa ἁγιάζω ἐμαυτὸν ita explicet S. *Chrysostomus* (*y*), προσφέρω σοι θυσίαν, *victimam tibi offero*. *Deinde* & id animadvertendum, quòd preces illæ, quibus sese Christus ad mortem suam consecrabat (*z*); iis quodammodo similes essent, quibus Pontificem Judæorum victimas diei expiationis Deo ante aram consecrasse, sive *obtulisse* aliàs docuimus (*a*). Quemadmodum enim Pontifex ille victimas istas Deo offerens primò sibi familiæque suæ, mox toti familiæ *Aaronicæ*, ultimò universo cœtui salutem à Deo precabatur: ita Christus sese ad mortem consecrans primò se (*b*), deinde suos, inprimis Apostolos (*c*), ultimóque omnes fidem sibi deinceps habituros (*d*) Deo sacrâ prece commendabat. Unde intelligitur Dominum nostrum tum, cùm preces hasce ederet, Deo se ut victimam obtulisse, quas diximus, victimis adumbratam. Quod idem *denique* facto suo comprobavit. Has enim preces executus eum ultro in locum proficiscitur (*e*), unde se statim in judicium, mox ad crucem ductum irii ntellexit (*f*), próque victimâ piaculari mactandum. Ut nihil dubium esse possit, quin verbis iis, ἁγιάζω ἐμαυτὸν, hæc subjecta sit sententia, *Ego me ut victimam piacularem mactandum offero.*

(*y*) *Ad locum.*

(*z*) *Jo.17. v.1, 2. & seq.*

(*a*) *Vide quæ diximus lib. 1. cap.15.§.10.*

(*b*) *Jo.17. v.1, 2, &c.*

(*c*) *v.9. & seq.*

(*d*) *v.20. & seq.*

(*e*) *Joh.18.1.*

(*f*) *Joh.17.1.*

Jam verò *alteram* earum rerum, quibus constitit Sacrificium suum, tum peragebat Dominus noster, cùm mortem extra Ierosolymam (ubi crematabantur eæ victimæ, quibus omnium maximè adumbrabatur) propter peccata nostra subibat. *Ultimam* tum, cùm cœlum ingressus, adyto intimo adumbratum, ut Pontifex, æquè atque victima

ma propter peccata nostra cæsa, coràm apud Deum apparebat, idque eo erga nos animo, ut Deum nobis maximè propitium esse vellet. Sicut enim Pontifex Judæorum sanguinem (ceu animas) victimarum intimo Templi adyto illatum, in cædis antè confectæ signum, propitiatorium versùs aspergebat: ita Pontifex noster in cœlo ipso, adyto illo adumbrato non animam tantùm, sed & corpus etiam victimæ pro peccatis nostris cæsæ coràm in præsentiâ Dei stitit. Quem Christi in cœlestia adyta ingressum siquis oblationem ejus dixerit, ego minimè repugnaverim. Imò verò idem & ipse statuo; ita tamen ut illud unà teneam, tum quoque Christum sese ut piaculum obtulisse, cùm se ad mortem offerebat. Duplex enim in Sacrificiis, ut antè diximus, oblatio fuit. Altera victimæ adhuc vivæ, quæ in Sacrificiis singulorum hominum, ab ipsis quidem offerentibus, in Sacrificiis totius cœtus vel à Senatoribus, vel à Pontifice cœtus ejus nomine præstabatur. Altera sanguinis & prosectorum post cædem victimæ jam confectam; quæ ad Sacerdotem pertinebat. Quarum cum priori in Sacrificio Christi conferri debet voluntaria sui ad mortem oblatio, cum alterâ autem sui, ut victimæ antea cæsæ, apud Deum in cœlo præsentatio; siquidem earum victimarum sanguis, quæ Christi typi præcipui erant, in adytum intimum illatus esset, quo cœlum ipsum adumbrabatur.

IV. Jam his in rebus, quibus constitit Sacrificium suum, triplicem rationem habuit Christus; *Offerentis*, *Victimæ*, & *Pontificis*. Offerentis utique nostro nomine, atque etiam victimæ mox mactandæ in oblatione sui ad mortem; sed & victimæ etiam in ipsâ morte. Pontificis denique, victimæque pro peccatis nostris ante cæsæ in ingressu in cœleste Sacrarium.

um. Ibi enim nunc utroque nomine coràm apud Deum apparet, Sacrificiíque ſui vi, ut Pontifex noſter, nos ac noſtra Deo commendat. Ac quidem ut Pontifex Judæorum victimas univerſi cœtûs nondum mactatas pro arâ offerens non tam ſuam Pontificalem, quàm cœtus illius perſonam geſſit: ita Chriſtum etiam ſeſe ad mortem offerentem non tam perſonam Pontificalem, quàm noſtram ſuſtinuiſſe arbitror. Nam in Sacrificiis ſingulorum hominum (quod jam antè ſæpe diximus) ipſorum offerentium erat victimas ſuas pro arâ ſiſtere, ibique ſtatas Deo offerre ac ſacrare. Unde patet eos, qui hæc peragebant in totius cœtus Sacrificiis, ejuſdem quoque cœtûs perſonam hæc peragentes ſuſtinuiſſe. Ex quo efficitur Dominum noſtrum ſeſe ad mortem offerentem ita quodammodo perſonam noſtram (non Pontificalem) ſuſtinuiſſe, quemadmodum Judæorum Pontifex, victimas totius cœtus nomine mox mactandas ante aram offerens, cœtus ejuſdem perſonam geſſit, non propriam ſuam Pontificalem.

DE

# DE
# Obedientiæ Christi vi.

## CAP. IV.

*De obedientiæ illius vi, quam Christus seſe ad mortem offerens Deo præstitit.*

I. HIS itaque rebus constitutis, quibus contineri judicamus Domini nostri sacrificium, deinceps sequitur ut doceamus, quid earum quæque ad salutem nostram æternam conferat. Quod ut eo ordine exequamur, qui jam antè propositus fuit, primò de obedientiâ illâ, quam Christus seſe ad mortem cruentam ultro offerens Deo præstitit, agendum est. Deinde de ipsâ ejus morte. Ultimò de ingressu ejus in cœlum cum eo erga homines animo, ut eos vi sacrificii sui Deo deinceps commendaret, omniáque illa pro iis faceret, quæ longè optimum patronum decent.

Ac Christus quidem morti se ultro offerendo multa præstitit ad salutem nostram pertinentia, quæ morte suâ præstare minimè potuisset, nisi eam ultro oppetiisset. Neque enim vel Evangelio suo fidem facere, vel obedientiæ erga Deum, ac charitatis erga homines discipulis suis exemplum tradere, vel sibi denique secundùm Deum summam in omnia po-

potestatem, summámque apud Deum gratiam (quarum alterâ constat regni ejus, altera Sacerdotii vis) per mortem planè involuntariam conciliare potuisset. Voluntariâ autem omnia illa abunde præstitit.

II. Enimverò Christus acerbæ morti suâ sese sponte offerendo, ut *Martyr*, sive Testis sacer Evangelio suo fidem fecit. Unde *sanguis eius testari* dicitur de Evangelii veritate (*g*). Hanc mortis Christi vim respexit S. *Paulus*, cùm *eum coram Pontio Pilato præclaram edidisse confessionem* monuit (*h*). Huc accedit, quòd idem Apostolus, ad confirmandum Evangelium multa passus, & passurus, *quæ deerant calamitates Christi, se in carne suâ adimplere* dixerit (*i*). Ubi eam mortis Christi vim, quam cum Martyrio communem habuit, non piacularem commemoravit.

(*g*) 1 *Joh.* 5. 8.

(*h*) 1 *Tim.* 6. 13.

(*i*) *Col.* 1. 24.

Jam verò ut rectè intelligatur quantam Christus Evangelio suo fidem fecerit morti planè acerbissimæ suâ sese sponte offerendo, illud inprimis considerandum, multa ipsum de se dixisse, quæ quidem falsa si fuissent, ipse falsa fuisse nosset, ac quidem à seipso ficta. Enimverò se *Messiam* dixit (*k*), se *mundi lucem* (*l*), eúmque *vatem, de quo meminerant sacræ literæ* (*m*). Sibi *datam esse in mortales omnes potestatem* (*n*), sibi *judicium omne traditum* (*o*), se *suos omnes ad æternam vitam ultimo die excitaturum* (*p*). Quæ omnia (alia ut præteream) talia erant, qualia, nisi vera fuissent, ipse profecto pro veris habere non potuisset, nisi mentis compos non fuisset. Jam verò Christus & mentis omnino compos fuit, & hæc etiam, aliáque omnia dicta sua pro veris habuit. Prius id demonstrat summa sua in omni vitâ suâ constantia, summa dictorum sapientia. Posterius acerbissimæ

(*k*) *Mar.* 14. 61.
(*l*) *Joh.* 8. 12.
(*m*) *Joh.* 5. 39, 46.
(*n*) *Joh.* 17. 2.
(*o*) *Joh.* 5. 22.
(*p*) *Joh.* 6. 40.

mortis

mortis summâ cum constantiâ, & æquanimitate patientia. Enimverò Christus mortem suam ita adiit, ita excepit, ita pertulit, ut nullam inconstantiæ aut levitatis, nullam fraudis aut astutiæ speciem, plurima autem, ut mox patebit, cum obedientiæ erga Deum, tum charitatis erga homines luculenta admodum indicia ediderit. Ac quidem nisi probitatis suæ sibi ipse conscius fuisset Christus, nihil omnino habuisset, cur novam quandam religionem Judæis æquè ac aliis Gentibus maximè invisam & exosam magno suo cum periculo traderet. Neque enim huc adduci potuit voluptatum, honorum, aut divitiarum ullâ spe, quæ nulla in eo esse potuit, qui se eâ ipsâ de causâ omnibus hujus vitæ commodis, imò vitâ ipsâ privatum iri ante mortem suam clarè prævidit, & prædixit (*q*). Sed neque novæ cujusdam sectæ post mortem suam constituendæ, gloriæque sibi inde orituræ spe ullâ teneri potuisset, si sibi ipse fraudis ullius conscius fuisset. Dixerat enim se tertio à morte suâ die è mortuis excitatum iri (*r*). Id quod, si falsi conscius fuisset, & minimè eventurum sciisset, (quis enim mendax mendacii confirmandi causâ miracula factum iri speret?) & tamen, id nisi eveniisset, fore, ut eo ipso die fraus sua cuique patefieret, neminémque adeo hebetem fore, ut hominem manifestæ fraudis compertum vitæ sibi magistrum adsciisceret. Præsertim quando hoc facturis exilia, cædes, & ignominiæ, omnia hujus vitæ mala undique proposita viderentur.

(*q*) *Mat.* 17. 22, 23. & 20. 18, 19.

(*r*) *Ibid.*

Eorum itaque, quæ jam diximus, hæc summa est. Christus multa de se dixit, quæ, nisi planè vera fuissent, ipse falsa fuisse nosset, nisi caruisset rationis usu. Cujusmodi, uti antè monuimus, dicta erant, quibus

bus se Messiam, & mundi lucem, omniumque judicem pronunciavit. Jam verò Christus & rationis usum habuit, & hæc etiam pro veris duxit. Hæc ergo planè vera erant. Vera etiam & reliqua omnia ejusdem dicta. Neque enim fallere, fallíve potuit Messias ipse, mundi lux, vates omnium longè maximus, idemq; omnium Judex futurus. Sed & hinc etiam vera esse patet dicta omnia, & scripta Apostolorum, quippe quibus idem ille Christus ipsum promisit *veritatis Spiritum, qui eos omnem veritatem doceret* (*s*).

(*s*) *Joh.*16.30.

III. Quinetiam Christus, morti à Deo constitutæ sponte suâ sese offerens, cùm summi obsequii erga Deum, tum charitatis erga homines illustre nobis exemplum tradidit. Nam mors ea, quam ultro adiit, per se ipsa gravissima fuit, tantósque secum conjunctos habuit animi dolores & cruciatus (*t*), ut Deus ipse Filium suum (cujus summa erat personæ dignitas, summa vitæ innocentia) solito amoris sui sensu, solitâ ope ac solatio privatum penè deseruisse videretur (*u*). Neque eò minus spem propositæ sibi gloriæ his ipsis in malis retinuit Christus (*x*), & tantos corporis, tantos animi cruciatus ita pertulit, ac quidem pro humano genere vitiis & peccatis obruto, ut nullâ irâ, ne quidem in carnifices suos, efferveſceret, nulla conviciantibus convicia regeret (*y*). Imò verò (quod mirabile est) ut summi in se patrati sceleris remissionem (*z*) patrantibus ipsis precaretur, idque mediis in cruciatibus versatus. Quibus ex rebus elucebat tantum obsequii erga Deum, tantum erga homines charitatis, tantum spei promissæ gloriæ, tantum modestiæ ac patientiæ exemplum, quantum aliud adhuc nullum fuit, nullum deinceps futurum est.

(*t*) *Mat.*26.38, 39. *Marc.* 14. 33,34. *Luc.*26. 44.

(*u*) *Mat.*27.46.

(*x*) *Hebr.* 12.2.

(*y*) 1 *Pet.*2.20.

(*z*) *Luc.*23.34.

Ne-

Neque verò hoc prætereundum, tantum erga nos amorem Christi, quantus in acerbissimâ morte pro nobis ultro susciendâ, ultro oppetendâ elucebat, ad mutuum erga Christum amorem tum in animis nostris accendendum, tum in omni etiam vitâ præstandum plurimùm, ut cuique patet, valere. Ex quo illud S. *Pauli* (*a*), *Charitas enim Christi urget nos; æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* (*a*) 2 Cor. 5. 14, 15.

IV. Cæterùm, ut ad reliqua pergam, maxima illa obedientia, quam Christus sese suâ sponte ad mortem offerendo Deo præstitit, cùm summam Christo, ut Μεσίτῃ, in Angelos perinde atque homines autoritatem conciliavit (*b*), tum eam etiam apud Deum gratiam, quâ Apostolos suos, mox moriturus, cum effectu Deo commendabat, aliósque omnes Clientes suos etiamnum commendare possit. Primum illud non est hujus loci. Alterum indicat ipse Christus, qui pro Apostolis preces faciens hoc ipsum apud Deum commemorat, ut maximè apud eum valiturum, quod *se pro iis sanctificaret* (*c*); hoc est, ut paulò ante docui, quòd se ultrò ad mortem offerret. *Sanctifica*, inquit, *eos in veritate: sermo tuus est veritas. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum: & pro iis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Quâ prece illud egit Christus, ut Apostolis suis ea impetraret Spiritus Sancti incrementa, quibus ad munus Apostolicum omni ex parte apti fierent. Hanc e- (*b*) *Phil.* 2. 8, 9, 10, 11. (*c*) *Joh.* 17. 19.

nim sententiam continent verba illa, *Sanctifica eos in veritate.* Deinde ut id, quod jam petierat, impetraret, primò apud Deum commemoravit gravitatem muneris Apostolici, quo neminem rectè functurum innuit sine magnis Spiritus Sancti viribus. Huc enim pertinent verba illa; *Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.* Ultimò de voluntariâ sui ad mortem cruentam oblatione, tanquam ejusmodi de re meminit, quæ vim maximam apud Deum precibus suis præstare posset. Continuò enim ista addit, *Et pro iis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Quibus verbis (quoniam, ut clarè constat, ideo usus erat Christus, ut, quod precabatur, impetraret) hæc tribuenda est sententia. Siquid mi Pater apud te gratiæ mihi conciliet, quòd me morti, nunc imminenti, voluntati tuæ obsequens offeram, eo apud te tua erga me gratia valeat, ut Apostolis meis impertire velis ea Spiritus Sancti incrementa, quibus ad tale, tantúmque munus omni ex parte apti fiant. Unde liquet Christum eâ apud Deum gratiâ fretum, quam sibi voluntaria sui ad mortem oblatio conciliabat, Apostolos suos commendasse Deo, eásque illis impetrasse vires, ea afflatus Divini auxilia, quibus postea auctos fuisse constat.

Neque dubium est, quin eadem illa obedientia, quæ pro Apostolis tantum valuit, pro aliis etiam ea impetraverit Spiritus Sancti adjumenta, quibus (ipsi sibi nisi defuerint) æternam vitam consequantur. Neque enim pro Apostolis tantùm, sed & aliis etiam morti sese dedidit Christus, eáque sui ad mortem deditio *oblatio fuit & sacrificium odoris*

*ris Deo ita grati*, atque ita Deo Christum ipsum commendavit, ut Christus ei clientes suos efficaciter commendare possit. Imò verò hæc ipsa Apostolis data Spiritus Sancti incrementa non solùm ad ipsorum salutem, sed ad nostram etiam data erant. Unde Christum eâ in oratione, de quâ paulo antè meminimus, non tantùm Apostolorum causâ, sed & nostrâ etiam, obedientiæ suæ meritum apud Deum commemorasse liquet. Ac quia certum est Dei Filium nihil ejusmodi apud Patrem in precibus suis commemorare voluisse, quod nihil apud eum valiturum esset, nihil ab eo impetraturum, efficitur obedientiam illam, sive voluntariam ad mortem oblationem, cujus meritum Christus nostri causâ apud Patrem suum commemoravit, non solum nodò Christo ipsi, sed nobis etiam (contrà atque judicant *Socinistæ*) gratiam apud Deum conciliasse.

Mors

# Mors Christi pœnæ vicariæ rationem habuit.

## CAP. V.

*De morte Christi; iisque sacræ Scripturæ locis, quibus morti ejus pœnæ vicariæ ratio tribuitur.*

I. HActenùs de obedientiâ illâ, qua se Christus ad mortem cruentam ultro obtulit. Nunc ad ejus mortem progredimur. Jam morti Christi in sacris literis triplex tribuitur vis, ac ratio. Una quodammodo cum morte Martyrum communis. Quâ, ut ante diximus, confirmatum fuit Evangelium, nobísque ad virtutes summas longè maximum exemplum traditum. Altera ejusmodi, quæ ad Testatoris mortem pertinet, quâ ita fere firmatum est Testamentum novum, aditúsque ad promissa præmia cœli hæredibus patefactus; ut Testatoris cujusque morte ratum fit ejusdem Testamentum, jusque continuò Hæredi datum legatam adeundi hæreditatem (*d*). Ultima, de quâ deinceps agendum, talis est mortis Christi vis, qualis victimarum piacularium lege *Mosaicâ* jussarum fuit. Eaque est, quâ expiantur peccata nostra. Cùm enim Deus humano generi, etiamsi pessimè de se merito, neque nullam esse viam vellet ad salutem æternam perveniendi (quæ summa

(*d*) *Hebr.* 9. 15, 16, 17.

ma ejus clementia fuit, summa planè misericordia) neque tanta tamen, quanta ejusdem peccata sunt, sine summi sui erga ea odii, sine sanctitatis, justitiæque suæ insigni notâ præterire: factum est, ut ipse Filium suum, quem sibi unicè charum habuit, victimam pro peccatis nostris piacularem fieri vellet, eorúmque à se remissionem pœnâ ejus vicariâ impetrari. De qua mortis Christi vi cum alii multi doctè ac latè disseruerunt, nos ea tantum attingemus, quorum ad id, quod instituimus, vis quædam præcipua videatur.

II. Ac primò quidem ejusmodi sunt *Isaiæ* illa, ita de Messiâ vaticinantis (*e*); *Fortium dividit spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse multorum peccata tulit.* Ubi verbis iis, *ipse multorum peccata tulit*, ea tribuenda est sententia, quæ cum personâ ejus convenerit, qui *cum sceleratis reputatus*, hoc est, ut nocens tractatus erat. Jam verò quando talis quisquam, qualis quidem tanquam nocens tractatur, *peccata ferre* dictus est, quis verba illa, *peccata ferre*, aliud quid, ac *pœnas luere* valere judicet? Nullæ enim res inter se magis convenire possunt quàm pœnas luere, & tanquam hominem nocentem tractari. Quæ omnis convenientia tollitur, si *peccata ferre* in modò posito Vatis dicto nihil aliud esse, nisi ea auferre ac delere, cum *Socini* Sectatoribus dixeris. (*e*) *Isai.* 53. 12.

Neque his rectè oppositeris, Christum à Judæis, non à Deo, tanquam nocentem tractatum esse. Cujus enim consilio ac voluntate *multorum peccata tulisse* dicitur, ejusdem quoque tanquam nocens tractatus erat. Jam verò Christus Dei consilio ac voluntate multorum profecto peccata tulit, ejusdem

ita-

itaque voluntate tanquam nocens tractabatur. Atque ita factum, ut Deus Christo *occurrere feciſſe omnium noſtrum iniquitatem* (*f*), *eumque, qui peccatum non novit, peccatum pro nobis feciſſe* (*g*) dictus ſit.

(*f*) *Iſai.* 53. 6.
(*g*) 2 *Cor.* 5. 23.

Huc accedit, quòd cum vates Chriſtum *peccata tuliſſe* dicit, eum maximè peccatis noſtris (quod tota ipſius oratio docet) gravatum fuiſſe, & oppreſſum, hac locutione indicare velit, quam locutioni iſti vim eripit *Socini* explicatio. Neque enim hoc loquendi genus, *Chriſtus multorum peccata abſtulit* (niſi luendo ea abſtulerit) ullo modo Chriſti dolores indicat, nedum exaggerat, aut amplificat. Siquidem *peccata* hominum *auferre* nonnunquam dictus ſit ipſe Deus (*h*), qui tamen ea auferendo nullis doloribus cruciatur.

(*h*) נשא עון *Exod.* 34. 7. *Num.* 14. 18.

III. Huc etiam adde alia illa ejuſdem Vatis. יהוה הפגיע בו את עון כלינו *Fecit Dominus ut ei*, Chriſto nimirum, *omnium noſtrum iniquitas occurrat* (*i*). Quibus verbis hæc ſententia ineſt. Dominus in eum omnium noſtrum peccata conjecit. Hoc eſt, propter peccata noſtra eum vicariâ pœna affecit. Quam enim *Crellius* (*k*) verbis iis ſententiam tribuit, *Deum per Chriſtum iniquitati omnium noſtrum occurriſſe*, reſpuit & verbi הפגיע ratio, & uſitata particulæ את conſtructio. Etenim הפגיע idem, quod *occurrere fecit*, non idem quod *occurrit*, valet. את ſemper fere accuſativum, dativum rarò antecedit. Ut in tantâ interpretandi licentiâ, quantam hic ſibi ſumit *Crellius*, nihil unquam certi ex ſacris literis effici poſſit. Huc adde, quòd modò poſita verba, *Fecit Dominus, ut ei occurrat omnium noſtrum iniquitas*, ejuſmodi ſint, quæ omnium noſtrum iniquitatem

(*i*) *Iſai.* 53. 6.

(*k*) *Contra Grot. c.* 1. *partic.* 52.

tatem (ut tota vatis oratio monstrat) Christo oneri fuisse docent. Id quod *Crellii* interpretatio nullo modo per se designat, nostra explicatè enunciat. Quod idem facit optima quæque vocum Hebraicarum versio. Quid enim hic Interpretes Græci? Κύριος παρέδωκεν αὐτὸν ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν. *Dominus dedidit eum peccatis nostris.* Quid Versio Vulgata? *Posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Quid Arabica? *Dominus autem tradidit eum peccatis nostris.* Quid Syriaca? *Dominus fecit, ut occurrerent in eum peccata nostra.* Quid interlinearis? *Dominus fecit occurrere in eum iniquitatem omnium nostrum.* Quid *Castellio*? *Jova in eum omnium nostrum crimen conjecit.* Quæ omnes ejusmodi sunt Versiones, ut Christum sic, ut onere quodam, peccatis nostris gravatum fuisse, pœnâque vicariâ affectum doceant.

IV. Idem docent alia Vatis verba paulò ante modò citata posita, והוא מחלל מפשעינו מרכא משנותינו Quæ ita vertunt Interpretes Græci, Αὐτὸς δὲ ἐτραυματίσθη διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, καὶ μεμαλάκισται διὰ τὰς ἀνομίας ἡμῶν. *Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & infirmatus est propter iniquitates nostras.* Neque enim dubium, quin quæ sententia aliis illis, quæ antè posuimus, Vatis dictis, eadem & his subjecta sit. Ut idem valeat *propter peccata nostra vulnerari*, quod pœnam vicariam pro nobis luere. Præsertim quando locutio illa, *Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra* vicariam pœnam per se ipsa sic designet, ut alia omnino nulla sit, quâ ea clarius significari, meliúsque enunciari possit. Neque dubium est (id quod in transitu monere visum est)

quin idem quoque de planè similibus Apostoli verbis (*l*), quibus dicitur Christus *propter peccata nostra traditus*, longè optimum sit judicium.

(*l*) *Rom.* 4.25.

V. Quid, quod hoc totum, in quo versamur, vaticinium, eâque omnia *Isaiæ* dicta, de quibus utique jam meminimus, rei ipsius ratio explicet? Etenim Vates hoc in capite (*m*) *animam* sive *vitam* Christi pro ⊐ψϗ *positum iri* dixit, hoc est, pro *victimâ piaculari*. Ac quidem (inde quod efficitur) in omnibus antè allatis dictis ita planè de Messiâ, ut de victimâ piaculari meminit; ita, inquam eum his in dictis, *Ipse vulneratus est propter peccata nostra. Fecit Dominus ut ei occurrat omnium nostrum iniquitas*, *Ipse multorum peccata tulit*, ut victimam planè piacularem omnibus ante oculos proponit. Quare cùm talis cujusque victimæ ea vis, ac ratio propria sit, ut ad veniam fonti impetrandam pœnam vicariam patiatur, eadem etiam morti Christi vis toto hoc in vaticinio, omnibúsque ante positis dictis à vate tribui censenda est. Quippe quam & verba præ se ferunt, postulátq; rei ipsius ratio.

(*m*) *v.* 10.

VI. Cum enim lege Judæis latâ ita comparatum esset, ut suo fontis cujusque sanguine graviora peccata expiarentur, leviora autem sanguine victimæ piacularis (quâ de re latè alibi diximus) quæ pœna in gravioribus peccatis fonti ipsi irrogata fuit, eam profecto in levioribus ad victimam translatam fuisse patet. Id quod & Christiani Veteres, omnésque Judæorum Doctores summo cum consensu statuunt. Atque ita (quod docent (*n*) sacræ literæ) *pro animâ sive vitâ hominis sanguine, sive vitâ victimæ facta olim erat expiatio*, alterâ alterius vice datâ. Quod quidem adeo clarè patet,

(*n*) *Lev.* 17.11.

patet, ut ipse *Brennius* hoc in loco (contrà atque in aliis solet) deserendum esse *Socinum* viderit. Quid enim is ad Christi illa (*o*)? Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Transit*, inquit, *Christus à comparatione fœderum ad similitudinem victimarum piacularium, in quibus sanguis, hoc est, anima pecudis offerebatur velut succedanea animæ hominis: Ego, inquit Deus, destinavi eam (sanguinem pecudum) vobis in altari ad expiationem faciendam pro animabus vestris. Nam sanguis est, qui pro animâ expiationem facit.* Hæc *Brennius* vi veritatis victus. (*o*) *Mat.* 26. 28

Ac quidem tantum, ut aliâs diximus, pecudes hominibus surrogandi in victimis piacularibus indicium extitit, ut ipse *Crellius* (*p*), *Sacrificium Deo benignissimo pro pœnâ fuisse* fateatur. Verùm, inquit (*q*), in sacris piacularibus non cæde victimæ, sed iis, quæ cædem sequebantur, præsertim sanguinis aspersione, facta est peccati expiatio. Quod quidem quid aliud est nisi errori latebram quærere, neque eò magis invenire? Enimverò victimæ cæsæ sanguinem vel aræ, vel Templum aut propitiatorium versùs aspergere nihil aliud fuit, nisi pecudis animam, sive vitam (cui sanguis pro vehiculo fuit) συμβολικῶς Deo reddere. Ut pecudis cædes, sive fusus sanguis λύτρον esset piaculare, solennis autem sanguinis aspersio λύτρωσις ejus solutio Sacrificalis. Esto itaque, quod contendit *Crellius*, sanguinis nimirum aspersione factam fuisse expiationem; quid tamen hinc elici potest, nisi sanguinem, sive vitam pecudis pro vitâ ipsius immolantis, ut (*p*) *ad Heb.* 9. 14. (*q*) *Contra Grot. c.* 10. *partic* 37.

λύτρον, Deo datum fuisse? Quare tantum abest, ut id, quod *Crellius* de peccatorum expiatione sanguinis aspersione factâ differit, sententiam nostram labefactet, ut ad eam maximè firmandam valeat. Cùm enim sanguinem vel aræ aspergere, vel templum aut propitiatorium versùs, cultus sacri genus eximium esset à solis Sacerdotibus præstandum, cùm etiam omnis cultus sacer, seu naturalis, seu institutus, in gratiâ Dei vel impetrandâ, vel quidem commemorandâ versetur, solennis illa sanguinis aspersio in Sacrificiis piacularibus ad peccati ante admissi veniam à Deo impetrandam pertinuit; ac quidem vim ac rationem deprecationis cujusdam habuit, cujus hæc omnino sententia fuit. *Sis precor, Domine, sonti supplicique huic propitius, cujus ego nunc lustrandi causâ hunc sanguinem aræ tuæ aspergo, eóque apud te valeat profusa hujus victimæ vita, ut vitam sontis, pro quo effusa est, salvam velis & incolumem.*

Quid, quod Hebræis imperata esset victima quædam piacularis, in quâ minimè adhibebatur solennis illa sanguinis aspersio? Ejusmodi fuit vacca illa, quæ de homicidio in agro facto, quoties homicida ignorabatur, legis jussu cædenda fuit (*r*). Cujus utique, sine rituali illâ sanguinis in aram aspersione, cæde ipsâ facta est expiatio. Cum enim homicidii scelus maculam quandam, seu reatum, universam in civitatem inveheret, (præsertim cùm civitatis uniuscujusque sit à latrociniis & homicidiis agrum suum tutum præstare) cúmque macula illa in ipsâ civitate hæreret, donec ipsius homicidæ nece, si modo is deprehensus esset, expiaretur; eò valuit vaccæ istius cædes, homicidâ ipso non comperto, quò, quoties is deprehensus erat, sua ipsius

(r) Deut. 21.

nex


image
not
available

arium versus Sacerdotis digito spargendus erat.

VII. Sed his de rebus satis dictum. Deinceps itaque alterum illud, quòd latiùs alibi exposuimus (z), recognoscendum, nempe victimas omnes piaculares, quarum corpora extra castra cremabantur (quæ Christum, ut victimam piacularem, præ quàm reliquæ adumbrabant) populi universi peccatis συμβολικῶς ad se translatis ita contaminatas fuisse, ut & è castris, ut res impuræ, efferendæ essent (a), eásque inde qui efferrent, his, nisi aquâ prius lustratis, eò redire nefas esset (b).

(z) *v. lib.* 1. *c.* 7. §. 1, 2. *& c.* 21. §. 3.

(a) *Lev.* 16. 27.

(b) *v.* 28.

Neque verò hoc prætereundum, ita in Sacrificiis Judæorum divinitùs comparatum fuisse, ut quo clariùs victima quæque Christum, ut victimam, adumbrabat, eo clariorem haberet speciem, peccati offerentis ad se translati. Quippe quod eò pertinebat, ut peccatorum nostrorum pœnas in Christum conjectas esse hinc pateret; eúmque eodem illo modo peccata nostra sanguine suo expiasse, quo quidem immolantium peccata victimarum piacularium sanguine apud Judæos expiabantur. Quod nisi hoc sic fuisset, quorsum Christus, ut victima piacularis, quorsum sanguis ejus, ut victimæ piacularis sanguis, quorsum denique expiatio illa, quæ sanguine ejus facta erat, ut sanguine victimæ piacularis facta, in sacris literis proponeretur? Quorsum inquam hæc omnia fierent, si alio modo Judæorum victimæ piaculares, alio Christus, (quem tamen ut victimam piacularem Judæorum victimæ adumbrabant,) hominum peccata expiâssent? Judæorum victimæ pœnâ vicariâ, Christus autem nullâ ejusmodi pœnâ.

Ne-

Neque contrà valet, quòd Chriſtus quidem Deo ſe ſacraret & offerret ſine ſolennibus iſtis ritibus Judæorum in Sacrificiis adhibitis (qualés erant manuum impoſitio in victimâ mox mactandâ præſtita juxta aram rite conſecratam, ſanguiníſque in aram iſtam aſperſio) Ita enim Deo viſum fuit, ut quæ res externis ritibus in veteri fœdere adumbrabantur, eæ veræ, nudæ, ſimplicéſque, detractis ritualibus umbris, novo in fœdere proponerentur. Ita evenit, ut fieret Sacrificium Chriſti ſine pompâ illâ Sacrificali, quæ Sacrificiis Judæorum inerat. Neque eò minus ipſæ res Judæorum ritibus adumbratæ (quod ratio antitypi poſtulabat) longè potiorem vim, ac locum, quàm in eorum Sacrificiis, in Sacrificio Chriſti habuere. Quamobrem, ut reliqua in pauca conferam, nihil omnino ipſarum rerum, quæ quidem ritibus Sacrificalibus apud Judæos adumbrabantur (miniméque omnium propria pœnæ vicariæ ratio) Sacrificio Chriſti detrahendum eſt. Quippe quod contra Sacrificii illius perfectionem, contra Dei ipſius inſtitutum, contra ſacræ Scripturæ autoritatem, contra rationem antitypi fieret; qui uti ſemper ſimilem vim, ita etiam ſemper majorem habet, atque quæ typorum ſuorum extitit.

VIII. Verùm his de rebus latiùs alibi diſputatum. Nunc redeamus ad *Iſaiam*, cujus equidem his quoque dictis (*c*), *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*, tam eandem illam, quæ aliis illis antè poſitis, ſententiam ſubjectam eſſe judico, quam alteram hanc, de quâ meminit S. *Matthæus* (*d*). Qui quidem iſta *Iſaiæ* verba tum impleta fuiſſe dixit, cùm Chriſtus ægrotis & morboſis corporis ſanitatem red-

(*c*) Iſa. 53. 4.

(*d*) Mat. 8. 17.

redderet. Rectè enim ad verba illa *Grotius* (e), *Sicut veterum res gestæ rerum Christi figuram habuerunt; ita & ipsius Christi actiones aliæ aliis denotandis inservierunt. Nam beneficium corporibus redditæ sanitatis quin figuram remissionis peccatorum & sanatarum mentium tulerit, dubitari non potest. Bis ergo impletum est vaticinium. Primò, cum Christus semet defatigans ad vesperam usque aliorum malis levandis vacavit; ut hic ostendit* Matthæus. *Posteriùs, cum crucis supplicium perferens remissionem peccatorum nobis impetravit.*

(e) *Ad locum.*

Ac quidem nisi mortem Christi spectâsset Vates his in verbis, *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, nihil fuisset, cur illa continuò addidisset, *Et nos putavimus eum percussum à Deo, & humiliatum.* (Percussum utique propter sua ipsius peccata; ita enim existimabant illi, quorum hic personam induit Vates). Neque enim Christus, ideo quòd sanaverit corporis morbos (quantumcunque sese huic operi diu vacando defatigaverit) sed, quòd tulerit crucis pœnas, mortique â Deo deditus fuerit, *à Deo percussus* judicari potuit. Quæ qui cogitare velit, minimè dubitaturum arbitror, quin verba illa, *Verè languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit*, idem valeant, quod alia ista deinceps posita. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. Ipse peccata multorum tulit.* Quibus omnibus quæ sententia insit, paulò antè demonstratum arbitror.

IX. Cæ-

IX. Cæterùm, quò hæc *Isaiæ* omnia, eò pertinent & illa S. *Petri*, qui Vatis illius dicta respiciens ita de Iesu Christo differit (*f*). Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον. Quæ quidem sive sic vertantur, *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, (quæ sunt Vulgatæ versionis verba) sive sic, ut *Crellius* ipse vertit, *Qui peccata nostra ipse in suo corpore sustulit in lignum* (*g*) perinde ad nostrum institutum valent. Quæ enim mala Christus *super lignum pertulit*, sive (quod *Crellio* visum est) *in lignum sustulit*, ea corpori illius inerant; quippe in quo ea super lignum pertulisse, sive in lignum sustulisse dictus est. Quæ mala corpori illius inerant, ea non ipsa vitia nostra, sive peccata propriè dicta, sed (quæ passim in sacris literis peccata appellari solent) peccatorum nostrorum pœnæ erant. Quæ quidem pœnæ in Christi corpore neutiquam esse potuerunt, ut non in eo luerentur. Quod si Christus in corpore suo peccatorum nostrorum pœnas luebat, vicariam planè pœnam passus est. Ac quoniam peccatorum nostrorum pœnas sibi destinatas & oblatas ultro in se ipse suscepit, fit, ut nos (id quod deinceps (*h*) sequitur) *peccatis mortui justitiæ vivere* debeamus, summámque ei operam dare. Nihil enim magis amorem nostrum erga Christum excitare debet & accendere, quàm summus ille ipsius Christi erga nos amor, qui quidem in morte acerbissimâ pro nobis ultro suscepta cernitur. Nec quid magis ad Evangelii obedientiam, quàm verus erga Christum amor valet. Ex quo illa S. *Pauli* (*i*), *Charitas enim Christi urget nos, æsti-*

(*f*) 1 Pet. 2.24.

(*g*) v. Crell. contra Grot. cap. 1. partic. 34.

(*h*) 1 Pet. 2.24.

(*i*) 2 Cor. 5.14, 15.

*mantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.*

X. At enim eleganter quisque *peccata ferre* dici potest, *qui peccatorum causâ grande malorum, cruciatuum, ac mortis denique sustinet onus, etiamsi nulla vera in eâ re sit pœna, sive vindicta.* Hæc *Crellius* (*k*), sed frustra planè. Neque enim locutione illâ, quâ quis *peccata ferre* dicitur, pœnam ullam significari dicimus vi solâ locutionis freti, sed & locorum, in quibus ponitur, & rei ipsius rationem intuiti. Ejusmodi enim sunt loci illi, in quibus locutio ista ponitur, illi, inquam, quorum ante meminimus, ut nihil nisi vicariam pœnam (uti priùs dicta satis docent) in iis significare possit. Quem eundem quoque sensum postulat rei ipsius vis, & ratio. Enimverò Christus iis in locis ut victima piacularis inducitur. Ita enim eum verbis explicatis induxit *Isaias*, eúmque secutus est S. *Petrus*. Jam verò victimæ piacularis ea vis, & ratio propria est (sicut alias latè demonstratum est) quæ in vicariâ pœnâ cernitur. Quæ pœna etsi ex *Crellii* sententiâ vindictæ quidem ratione careat, ut quæ puniti ipsius merito non irrogetur, eam tamen pœnæ rationem retinet, quæ ad vicariam pœnam pertinet. Quâ de re alibi satis dictum est.

(*k*) *Contra Grot. c. 1 partic. 32.*

Id unum restat, quod hoc in loco moneamus; minimè committendum esse, (quod quidam parum cautè faciunt) ut nos ipsos in Christo punitos esse concedamus. Etenim qui in proximo punitur, is ex malis proximo illatis malum ipse ac de-

detrimentum capit. Quæ ratio eſt earum pœnarum, quas luunt parentes in liberis ſuis. Quippe ex quorum calamitatibus damnum, dolor, aut infamia, pœna aliqua ad ipſos parentes redit. Quod contrà eſt in iis pœnis, quas quidem Chriſtus pro nobis ſubiit. Quippe ex quibus non modò nihil omnino mali, nihil detrimenti ad nos redit, ſed peccatorum noſtrorum venia, ſalúſque ſempiterna exiſtit. Ex quibus facile intelligitur, longè aliud eſſe *nos in Chriſto*, ac *Chriſtum pro nobis* pœnam luere. Qui enim nos in Chriſto pœnam luiſſe dixerit, hic ſanè nos ex Chriſti pœnis damnum aliquod cepiſſe ſtatuet. Id, quod maximè à vero abeſt. Qui verò Chriſtum pro nobis pœnam luiſſe dixerit, hic pœnas Chriſti (quod verum eſt) eò pertinuiſſe ſtatuet, ut nos à pœnâ liberarent.

# Mors Christi pœnæ vicariæ rationem habuit.

## CAP. VI.

*De iis sacræ Scripturæ locis, in quibus de expiatione agitur morte Christi facta.*

I. HIS itaque locis explicatis, in quibus pœnæ vicariæ ratio disertè morti Christi datur, nunc ad eos aggrediamur, in quibus Christus vel per se, vel sanguine, vel Sacrificio suo peccata nostra *expiasse*, vel nosmetipsos *lustrasse* dicitur. Quæ *expiatio*, & *lustratio* aliàs quidem hujusmodi vocibus, καθαίζειν, ἁγιάζειν, καθαρισμὸν ποιεῖν, aliàs aliis designatur.

(l) Hebr. 13. 10, 11, 12.

Huc ergo pertinet Apostoli illud ad Hebræos (*l*), *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Quo in loco *populum sanctificare* idem, quod populum lustrare, valet. Idémque etiam populum lustrare, quod populi peccata expiare. Quum itaque hoc ex loco pateat, idque ita, ut nemo contrà dicat, sanguine, sive morte Christi peccata nostra

nostra expiata esse, id unum in controversiâ versatur, quâ ratione, quóve modo mors illius hoc præstiterit. Quod tamen facilè expedietur, si rei rationem sequi volumus. Cùm enim Apostolus hoc in loco ita de Christo, ut de victimâ piaculari, meminerit; ita etiam de Christi sanguine, ut de sanguine victimæ piacularis; talis peccata expiandi ratio morti ejus adjudicanda est, qualem ipsa victimæ piacularis ratio propria postulaverit. Jam victimæ omnes piaculares peccata, de quibus immolabantur, pœnâ vicariâ expiabant; eâdem itaque ratione, eodem modo nostra quoque expiavit Christus.

Hoc itaque ex loco patefacto patet etiam & alius iste (*m*). Δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν (*m*) Hebr. 1. 3.
ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς. *Qui cùm per seipsum peccatorum nostrorum expiationem fecisset, consedit ad dextram majestatis in sublimi.* Adde locum illum S. *Johannis* (*n*), *Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, & sanguis Iesu Christi* (καθαρίζει) *lustrat nos ab omni peccato.* (*n*) 1 Joh. 1. 7.
Quibus in locis ea Christo, atque sanguini ejus peccata expiandi ratio datur, quæ ad victimam piacularem pertinet. Id enim in posteriori docet *expiationis sanguine* factæ mentio. In priori sic inducitur Christus, ut qui per *seipsum*, hoc est, per seipsum, ut *Sacrificatum*, peccatorum expiationem fecerit. Is autem peccata expiandi modus ad victimas piaculares pertinet, qui in vicariâ pœna cernitur. Idem ergo Christo his in locis peccata expiandi modus datur.

II. His

II. His expositis, ad eos locos nunc accedimus, quibus aut *peccatorum expiatio*, aut (quod perinde omnino est) *sontium* quidem ipsorum *lustratio*, Christi morte vel sanguine facta, eorundem ἀπολύτρωσις dicitur. Ἀπολύτρωσις enim Novi Testamenti Scriptoribus idem passim est, quod Hebræis כפרה. Idémque est Hebræis כפרה, quod Latinis *expiatio*, & *lustratio*.

Huc itaque referenda sunt Apostoli illa ad Hebræos (o), καὶ διὰ τοῦτο διαθήκης καινῆς μεσίτης ἐστὶν, ὅπως θανάτου γενομένου εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων, τὴν ἐπαγγελίαν λάβωσιν οἱ κεκλημένοι τῆς αἰωνίου κληρονομίας. Quæ ita vertit Vulgatus Interpres; *Et ideo Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Ubi παραβάσεων ἀπολύτρωσις θανάτου γενομένου idem valet, *quod peccatorum expiatio Christi*, ut victimæ, *morte facta*. Cujusmodi omnis expiatio vicariâ victimæ cæsæ pœnâ, ut ante docuimus, facta fuit.

(o) Hebr. 9. 15.

His adde S. *Pauli* illa ita de Christo differentis (p), Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων. Quibus ista etiam paria sunt (q), Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* Quibus in locis vox ἀπολύτρωσις non est *redemptio* qualiscunque, sed qualis in expiatione cernitur victimâ piaculari factâ. Id quod docet

(p) Eph. 1. 7.

(q) Col. 1. 14.

docet mentio *ſanguinis*, & *remiſſionis peccatorum.* Sanguinis utique, ut rei expiantis, & remiſſionis peccatorum, ut rei expiatione partæ. Neque enim dubium, quin Apoſtolus, has duas res ſimul commemorans & conjungens, & expiationem intueretur victimarum piacularium ſanguine apud Judæos fieri ſolitam, & peccatorum remiſſionem expiatione iſtâ partam. Quibus de rebus ita Apoſtolus ad Hebræos (*r*), *Et omnia pœne in ſanguine ſecundum legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Cum ergo in dictis modo poſitis ita meminerit de Chriſti ſanguine S. *Paulus*, ut de ſanguine victimæ piacularis, dubium non eſt, quin quæ victimæ talis ſit, eam morti Chriſti vim tribuat. Ea autem vis, ut ſæpe diximus, ejuſmodi eſt, quæ vicariâ victimæ cæſæ pœnâ peccati veniam reo impetrat.

(*r*) *Hebr.* 9. 12.

III. Ac quoniam ἀπολύτρωσις Scriptoribus Novi Teſtamenti idem eſt, quod Hebræis כפרה. Videamus deinceps, quam ſententiam ejuſmodi dictis tribuant Judæi, quibus ſcilicet Alter Alteri כפרה, hoc eſt, ἀπολύτρωσις dicitur. Ac primò quidem ipſa dicta referamus. Illa autem hujuſmodi ſunt, אנו כפרתך. *Nos tibi* ἀπολύτρωσις *ſimus* (*s*), בני ישראל אני כפרתן *ſim ipſe Filiis Iſraelis* ἀπολύτρωσις (*t*) הרי הוא כפרתכם. *Hic ſit vobis* ἀπολύτρωσις (*u*) הריני כפרת ר' חייא ובנוי *ſim ipſe* ἀπολύτρωσις *R. Hajæ*, & *Filiis ejus* (*x*). Cujuſmodi omnes locutiones, conſentientibus aliis omnibus Judæorum Magiſtris ac doctoribus (*y*), ita explicat *Baal Aruch* (*z*), כל מקום שהוא אומר הריני כפרתו והוא פירשו הריני במקומו לסבול עונותיו כלומר

(*s*) *Miſn. in Sanhedrim, c.* 2.

(*t*) *Miſn. in Negaim, c.* 2.

(*u*) *Jom. fol.* 23. *fac.* 1.

(*x*) *Succa. fol.* 20. *fac.* 1.

(*y*) *v. lib.* 1. *c.* 22. §. 9.

(*z*) *In voce* כפר.

כלומר שאני מקבל עלי עונותיו להחכפר *Omni in loco, quo quis dixerit, Sim ipse illi* ἀπολύτρωσις, *hæc sententia declaratur. Utinam ipse ejus in locum supponar, ut iniquitates ejus feram. Quod perinde est, ac si quis dicat, Ego ipse, ille ut lustretur, illius in me peccata suscipio.* Unde faciliùs intelligi possunt modò posita S. *Pauli* verba. Quamvis enim Christus in locum nostrum non ita quidem suppositus fuit, ut idem illud pœnarum genus, quo nosmetipsi liberamur, tulerit. Pœnæ tamen, quas ille subiit, perinde expiant peccata nostra, eorúmque veniam nobis impetrant, ac si ejusdem fuissent generis, quod nobis ipsis subeundum erat. Idque ipsum est, quod monuit Apostolus, cum *nos in Christo per sanguinem ejus* ἀπολύτρωσιν *habere* dixit, *nempe peccatorum remissionem.* Quod idem etiam docuisse videtur, ubi *nos justificari gratis* dixit per *gratiam illius* (h. e. Dei) per ἀπολύτρωσιν, quæ est in Christo Iesu (*a*).

(*a*) Rom. 3. 24.

IV. Prætereà ut ἀπολύτρωσις idem, quod כפרה, ita etiam λύτρον, & ἀντίλυτρον idem est, quod כפר: quo ipso nomine (quod maximè animadvertendum est) victima quæque piacularis apud Judæos vocari solet. Ita enim, ut antè diximus (*b*), tales victimas appellavit *R. Moses Ben Nachman*, ita *R. Bechai*, ita *Abrabenel*, qui idem etiam nomen פדיון, quod λύτρον, sive ἀντίλυτρον est, huic victimarum generi dedit. Neque verò כפר tantùm dicitur victima quæque piacularis, sed & כפר תחת החוטא λύτρον *sontis vice datum*, & λύτρον sonti *succedaneum.* (Id enim valet vox תמורתו in victimâ

(*b*) Lib. 1. c. 22. §. 10.

mà piaculari posita ) imò *anima* victimæ piacularis sontis *animæ vice* data dicitur ( *c* ). Ut hinc facilè Christi illud intelligatur ( *d* ); ὁ υἱὸς ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. *Filius hominis non venit, ut sibi ministretur, sed ut ministret ipse, animámque suam* λύτρον *pro multis impendat.* Nemo enim dubitat, ( non ipse *Brennius* ) quin quod *Isaias* olim dixerat, Messiæ animam pro אשם, hoc est, pro victimâ piaculari positum iri ( *e* ), idem hoc in loco dixerit Christus; quod & eò minus dubitandum, quia victima quæque piacularis à Judæis כפר, ( ut jam docui ) hoc est, λύτρον, seu ἀντίλυτρον dici solet, victimæque anima, sive vita vice sontis ipsius animæ dari. Cùm itaque Christus de morte suâ, sive de vitâ pro multis positâ, ut de vitâ victimæ piacularis pro sontibus datâ in verbis modò positis meminerit, eam morti suæ iisdem verbis vim tribuisse censeri debet, quæ ad victimam piacularem pertinet. Ea autem vis ( quod sæpe dictum est ) in peccatorum remissione pœnâ vicariâ impetratâ cernitur.

(c) *Lib.*I. *c.*22. §.10, 11.

(d) *Mat.*20.28.

(e) *Is.* 53.10.

His etiam adde Apostoli illa ( *f* ), Εἷς γὰρ Θεὸς, εἷς καὶ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος Χριστὸς Ἰησοῦς, ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus; qui dedit semetipsum* ἀντίλυτρον *pro omnibus.* Quæ, quia eandem sententiam continent, ( quantum ad id, quod ago, attinet ) quam modò posita Christi verba, quibus ille sese animam suam λύτρον pro multis *daturum* dixit, eandem vim

(f) 1 *Tim.* 2.5, 6.

piacularem morti ejus tribuere judicanda sunt, quam illa Christi ipsius tribuunt. Quod cùm per se luculentè pateat, disputatione nullâ eget. Id unum interest, quod Christus eos tantùm intuitus, qui fœderis novi conditiones reipsa amplexuri essent, se *animam suam* λύτρον *pro multis daturum* dixit: Apostolus autem, qui eos omnes intuebatur, quibus fœdus illud propositum est, *Christum* vocat ἀντίλυτρον *pro omnibus datum.*

(g) Mat. 26. 28. V. Huc etiam refer aliud illud Christi dictum (g), Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ubi ita planè de sanguine suo, ut de piaculi sanguine egit. Id quod multis ex rebus constat. Primò ex eo, quod sanguinem suum *fœderis novi sanguinem* vocârit. Quo dicto monuit, fœdus novum victimâ mox à se dandâ (quam quidem piacularem fuisse & hinc, & aliunde liquet) ita quidem sancitum iri, quemadmodum victimarum sanguine alia olim fœdera sancita erant. Huc accedit, quod *sanguinem suum pro multis fusum iri* dixerit *ad remissionem peccatorum.* Id quod de nullo dici potuit nisi victimæ piacularis sanguine. Quid plura? Huic, quod nunc exponimus, Christi dicto eadem planè sententia inest, quæ alteri illi ante posito, quo *sese animam, vitámve suam* ut λύτρον *pro multis*, hoc est, (ut paulo antè docuimus) ut *piaculum*, daturum dixit. Quamvis enim in loco de quo nunc agimus, vocem λύτρον non posuerit, de re tamen ipsâ, de *sanguine* suo, ex quo λύτρον nobis extitit, di-

disertè meminit. Quinetiam meminit eâ de re, cujus à Deo impetrandæ causâ λύτρον illud datum erat, nempe de *peccatorum remissione*. Ut nemini dubitare liceat, quin utrique dicto eadem subjecta sit sententia. Quum ergo Christus hoc in loco, quo *sanguinem suum pro multis effusum iri dixit ad remissionem peccatorum*, ita meminerit de sanguine suo, ut de sanguine victimæ piacularis; quæ vis, ac ratio ad victimam piacularem pertinet, eam Christus sibi, ut tali victimæ, hîc tribuisse censeri debet. Ea autem vis, eáque ratio ad victimam piacularem pertinet, quæ in peccatorum veniâ cernitur pœnâ vicariâ impetratâ.

VI. Ex jam dictis alia illa intelligi possunt (*h*), *Christus nos redemit* (ἐξηγόρασεν) *ab execratione legis, factus pro nobis execratio.* Qui enim alibi Christum ἀντίλυτρον, nempe *victimam piacularem* dixit (*i*), idem hoc in loco voce ἐξηγόρασεν vim ἀντιλύτρου illius exposuit. Ut hæc illius his in verbis sententia sit, ea nobis peccata omnia, quibus quidem in *Mosaico* fœdere nulla proposita fuit venia, per Christi vitam ἀντιλύτρου nomine pro nobis positam expiata esse, & remissa, nisi nobis ipsi deesse volumus. Quod idem dixit Apostolus ad Hebræos (*k*), ubi Christum mortuum esse monuit εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων, quippe quo dicto ea notare peccata voluit, quorum fœdus *Mosaicum* nullam promisit remissionem.

(*h*) *Gal.* 3. 13.

(*i*) 1 *Tim.* 2. 6.

(*k*) *Hebr.* 9. 15.

(l) *Contra Grot. c. 9. partic. 2.*

Quod autem contendit *Crellius* (*l*), talem fuisse inter nos & Christum commutationem, qualis est inter emptum & pretium; ad pretium autem non pertinere, ut pœnam vicariam pro empto subeat, id nullam prorsus vim habet. Etenim quando *pretii* nomen in victimâ piaculari ponitur, ita nomen illud intelligi debet, ut postulat talis victimæ ratio. Ex quo commutationem illam, quæ fuit inter nos & Christum (qui se propter peccata nostra pro victimâ piaculari dedit) talem fuisse intelligimus, qualis inter sontem quemque fuit, victimámque ipsius piacularem. Quæ commutatio ejusmodi erat, quâcum semper vicaria pœna conjuncta fuit.

(m) 1 *Jo.* 4. 10.

VII. His adde S. *Johannis* illa (*m*), *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum* ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν *propitiationem pro peccatis nostris.* Quo de loco ita agendum est, ut priùs quid sit concedendum, quàm quid statuendum doceamus. Primò itaque facilè concedimus voces ἱλάσκεσθαι & ἐξιλάσκεσθαι, etiamsi propriâ suâ vi idem, quod *placare* valeant, nonnunquam tamen idem valere, quod *expiare*, *lustrare*, & *ignoscere* (*n*). Quo fit, ut ἁμαρτίας ἐξιλάσκεσθαι Deus ipse à Syracide dicatur (*o*). Sed & illud etiam concedendum, quod כִּפֶּר dicitur ab Hebræis, id à S. *Johanne* ἱλασμὸν dici. Ut ἱλασμὸς περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν *peccatorum nostrorum expiatio sit.* Neque hoc denique diffitemur, Christum, ut Pontificem nunc in Cœlesti Sanctuario causam nostram apud Deum agentem, ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν,

(n) *v. 70 Interp. Deut.* 21. 8. 1 *Sam.* 3. 14. 2 *Reg.* 5. 18. *Dan.* 9. 24.

(o) — 34. 19.

μαρτιῶν, (p) & ἐξιλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας dictum esse (q). Quæ omnia licet ita sint, facilè tamen ex verbis modò positis, quod instituimus, efficietur. Primò enim Apostolum iis in verbis Christi mortem intuitum esse patet, quippe quâ ex re maximè eluxit summus ille, de quo in iis meminit, *amor Dei*, qui *Filium suum ἱλασμὸν pro peccatis nostris misit*. Quinetiam eum de morte Christi, ut de victimæ piacularis morte, iisdem in verbis meminisse constat. Hoc enim illa ipsa locutio, ἱλασμὸς περὶ τῶν ἁμαρτιῶν, docet. Quo dicto Christo, ejusque morti illud tribuit, quod talis victimæ proprium est, nempe *peccatorum expiationem*. Quæ peccatorum expiatio, quoties victimâ piaculari fiebat, pœnâ vicariâ facta erat. Ut modò positis Apostoli verbis hæc subjecta sit sententia; eò usque nos malè adhuc erga se affectos amâsse Deum, ut Filium suum peccata nostra pœnâ vicariâ expiatum miserit.

(p) 1 Jo. 2.2.
(q) Hebr. 2.17.

VIII. At enim cùm Deus Christum pro nobis morti dediderit, neque hoc ut faceret, ipsâ Christi morte adduci posset, (neque enim Christus morte suâ mereri potuit, ut ipse pro nobis moreretur) tanta erga nos, citra intuitum mortis Christi, benevolentia Dei fuit, ut, nullâ omnino mortis ejus ratione habitâ, nobis ignoscere judicari debeat. Quasi verò nobis benevolum esse idem sit, quod peccata remittere, ac quidem plenè & perfectè. Quod longè profecto secùs est. Deus enim universo hominum generi valde se benevolum præbuit tum, cùm Filium suum mitteret vitam ipsius pro iis positum, neque tamen omnibus eo tempore peccatorum remissionem dedit; nisi forte locutione

tione illâ non plenam illam & perfectam, de quâ nunc agimus remissionem (quæ nulli unquam tributa est, nisi qui sit idem verâ fide, & pietate sincerâ præditus) sed minùs perfectam intellexeris; quæ locum semper aliquem habet tum, cùm Deus eò usque, quo justè potest, jus suum non persequitur in peccatis hominum puniendis, quámque multò magis toties tribuere dici potest, quoties cuivis in peccatis hærenti ejusmodi quicquam elargitur, quod ad salutem illius pertinet. Quippe quâ in re peccati quædam transmissio cernitur, quæ in sacris literis, ut quibusdam visum est, (r) πάφεσις dicitur, Deíque ἀποχῇ debetur. Quanquam quædam sint & hujus quoque minùs perfectæ veniæ genera, quæ Christi morte impetrata sunt. Verùm hæc, ut clariùs patefiant, paulò latiùs explicari debent.

(r) *v. Grot. & Hammond ad Rom.* 3.25.

IX. Duplex itaque est (quod jam monuimus) peccati remissio. Altera quidem minus perfecta; Plenior autem & perfectior altera; quæ quidem sub fidei & pœnitentiæ conditionibus universo hominum generi patet, réque ipsâ jis omnibus datur, qui conditiones illas præstant. Minùs autem perfecta multiplex est. Prima scilicet, qua factum erat, ut pro universo humano genere Christum mori vellet Deus. Quæ quidem etsi morte Christi minimè impetrari potuit, nostrorum tamen peccatorum quædam omnino transmissio fuit. Neque enim Deus, si summum suum puniendi jus in nobis persequi voluisset, hoc ipsum nobis concessisset, ut Christus pro nobis moreretur. Atque huc quidam Apostoli illud referendum judicant (s), *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non reputans*

(s) 2 Cor. 5.19.

*tans illis delicta ipsorum.* Hoc est, non eò usque *reputans*, ut eò minùs Christum pro iis mori vellet. Altera autem erat minus perfecta peccatorum venia, quâ factum erat, ut Deus generis humani gratiâ vitiis ac peccatis obruti magna dederit Apostolis suis Spiritus Sancti incrementa, quibus freti ad æternam vitam viam nobis patefacerent. Verùm has afflatus divini opes (quemadmodum prius demonstravimus) mors Christi iis impetravit. Ita tamen, ut Deus his in opibus conferendis non tam ipsam pœnam vicariam in Christi morte intuitus videatur, quàm summam illam obedientiam, quâ se Christus morti obtulit. Atque huc *Grotius* Apostoli illud spectare judicat (*t*); *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei, justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Christus*, inquit, *per obedientiam suam, maximè in morte, & preces ei accedentes hoc à Patre obtinuit, ne is humanum genus gravibus peccatis immersum desereret, atque obduraret, sed viam illis daret ad justitiam perveniendi per Christum. Esaiæ.* 53. 4. *Hoc ipsum sicut vocatur remittere peccata, Luc.* 23. 34. *ita &* ἀπολυτροῦν, *aut* σωιεῖν λύτρωσιν, *Luc.* 1. 68. גאל, *aut* פדה, *id est liberare, nempe à necessitate moriendi in peccatis, viam patefaciendo, per quam exire ista liceret.* Quibus mox addit, viam illam per Apostolos patefactam fuisse; quibus utique Deus, ut prius dixerat, propter Christi preces, & obedientiam, quæ maximè in morte ejus emicuit, summas Spiritus Sancti opes dedit. Sed & tertia est minùs perfecta peccati venia, quam Deus singulis hominibus tribuit, quoties iis malè de se meritis

(*t*) Rom. 3. 24, 25.

non

non solummodo pœnitentiæ locum, viámque ad salutem non occludit, sed vires etiam opésque confert, quibus ipsi sibi nisi desint, vitam æternam consequantur. Qualis illa fuit peccati venia, quam S. *Stephanus* interfectoribus suis petiit (*u*), *Ne statuas illis hoc peccatum.* Eáque etiam, quam Christus ipsâ in cruce pendens se conviciantibus precatus est (*x*), Πάτερ ἄφες αὐτοῖς, *Pater remitte illis.* Ubi tamen non perfectam illam, quæ nulli nisi peccata sua verâ pœnitentiâ corrigenti datur, sed minùs perfectam malorum veniam iis petiit; qualis proximè demonstrata fuit. Quod veniæ genus quin Christi morte impetratum fuerit, nemini dubium fore arbitror, qui antè à nobis dicta perceperit. Nihil enim est, cur quis Apostolis ea Spiritus Sancti incrementa, quæ tam ad salutem aliorum, quàm ad suam ipsorum pertinebant, morte ejus impetrata judicet; neutiquam verò alia illa, quibus ad agendam pœnitentiam, vitámque suam corrigendam se quisquam divinitus adjutum senserit. Quibus ex rebus intelligitur, quantacunque Dei erga homines, citra intuitum mortis Christi, gratia, & benevolentia fuerit, nihilo tamen minùs tantùm abesse, ut cuiquam plenam & perfectam peccatorum remissionem tribuat nulla mortis ejus ratione habitâ, ut ne vel minùs perfectæ veniæ, nisi planè propter illius mortem, quædam saltem genera iis tribuat.

(*u*) *Act.* 7.60.

(*x*) *Luc.* 23.34.

X. Atqui cùm Deus Christo vitam sanguinémque dederit, quid aliud, inquies, esse potuit satisfactio ea, quæ ejusdem vitâ atque sanguine Deo reddito parta fuit, nisi commercium quoddam ludicrum, quo sibi Deus de suo dedit, sibíque satis

de

de ſuo fecit? Verumenimverò qui ita diſputant, ſuis ipſi ſeſe argutiis fallunt. Neque enim ipſam Chriſti vitam, ipſúmve ſanguinem ſatis Deo feciſſe dicimus, ſed ejuſdem vitam, ſive ſanguinem ſummis ipſius cum doloribus, ſummóque erga Deum obſequio fuſum. Quod quidem obſequium, ac quos dolores Chriſtus ſibi proprios habuit, iiſque Deo, ut rebus ſuis, ſatisfecit. Quibus adde, eos, qui apud inferos peccatorum omnium ſuorum pœnas ipſi in ſe luituri ſunt, pœnas eas luituros eſſe iis in corporibus, & animabus, quas Deus ipſe iis dederit. Neque eò magis futurum eſſe, ut ſudicri quicquam iis in ſuppliciis exiſtat. Atque hæc quidem hactenus.

XI. Sequuntur locutiones illæ, quibus Chriſtus ὑπὲρ aut περὶ ἁμαρτιῶν ἡμῶν *mortuus*, *datus*, aut *paſſus* dicitur. Quales hæ ſunt; *Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris* (*y*). *Chriſtus dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam* (*z*). *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris paſſus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo* (*a*). Quibus de locis ita judicandum eſſe arbitror, ut peccata noſtra mortis Chriſti *cauſa* ſint, quam *impulſivam* vocant, *finis* autem eorum expiatio. Quæ duæ cauſæ ita inter ſe cohærent, ut ubi altera explicatur, altera ſemper intelligi debeat. Id autem intereſſe videtur inter ὑπὲρ & περὶ in modo poſitis locutionibus, quod ὑπὲρ apertiùs finem deſignet, tacitè cauſam impellentem. Περὶ apertiùs cauſam impellentem, tacitè autem finem ſignificet. In eo autem inter ſe conveniunt particulæ iſtæ, quòd utraque quidem peccata noſtra mortis Chriſti cauſam impellentem,

(*y*) 1 Cor. 15.3.

(*z*) Gal. 1.4.

(*a*) 1 Pet. 3.18.

eorum autem expiationem ejusdem finem fuisse doceat. Id quod eò magis judico, quod eædem illæ locutiones & in sacrificiis piacularibus poni soleant, (quæ ὑπὲρ & περὶ ἁμαρτιῶν fieri (*b*) dicta sunt) & quotiescunque in iis ponuntur, peccati expiationem designent. Quo autem modo ac ratione Christus, ut victima piacularis, peccata nostra expiaverit, talis victimæ ipsa ratio docet. Nam victima quæque piacularis peccatum, de quo immolabatur, pœnâ vicariâ expiabat.

(*b*) *Hebr.* 5.1. & 7.27. & 10.18, 26. & 13.11.

Neque his repugnat, quod *Christus semetipsum pro peccatis nostris dedisse* dictus sit, *ut nos eriperet de præsenti sæculo nequam.* Enimverò Christus peccata nostra ita morte suâ expiavit, ut nos *à præsentis sæculi* vitiis eâ ipsâ quoque expiatione liberari & purgari vellet. Ut hoc in loco (ac quidem in altero S. *Petri* paulò antè indicato) duo proponantur mortis Christi fines. Quorum proximus est peccatorum nostrorum expiatio. Remotior autem hujus expiationis ipsius finis, quæ morte Christi facta fuit. Prior his in verbis continetur, *Christus mortuus est pro peccatis nostris.* Posterior in iis, quæ sequuntur, *ut nos eriperet de præsenti sæculo nequam* quam ad liberationem maximè valet expiatio voluntariâ morte Christi facta. Quippe quâ ex re & maxima spes peccatorum veniæ consequendæ, si Christo obsequium præstare volumus, & summus etiam & erga Christum, & erga Patrem, qui Christum dedit, existit amor, qui nos ad obsequium istud ducat (*c*). Unde intelligitur tantùm abesse, ut duo illi, quos jam posuimus, Domini nostri mortis fines sibi invicem repugnent, aut adversentur, ut maximè inter se conveniant. Id quod contrà omnino erit, si verbis

(*c*) 2 *Cor.* 5.14, 15. *Joh.* 14.23. 1 *Joh.* 5.3. *Col.* 1.21,22.

bis illis, *Christus mortuus est pro peccatis nostris*, hunc sensum dederis, nimirum Christum mortuum esse ad peccata nostra extinguenda. Cum enim verba continuò sequentia, *ut nos eriperet de præsenti sæculo nequam*, hanc eandem sententiam habent, si rem ita institueris, eadem sententia utrique dicto tribuenda erit: quod si ita sit, hic Apostoli sensus erit, Christum mortuum esse ad extinguendum peccata nostra, idque ut peccata nostra extingueret. Quæ inepta est, & frivola sententia.

Neque verò commodè dici possunt verba illa, quibus dicitur *Christus nostris pro peccatis mortuus*, nihil aliud, nisi generale illud designare, nempe Christum idcirco mortuum esse ut aliquid ageret, quod ad nostra peccata pertinebat; quid autem illud, & quale esset, declaratum esse in aliis illis, *ut nos eriperet de præsenti sæculo nequam*. Hæc, inquam, commodè dici nequeunt. Enimverò hæc si ita essent, redundarent planè verba illa, *pro peccatis nostris*, melitúsque dici potuisset, *Christum mortuum esse, ut nos eriperet de præsenti sæculo nequam*, sine verbis illis, *pro peccatis nostris*, interpositis. Deinde, quod alibi dixit Apostolus (*d*), *Christum mortuum esse pro peccatis nostris*, nullâ explicatione additâ, frigidum esset, & obscurum: Utpote quod nullam haberet sententiam aliam, nisi Christum ideo mortuum esse ut aliquid ageret, quod ad nostra peccata pertinebat. Quæ omnia contrà omnino erunt, si verbis illis, quibus dicitur *Christus nostris pro peccatis mortuus*, hanc sententiam tribuere velis, nempe Christum ideo mortuum esse, ut peccata nostra expiaret.

(*d*) 1 Cor. 15. 3.

XII. Reliquum est, ut locutiones eas (aliásque eis similes) explicem, quibus dicitur Christus ὑπὲρ ἡμῶν, aut ὑπὲρ πάντων, aut ὑπὲρ ἀσεβῶν mortuus. Quas quidem ejusmodi esse constat, (neque enim hoc dissimulandum) ut omnem mortis Christi vim ad salutem nostram pertinentem, tam eam scilicet, quâ extinguuntur, quàm, quâ expiantur peccata nostra, ipsæ per se designare queant. Quare singulis, in quibus occurrunt, locis ita intelligendas esse, ut loci cujusque ratio postulat. Quotiésque tulerit loci ratio, duplicem illam vim, de quâ meminimus, morti Christi tribuendam esse. Cujusmodi quidem locus est Apostoli
(*e*) C. 14. v. 15. iste ad Romanos (*e*), *Noli cibo tuo illum perdere*, (ὑπὲρ ὃν) *pro quo Christus mortuus est.* Quis enim dubitet, quin omnis mortis Christi vis, quæ ad salutem cujusque pertineat, hoc in loco designata sit? ea autem vis tam in extinguendis, quàm in expiandis peccatis cernitur. At *Petrus*
(*f*) 1 Pet. 2. 21. Apostolus ista scribens (*f*), *Christus passus est* (ὑπὲρ ὑμῶν) *pro vobis, vobis relinquens exemplum*, non tam vim piacularem, quàm æquabilem illam intuitus est gravium injuriarum patientiam, quæ maximè in morte Christi eluxit, eámque nobis imitandam proposuit. Jam verò ubi dixit S. *Paulus* Christum *semetipsum dedisse* ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, eam morti ejus vim tribuit, quam ea cum victimâ piaculari (ut antè docuimus)
(*g*) 1 Tim. 2. 6. communem habuit (*g*). Quod idem fecit &
(*h*) Mat. 26. 26. ipse Christus (*h*), ubi *sanguinem suum* (ὑπὲρ πολλῶν) *pro multis effusum iri* dixit *ad remissio-*

*nem*

*nem peccatorum.* Quæ omnia penitus qui perceperit, de aliis, his similibus, locis facilè judicare poterit, si modò satis cogitaverit, quid loci cujusque ratio tulerit.

XIII. His expositis, monere visum est rectè à Judæis statutum esse, victimas illas piaculares, quas imperavit Lex *Mosaica*, sontium in locum surrogatas fuisse; ut quæ idem pœnæ genus (nempe vitæ exitium) passæ fuerint, quo sontes ipsi liberati erant. Quod idem etsi verè ac rectè judicari nequeat de Iesu Christo, (ut qui non æterna illa cum desperatâ salute juncta, à quibus nos liberati sumus, supplicia tulerit) nihilo tamen minùs pœna illa, quam Dominus noster propter peccata nostra subiit, pœnæ vicariæ rationem habuit, eorúmque veniam impetravit, si Deo obtemperare volumus. Nihil enim refert in pœnâ vicariâ, (si ea pœnæ jus habenti satisfaciat) ejusdémne sit, an alius generis, atque ea, quâ reus liberatur.

Quî autem fit, ut mors Christi nos non liberet æternâ morte, nisi Evangelio obtemperemus, ex iis facilè intelligi potest, quæ de pœnâ vicariâ antè diximus. Cum enim nostra, (quod priùs dictum est) non Christi mors in legis sanctione posita sit, (legem autem naturalem illam dico, qua nocens quisque pœnam mereri judicatur) fit, ut mors ejus sanctionem illam per se ipsa delere nequeat. Fit etiam, ut eam ultrà, alitérve delere nequeat, ac quidem Deo visum fuerit. Deo autem sic visum est, ut nemini nisi verâ fide, &

pietate

pietate sincerâ prædito mors Christi ad peccatorum veniam, & vitam sempiternam valeat. Idque ipsum interest inter pœnam vicariam, suámque sontis cujusque propriam, quòd sua sontis cujusque pœna, si modo culpæ par sit, (quia ipsa in legis obligatione ponitur) legis ad pœnam obligationem per se deleat, & dissolvat. At pœna vicaria hoc non præstat nisi gratiam ejus impetrando, qui puniendi jus habet. Ex quo & illud intelligitur, nihil habuisse mortem Christi (licet pœnæ vicariæ rationem habuit) quod Dei gratiæ repugnavit. Siquidem gratiâ ejus fieret, ut Christus pro nobis moreretur, ac quidem ut illius mors ad peccatorum remissionem, vitámque æternam nobis valeat. Sed neque injuria ex morte Christi vel Dei in Christum, vel Christi in Deum ulla extitit. Siquidem Christus & sponte suâ vitam suam pro nobis posuit (*i*), & id faciendi jus habuit (*k*); quorum altero factum est, ut nihil à Patre contra Filium, altero autem, ut nihil à Filio contra Patrem hac in re iniqui fieret.

(*i*) Joh. 10. 18.
(*k*) Ibid.

Nec quid erit, cur qui peccatorum suorum pœnas in se ipsi tandem luent, injustè secum actum judicent, bísque puniri peccata sua, primúm in Christo, iterum in semetipsis querantur. Justè enim quisque pœnam luit, in quo obligatio ad pœnam valet. Quæ quidem ad pœnam obligatio in unoquoque adulto valet, quoad fœderis novi conditiones, fidem & obsequium Deo præstet. Neque enim pœna illa vicaria, quæ in morte Christi ipsius cernitur, ejusmodi est ut vel per se,

se, vel Patris, Filiíve instituto, ante præstitas conditiones illas, legis obligationem ad pœnam deleat. Ut quæ, quia vicaria est, non eandem per omnia rationem habeat, quam sua sontis cujusque propria; sed talem vim, ac rationem, qualis est ejusmodi conditionis, quâ sibi Deus satisfieri, quâ summam suam sanctitatem, odiúmque erga peccata nostra nobis omnibus demonstrari voluit. Qualis pœna etsi aliam quidem quibusdam in rebus rationem habeat, ac sua sontis ipsius propria, eodem tamen, quò ista, pertinet; nempe ad faciendam, & conservandam legum Sacrarum reverentiam.

DE

# DE
# Oblatione Chriſti in Cœlo.

## CAP. VII.

*De eâ Oblatione, quâ ſe Chriſtus, ut victimam piacularem pro peccatis noſtris ante cæſam, Deo in cœlo offerebat. Ubi Chriſtum illud præſtitiſſe ita erga nos affectum, ut & nos ac noſtra generatim, & ſpeciatim preces noſtras Deo continuò commendaverit, multis argumentis docetur; & vera etiam explicatur interceſſionis ejus ratio.*

I. EXplicatâ Chriſti, ut victimæ piacularis, morte; deinceps de oblatione ejus mortem ſecutâ agendum eſt. Neque enim dubium, quin Ieſus Chriſtus, Pontifex noſter immortalis, in cœleſte ſanctuarium ingreſſus, ſeſe, ut victimam piacularem pro peccatis noſtris ante cæſam, in cœlo ipſo Deo obtulerit. Quippe quod primò per ſe ipſum ſatis patet; niſi quis forte Dominum noſtrum vel victimæ piacularis nomine pro peccatis noſtris cæſum fuiſſe negare velit, vel coram ſolio *Majeſtatis* Divinæ eo nomine ſe ſtitiſſe. Quorum neutrum ſine maximâ vi ſacris literis illatâ negari poteſt. Sed & idem indicat Chriſti, ut

ut victimæ piacularis, typorum clarissimorum ratio; siquidem earum victimarum sanguis, quæ Christum, ut victimam piacularem, præ quàm reliquæ adumbrabant, in adyto intimo offerretur cœli supremi simulachro. Idem denique docet Apostolus ipse ad Hebræos. Quippe qui de Christi oblatione ita meminit (*l*), ut neque mortem, neque resurrectionem, neque ascensum ejus in cœlum inter eam, & sessionem ejus ad dextram Dei interposuerit. Unde intelligitur hanc sessionem continuò oblationem illam, de quâ sic meminit, secutam esse. Verùm hac de re eò minùs laborandum, quòd Christum, ut victimam piacularem pro peccatis nostris antè cæsam, Deo in cœlo oblatum fuisse non solum ultro fateantur, verùm etiam summâ vi contendant omnes *Socini* sectatores.

(*l*) *Hebr.* 10. 12.

II. Videamus itaque, quod hujus loci proprium est, quo se animo Dominus noster Patri suo in cœlo obtulerit. Quâ maximè in re *Socini* discipulos errare judico. Neque enim dubitare licet (quod tamen negant illi omnes) quin Dominus noster id præstiterit ita omnino animo paratus atque ita erga nos affectus, ut & Nos, ac nostra generatim, ac speciatim preces nostras Deo continuo commendaverit. Quorum utrumque adumbravit summus Judæorum Sacerdos unoquoque expiationis die. Generale illud, dum, populi sui Deo commendandi causâ, victimarum piacularium sanguinem in intimo illo adyto spargeret, quo cœlum ipsum adumbrabatur. Alterum, dum suffitum sacrum Deo ibidem adoleret, ut precum populi sui symbolum, eóque ritu preces illas Deo

συμβολικῶς offerret. Illa tamen inter *typos* illos & *antitypos* interfuisse constat. Primò quòd Pontifex Judæorum non ipsa victimarum corpora, sed sanguinem tantùm (ceu earum animas) intimo interret Templi adyto. Christus autem, Pontifex noster, non animam tantùm victimæ pro nobis immolatæ, sed & corpus etiam in cœlum intulerit adyto isto adumbratum. Deinde quòd Pontifex Judæorum suffitum sacrum Deo adolens συμβολικῶς, ut modò diximus, populi preces ei offerret. Christus autem nostras, sine symbolis ullis interpositis, Deo nunc in cœlo commendet; idque (ne forte hoc mirere) dum vult, ut Deus preces istas gratas habeat mortis ipsius ratione habitâ.

III. Jam hæc etiamsi ejusmodi fiat, ut per se ipsa satis constare videantur, quibus tamen *Socinum* sequi placet, hi de oblatione illâ, quâ se Christus in cœlesti sacrario Deo obtulit, longè quidem aliter judicant. Ut qui, licet eam sic desiniant, ut sit *ingressus ejus in cœlum cum curâ salutis nostræ conjunctus*, hanc tamen salutis nostræ curam circa nos totam versari statuunt; nec Christo vel, ut Pontifici nostro, ejusmodi munus ullum relinquunt, quo vel nos ac nostra generatim, vel speciatim preces nostras Deo commendare dici possit. Quæ duo nos à Christo fieri cùm judicemus, operam dabimus, ut utrumque, ac quidem primò separatim, deinde conjunctè, demonstremus.

Jam prius illud, nempe Christum ita sese Deo in cœlesti sacrario obtulisse, ut nos ac nostra ei continuò commendaverit, eúmque nobis maximè pro-

propitium fore vellet, tum illa ipsa locutio docet, quâ se Deo in cœlo *obtulisse* dicitur (*m*), tum ratio muneris Sacerdotalis, (cujus utique muneris oblatio illa, quæ cædem victimæ sequebatur, ministerium semper proprium fuit) ac denique ipsæ sacræ literæ. (*m*) *Hebr.* 9. 14. & 10. 12.

Etenim primò, qui quid Deo offerre dicitur, is cum Deo rem habere, idque agere quod circa Deum versatur, hoc ipso dicto declaratur. Unde constat Christum sese, ut victimam piacularem pro peccatis nostris antè cæsam, Deo in cœlo offerentem ejusmodi præstitisse munus, quod circa Deum versabatur. Quorsum autem munus id spectabat, ratio ipsa talis victimæ docet; ut quam, quia piacularis erat, eò pertinuisse pateat, ut Deus, ejus ratione habitâ, nobis propitius esse vellet. Quod si Christus, Pontifex noster, cœleste Sacrarium sic intrâsset, ut nihil agere voluisset, quod circa Deum versaretur, nihil omnino extitisset, cur se Deo ibi obtulisse dictus esset. Quorsum enim se ei *obtulisse* dictus esset, quicum negotii nihil habuit?

Præterea cùm oblatio illa, quæ victimæ cædem sequebatur, Sacerdotis munus proprium esset, cúmque omnis Sacerdos ita semper (nisi officio suo deesset) sacra faceret piacularia, ut Deum cuperet populo suo propitium fore; efficitur Christum, Pontificem nostrum, (cujus erga nos in Pontificatu summa fides est, & benevolentia) ita se, ut victimam piacularem pro peccatis nostris priùs cæsam, Deo in cœlo obtulisse, ut nos ac nostra ei continuò commendaverit, eúmque nobis maximè propitium fore vellet.

(*n*) *Hebr.* 9. Idem illa Apostoli ad Hebræos docent (*n*); *Non enim in manufacta sancta Iesus introivit, exemplaria verorum; sed in cœlum ipsum, ut appareret nunc vultui Dei pro nobis: neque ut sæpe offerret seipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno, &c.* Ubi duæ istæ locutiones, *Dei vultui pro nobis apparere*, & *semetipsum* Deo *offerre* unam omnino rem designant aliter atque aliter consideratam. Prior illa scilicet ut continuatam, ut inchoatam autem altera. Quod unum discrimen si exceperis, eadem vis, eadem sententia utrique locutioni inerit. Jam prior locutio per se ipsa satis patet. Quando enim Apostolus *Dei vultui Christum apparere* dixit, ejusmodi munus Christo tribuit, quod proximè circa Deum versatur. Quorsum enim eum, nisi quid agat, quod Deum respicit, proximéque circa eum versatur, *Dei vultui apparere* dixit? Quando autem eum Dei vultui *pro nobis* apparere dixit, munus illud ejusmodi esse monuit, quo nos Deo commendati sumus. Quod munus uti nunc exequitur Pontifex noster apud Deum, ita quidem exequi incipiebat, utprimùm coràm apud eum in cœlesti sacrario *appareret*, hoc est, eodem illo tempore, quo sese Deo *offerebat*. Ut si nos Deo nunc commendat *vultui ejus apparendo*, idem se *in cœlo offerendo* præstare cæperit necesse sit.

IV. Neque verò minus apertè liquet ita sese Christum Deo in cœlo obtulisse, ut preces, & desideria nostra ei continuò commendaverit. Sicut enim Pontifex Judæorum Pontificis nostri Iesu Christi umbratilis quædam imago fuit, intimúmque

que Templi sacri adytum cœli ipsius simulachrum; ita etiam suffimenta sacra utroque in adyto adoleri solita Ecclesiæ preces adumbrabant. Ita quippe factum, (neque enim aliter fieri potuit) ut sacra illa suffimenta (uti signum rei significatæ sæpissimè nomen habere solet) *sanctorum preces* appellarentur (*o*). Ita fit, ut hæ sanctorum preces ex *arâ auratâ* offerri dicantur (*p*). Quippe quâ in arâ suffimenta sacra, quæ precum earum symbolum erant, Deo quotidie adolebantur. Ita factum, ut *David* preces suas cum iisdem illis suffimentis, ut significatum cum signo, conferret (*q*). Eadémque denique causa fuit, cur populus Judaicus in atrio suo preces suas tum perageret, cùm Pontifex precum earum symbolum, sacra utique suffimenta, Deo in Templo admovebat (*r*). Quippe quo ritu populi preces eodem tempore fundi solitas Deo Συμβολικῶς offerebat. Siquidem quod fit in rei symbolo, in ipsâ re Συμβολικῶς fiat. Quamobrem, cùm Pontifex Judæorum Pontificem nostrum Iesum Christum, cùm adytum intimum supremum cœlum, cùm denique sacra suffimenta Sanctorum preces adumbrarent, fieri non potuit, quin Pontifex iste Judæorum hæc eadem sacra suffimenta in adyto intimo Deo adolens Pontificem nostrum adumbraret Ecclesiæ Christianæ preces Deo nunc in cœlo commendantem. Quibus ex rebus intelligitur, nihil valere id, quod *Crellius* contra sententiam nostram affert (*s*), nempe Pontificem Judæorum nullas in intimo Templi adyto Deo adhibuisse preces, quibus preces nostras Deo à Christo in cœlesti sacrario

(*o*) *Apoc.* 5.8.
(*p*) *Apoc.* 8.3.
(*q*) *Ps.*141.2.
(*r*) *Luc.* 1.10.
(*s*) *Contra Grot. c.*10.*partic.*54.

rio commendatum iri significaret. Hoc enim eo ipso in adyto Pontificem tum præstitisse patet, (licet ibi preces nullas edidit) cum ibi Deo solenni ritu sacrum suffitum offerebat, ut precum populi sui *symbolum*. Sicut enim ille Συμβολικῶς preces populi Deo obtulit; ita Christus nostras, abjectis omnium symbolorum umbris, reipsa Deo nunc commendat. Unde illa *Origenis* contra *Cel-*

(t) Lib. 8. p. 386. Edit. Cantabr.

*sum* (t), Τὸν ἕνα Θεὸν, καὶ τὸν ἕνα υἱὸν αὐτοῦ, καὶ λόγον καὶ εἰκόνα τοῦτον τὸν λογικὸν ἡμῖν ἱκεσίαις καὶ ἀξιώσεσι ζέβομεν, προσαγόντες τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὰς εὐχὰς διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ, ᾧ φῶτοι προσφέρομεν αὐτὰς, ἀξιοῦντες αὐτὸν, ἱλασμὸν ὄντα (περὶ) ἁμαρτιῶν ἡμῶν, προσαγαγεῖν ὡς Ἀρχιερέα καὶ εὐχὰς, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τὰς ἐντεύξεις ἡμῶν τῷ ὑπὲρ πάντα Θεῷ. *Unum Deum, & unum ejus Filium, ac Verbum imaginémque, quantum possumus, precibus & honoribus veneramur; adhibentes rerum universitatis Deo preces per Unigenam suum, cui prius eas offerimus; rogantes ut ipse, qui peccata nostra expiat, dignetur, ut Pontifex, preces nostras, & sacrificia, & supplicationes rerum universitatis Deo offerre.*

De

## *De Interceſſione Chriſti.*

V. Hactenus Chriſtum, dum ſeſe, ut victimam piacularem pro peccatis noſtris ante cæſam, Deo in cœlo offerebat, tum nos ac noſtra generatim, tum ſpeciatim preces noſtras Deo commendaſſe ita docui, ut his de rebus (quia ſic in typis, ut antè monui, comparatum fuit) ſeparatim egerim. Nunc, quod antè propoſitum fuit, utrumque conjunctè demonſtrandum. Quod quò faciliùs perficiamus, meminiſſe oportet (id quod concedit ipſe *Crellius*) *oblationem* illam, quâ ſe Chriſtus ut victimam pro peccatis cæſam coram Deo in cœlo ſtitit, ab illo noſtri patrocinio, quod aliàs ejus *interpellatio*, aliàs *interceſſio* dici ſolet, reipſa minimè diſcrepaſſe. Erat enim *oblatio* illa, quatenus operis Sacerdotalis cum ſalutis noſtræ curâ conjuncti rationem habuit, interpellatio *inchoata*. Eſtque etiam *interpellatio* iſta oblatio eadem *continuata*; res ipſa utrobique eadem. Utraque enim eadem locutione effertur, eâ nimirum, quâ Pontifex noſter *vultui Dei pro nobis apparere* dicitur (*u*). Ut & *Crellii* iſta vera ſint (*x*), *Noſtri Pontificis & oblatio, & apparitio, quemadmodum & interpellatio, nempe ſi apparitio & interpellatio non pro nudo Chriſti ad Patrem adventu, ſed, ut hic fieri debet, cum ſalutis noſtræ curâ conjuncto accipiatur, reipſa idem ſunt.* Quæ cum ita ſint; id, quod propoſui, efficietur, ſimul atque Chriſtum Pontificem noſtrum ita Deum pro nobis *interpellare* demonſtravero, ut apud eum hac in re patroni noſtri munere fungatur. Neque enim quiſquam dubitaverit,

(*u*) Hebr. 9. 24.
(*x*) ad Hebr. 9. 24.

verit, quin id Patroni munus sit, ut quos in clientelâ habet, eos, & eorum desideria his commendet, quibus hoc ut fiat, clientium suorum interfuerit.

VI. Jam verò Christum ità Deum pro nobis *interpellare*, ut apud eum hac in re Patroni nostri munus obeat, clarè docent locutiones istæ, quibus illius in sacris literis *interpellatio* designatur. Ejusmodi est S. *Johannis* dictum illud (y), *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & siquis peccaverit,* (Παράκλητον) *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Jam Græcis ille παράκλητος dicitur, qui ut *Advocatus*, seu *Patronus* alterius apud alterum causam agit. Quod satis docent *Demosthenis* illa, quibus Παρακλήτων pro clientibus δήσεις καὶ σπουδαὶ *supplicationes & studia* commemorantur (z). *Philo* quidem *Judæus ipsum mundum*, Pontificis vestibus adumbratum, *Dei filium*, & παράκλητον (a) dixit. Ut quem à Pontifice rite vestito, ut socium quendam *Advocatum*, in ædem sacram συμβολικῶς introductum putârit. Quod utrùm rectè, an secus dixerit, ad id, quod agimus nihil interest. Illud unum nostra refert, quo sensu mundum παράκλητον apud Deum vocârit. Id quod ipsius ex verbis patet; Ἀναγκαῖον γὰρ ἦν τὸν ἱερωμένον τῷ θεῷ κόσμῳ παρὰ Παρακλήτῳ χρῆσθαι πλειστάτῳ τιμῇ ἀρετῆς ὑπὲρ τε ἀμνηστείας ἁμαρτημάτων, καὶ χορηγίας, ἀφθονωτάτων ἀγαθῶν. *Necessarium erat, qui Patri mundi consecratus fuit,*

(y) 1 Joan. 2. 1.

(z) De falsâ legatione.

(a) De vita Mosis lib. 3.

*fuit*, ( nempe ſummus Judæorum Sacerdos ) *is ut Filium*, ( mundum ſcilicet ) *virtute perfectiſſimum*, *Advocatum adhiberet ad peccatorum remiſſionem*, *bonáque uberrima impetranda.* Ex quibus intelligitur, id παράκλητος apud Deum, *Philonis* judicio, munus eſſe, ut Dei erga hos, quorum eſt παράκλητος, gratiam, & benevolentiam impetret. Quo fit ut mundum, quem hoc in loco παράκλητον vocat, & *Dei Filium*, alibi unà cum Pontifice Θεῷ συλλειτουργεῖν *Deo ſupplicare* dicat (*b*). Eandem quoque vim, ac ſenſum voci παράκλητος, è Græco in ſermonem ſuum adſcitæ, Targumiſtæ tribuunt, & Talmudiſtæ, quod hac in cauſâ plurimùm refert. Cùm enim voces peregrinas ſuum in ſermonem qui adſciſcunt, earum quandoque vim ac ſenſum aliquantùm immutare ſoleant; fit, ut quæ ſit apud Scriptores ſacros (qui ipſi quidem Hebræi erant) vocis Græcæ vis, ac uſus, rectiùs nonnunquam è Judæis, quàm è Græcis ipſis intelligi queat. Jam verò quæ ſit vocis παράκλητος apud Judæos vis, ac ſenſus, Targumiſtæ illa in *Iobum* docent (*c*), quibus voci פרקליטא, Græcè Παράκλητος, vocem קטיגור, Græcè ſcilicet κατήγορος, opponit. Quæ vox cùm *accuſatorem* deſignet, altera illa, nempe Παράκλητος *Patronum* ſignificet neceſſe eſt.

(*b*) *De monarchia, lib.2.*

(*c*) *c.33.v.23.*

Sed & eadem vox idem apud Talmudiſtas valet; ut iſta ex *Pirke Aboth* indicant (*d*); העושה מצוה אחת קונה לו פרקליט אחד והעובר עבירה אחת קונה לו קטיגור אחד *Qui uni præcepto ob-*

(*d*) *Cap. 4.*

*sequium præstat, unum sibi parat* Παράκλητον. *Et qui unum in se peccatum admittit, unum sibi* κατήγορον *parat.* Ubi voces istas, פרקליט, & קטיגור,

(e) *Ibid.* ita explicat *Moses* Ægyptius (*e*), פרקליט הוא המליץ טוב על אדם למלך קטיגור הוא הפך והוא המלשין אדם למלך ומשחרל להמיתו Quæ quidem, si ea sic verti velis, ut cuique quodque verbum respondeat, ejusmodi erunt. Παράκλητος *bonus est pro homine apud Regem orator.* κατήγορος *contrà orator est, qui hominem apud Regem accusat, & operam dat, ut eum perdat.* Hoc est, Παράκλητος *Patronus* est, κατήγορος autem *accusator.* Quò eodem spectant, ista *Obadiæ de Bar-*

(f) *Ibid.* *tenora* (*f*), פרקליט מלאך.מליץ טוב קטיגור מליץ רע Παράκλητος *Angelus Patronus est,* κατήγορος *autem accusator.*

Ac quoniam Patroni munus est clientis salutem, & desideria ita judici commendare, ut alterius erga alterum gratiam impetret, fit, ut sacrificia piacularia, fit etiam, ut omnia rectè facta, quasi Dei gratiam conciliantia, *Patroni* apud Deum ap-

(g) Zebachim fol. 1,2. pellentur (*g*), חטאת לשם באה לשם לכפר אלא לשם באה לפני לעולה לפרקליט שנכנס דורון אחריו *Quorsum fit Sacrificium pro peccato dictum? Quorsum fit? ad expiandum. Sed quorsum fit ante holocaustum?* ut sit παράκλητος *ante donum.*

(h) *Ibid.* Quæ sic explicat *R. Solomon Jarchi* (*h*), עולה דורון היא אינה באה לכפר על עשה כפרה מפש אלא אחר שכפרה החשובה על מעשה באה להקבלת פנים כאדם שסרח במלך וריצה עי פרקליטין וכשבא להקביל פניו מביא דורון ביד *Holocaustum doni rationem*

*tionem habet, neque ideo offertur, ut perperam factum propriè expiet; sed ut offerens in conspectum Dei veniat, postquam perperam factum pœnitentiâ expiavit. Ut cùm quis Regi rebellavit, eúmque placavit per* παράκλητος, *illius in conspectum rediens donum secum in manu affert.* His adde illa ex *Bava Bathra* (*i*), כל צדקה וחסד שישראל עושין בעולם הוה שלום גרול ופרקליטין נדולין בין ישראל לאביהם שבשמים *Omnis hoc in mundo Israelitarum beneficentia & bonitas magnum iis est præmium, & magni* παράκλητοι *apud Patrem ipsorum, qui est in cœlo.* Quibus paria sunt, quæ in codice *Schabbath* de futuro judicio disseruntur (*k*), אם יש לו פרקליטין נרולים נצול ואם לא ואינו נצול ואלו הן פרקליטין אל אדם חשובה ומעשים טובים *Si magnos habeat quis* παράκλητος, *absolvitur; sin minùs, non absolvitur. Hi autem* παράκλητοι *cujusque sunt, pœnitentia, & bona opera.* Ex quibus patet, vocem פרקליט, Græcè παράκλητος, quacunque in re, vel in personâ, ac quidem quomodocunque positam, sive propriè scilicet, sive metaphoricè, eum solere apud Talmudistas habere sensum, ut cui παράκλητος apud Deum nomen datur, ejus ea vis, & opera sit, quâ quis Dei benevolentiæ ac misericordiæ commendatur. Quam eandem voci eidem vim ab *Origene* tributam esse constat (*l*), *Fortassè*, inquit ille, *propterea* Moses *scribitur interveniisse pro peccatis populi prioris, & impetrasse veniam, ut multò magis nos confidamus, quòd Advocatus noster Iesus indubitatam nobis veniam impetralit à Patre: si tamen convertamur ad eum, & non recedat retro cor nostrum.*

(*i*) Fol. 10.1.

(*k*) Fol. 32.1.

(*l*) Homil. 8. ad Numer.

*Sicut* & Johannes *in Epiſtolâ ſuâ dicit. Hæc autem dico Filioli, ut non peccetis. Quod & ſi peccaverit aliquis veſtrum, habemus Advocatum apud Patrem Ieſum juſtum, qui interpellat pro peccatis noſtris.*

VII. At enim ipſe Spiritus Sanctus, quem nemo nos, ut patronum noſtrum, Deo commendare dixerit, παράκλητος dicitur in ſacris literis (*m*). Rectè quidem. Sed eâ de cauſâ παράκλητος dicitur, quia ut in Apoſtolis loquens inducitur, eorúmque apud *Proceres*, & *Reges* cauſam agens (*n*). Ut vel hinc apertè pateat, (licet is παράκλητος metaphoricè quidem dici poſſit, qui, quid reſpondeat accuſatoribus, cuivis dictet; quod Spiritus Sanctus Apoſtolis fecit, ideóque in iis loqui dictus eſt) eum propriè παράκλητον dici, qui per ſeipſum, non dictando, alterum apud alterum defendit. Nobis autem ita oracula ſacra explicare placet, ut quoties tulerit & locorum, & rerum quoque ipſarum ratio, proprium vocis cujuſque ſenſum arctè ſemper teneamus. Quod niſi fiat, patebunt profecto ſacræ literæ leviſſimi cujuſque vanis commentis & argutiis, nec quid certi & explorati ex eis unquam concludi poterit. Jam verò, ut ad propoſitum redeam, ut vox παράκλητος in Chriſto à S. *Johanne* poſita (*o*) *Patronum* ſeu *Advocatum* deſignet, cujus opera circa Deum verſatur, optimè patitur loci ratio, & planè flagitat ratio rei. Chriſtus enim ita eſt παράκλητος, ut idem quoque Sacerdos ſit. Sacerdotis autem officium eſt ſuos, & ſuorum omnia, Patroni more Deo commendare. Quippe cujus maximè proprium munus (quod latius alibi de-

(*m*) *Jo.* 14. 16, 26. & 15. 26. & 16. 7.

(*n*) *Mat.* 10. 18, 20.

(*o*) 1 *Jo.* 2. 1.

demonstravimus) proximè circa Deum versatur. Atque hæc hactenus: nunc ad eorum reliqua progrediamur, quæ ad institutum nostrum pertinent.

VIII. Ejusmodi sunt Apostoli illa ad Hebræos (*p*), *Hic autem, eò quòd manet in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν ad interpellandum pro eis.* Ejusmodi sunt & illa quoque S. *Pauli* (*q*), *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui justificat. Quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est; qui & resurrexit, qui est ad dextram Dei, ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν, qui etiam interpellat pro nobis.* Jam verbis his, quibus dicitur Christus ἐντυγχάνειν ὑπὲρ ἡμῶν, hæc subjecta est sententia. Christum nunc ut *Patronum nostrum causam nostram apud Deum agere.* Id quod vocis ἐντυγχάνειν usus cum voce κατὰ conjunctæ docet. Siquidem ἐντυγχάνειν κατὰ idem semper quod *accusare* valeat. Hunc sensum habet hæc locutio, ac quidem apud eum Apostolum, qui Christum pro nobis ἐντυγχάνειν dixit. *An nescitis,* inquit (*r*), *in Eliâ quid dicit Scriptura, ὡς ἐντυγχάνει τῷ Ἰσραὴλ, dicens, Domine Prophetas tuos occiderunt, Altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.* Ubi ἐντυγχάνειν τῷ Ἰσραὴλ (uti loci ipsius ratio docet) idem est, quod *Israelem accusare.* Eademque inest eidem locutioni sententia in his Romanorum ad *Demetrium* (*s*), ἐὰν οὖν ἐπιτύχωμεν τοῦ

(*p*) Hebr. 7. 24, 25

(*q*) Rom. 8. 33, 34.

(*r*) Rom. 11. 2.

(*s*) 1 Machab. 8. 32.

Si

*Si te deinceps accusaverint* Judæi, *adversum te faciemus illis judicium.* Sic & *Jonathanis* apud *Demetrium* (*t*), & *Alexandrum* (*u*), *accusatores* ἐντυγχάνειν κατ' αὐτῶν dicti sunt. Eademque denique locutione eodem sensu usus est *Alexander* proceres suos ita allocutus. Κηρύξατε μηδένα ἐντυγχάνειν κατ' αὐτοῦ περὶ μηδενὸς πράγματος, *Edicite, nequis eum ullius rei deinceps accuset.* Cum itaque ἐντυγχάνειν κατ' contra ac ἐντυγχάνειν ὑπὲρ valeat, sicut illud *accusatoris* est, ita hoc *Patroni* sit necesse est. Ut ubi Christus ἐντυγχάνειν ὑπὲρ ἡμῶν dictus est, ejusmodi munus ei detur, quod propriè ad *Patronum* pertinet.

(*t*) 1 *Macbab.* 11. 25.
(*u*) 1 *Macbab.* 10. 61.

IX. Neque tamen dissimulandum est, *ipsum* etiam *Spiritum* dictum esse ὑπερεντυγχάνειν ὑπὲρ ἡμῶν, (*x*) & ἐντυγχάνειν ὑπὲρ ἁγίων (*y*). Verùm aliter profecto *Spiritus* ille, aliter Christus Deum interpellat. *Spiritus* ille, ut Domesticus quidam Advocatus, qui quidem preces ad Deum dictat. Christus, ut cœlestis Patronus, qui coràm apud Deum apparens, & ad dextram solii ejus assidens, preces nostras Deo commendat. Ut locutio illa multò minus propriè in Spiritu illo, quam in Iesu Christo posita sit. Id quod & ratio rei indicat. Sicut enim Sacerdotis munus proprium hominum est apud Deum patrocinium; ita etiam Christus sic, ut Sacerdos, Deum pro nobis interpellat. Idque Apostolus ad Hebræos disertè & explicatè docet (*z*), *Hic autem*, inquit, *eo quod manet in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum,*

(*x*) *Rom.* 8. 26.
(*y*) *v.* 27.
(*z*) *Hebr.* 7. 24, 25.

*Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro eis.* Quanquam quidem (quod minimè prætereundum) S. *Chryſoſtomus* verba iſta, quibus *Spiritus ille Deum pro ſanctis interpellare* dicitur, ita intelligi debere judicet (*a*), ut non deſignent *Spiritum Sanctum* alibi παράκλητον appellatum, ſed ipſum orantis cujuſque Spiritum afflatu divino ita motum, ut quæ Eccleſiæ uſui eſſent, ea precibus ſuis impetraret. Quod ſi verum ſit, nihil in ſcriptis vel profanis, vel ſacris reperiri poſſe arbitror, quod noſtram de verbis eis ſententiam, quibus quis pro altero ἐντυγχάνειν dictus ſit, vel ſpecie tenus labefactet.

(*a*) *ad Rom.* 8. 26, 27.

Quum Chriſtus itaque (ut nunc demum rationem ante propoſitam concludam) ita Deum pro nobis interpellet, ut hac in re Patroni noſtri apud eum munere perfungatur, ideoque, quod Patroni eſt, nos ac noſtra ei commendet; Quum ita etiam ſeſe ut victimam piacularem pro peccatis noſtris antè cæſam in ſacrario cœleſti Deo obtulerit, ut oblatio hæc reipſa ab interpellatione illâ non differret, ſanè quod de earum rerum alterâ, idem de alterâ judicandum eſt. Ut ſi Chriſtus Patroni munus apud Deum obeat, dum eum pro nobis interpellat, idem munus obire cœperit neceſſe ſit, ut primùm ſeſe Patri ſuo in cœleſti Sanctuario obtulerit.

X. Hæc itaque cùm ita ſint, facilè intelligi poſſe arbitror quî fit, ut Chriſtus apud Patrem in cœleſti ſacrario vitam degens *peccata noſtra expiare* dictus ſit (*b*). Id enim præſtat, dum nos, ac noſtra, & in his maximè preces illas, quibus & peccatorum remiſſionem, & vires etiam illas petimus, quibus

(*b*) 1 *Jo.* 2. 2. *Hebr.* 2. 17.

quibus freti Deo pareamus, eorúmque veniam consequamur, ut Pontifex noster Deo commendat. Id-
(c) Heb. 4. 15, 16. que ipsum est, quod monet Apostolus ad Hebræos (c), *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiduciâ ad Thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Neque alterum illud diffitemur, Christum in cœlo nunc degentem idcirco quoque dici posse peccata nostra expiare, quòd quæ auxilia, ut victima, & Pontifex impetraverit, ea (quo tam peccata ipsa, quam eorum pœnas evitemus) ut Rex cœlestis nobis suppeditet. Imò verò quòd potestate suâ & ipse quoque peccatorum veniam nobis tribuat. Quâ eadem de causâ Deus etiam ἁμαρτίας
(d) Sapient. Sirac. c. 34. v. 19. (e) 1 Jo. 1. 9. ἐξιλάσκεσθαι (d), & καθαίζειν (e), hoc est, *peccata expiare* dicitur.

(f) Job. 16. 26, 27. XI. Jam Christi illa (f), *In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos, quia vos me amâstis*, Illa, inquam, (quod monendum est) non sunt perinde intelligenda, ac si dixisset Dominus noster se, postquam cœlum ingressus esset, nunquam deinceps Apostolos suos Patri suo commendaturum esse. Aliud enim est, *dico me pro vobis non rogaturum esse Patrem*, aliud autem, *non dico vobis me Patrem pro vobis rogaturum esse.* Hoc dixit Christus, non prius illud. Quorsum enim illud valuisset? Num eò fortè, (quod sibi Christus hîc propositum fuit) ut Apostolis suis fidem faceret, fore, ut omnia impetrarent, quæ ipsius nomine à Deo peterent? imò aliò planè pertinuissent. Quo enim minùs preces suas Patri à Christo commen-

mendatum iri iis sperare licuisset, eò minùs sperandum fuisset preces suas exauditum iri. Unde modò positis Christi verbis hanc sententiam inesse patet. Illud in præsentiâ prætereo, me, postquam hinc in cœlum abiero, vos Patri meo commendaturum; Nam majus quoddam ad solatium vestrum nunc propono, *Patrem ipsum, quia me amâstis, suâ vos ipsius sponte amare*: Ut nihil sit cur dubitetis, quin quæ ab eo in meo nomine petieritis, ea statim impetraturi sitis. Solet utique Christus, ubi de rebus duabus agit, alteram quasi præterire, nonnunquam in speciem removere, (quam re tamen ipsâ non removet) ut eò magis alteram illustret, & amplificet. Id quod in his fieri constat (*g*), *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.* Quibus etiam illa ejusdem adde (*h*), *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem, est qui accusat vos* Moyses, *in quo speratis. Si enim crederetis* Moysi, *crederetis utique & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Ubi non negat infideles Judæos ipsius ex dictis & accusandos, & quidem condemnandos esse (hoc enim fore alibi explicatè (*i*) affirmat) sed, quod Judæi nunquam futurum existimabant, eos ex ipsis *Mosis* scriptis planè condemnatum iri docet. Quæ eadem est verborum modò positorum ratio. Quippe in quibus non negat Christus se Patri suo Apostolos commendaturum esse, sed tantam erga eos esse monet Patris sui benevolentiam, ut quæ ab eo ipsius nomine precarentur, ea facilè consecuturi essent. Quod idem fere *Zegeri*, *Grotii*, & *Menochii*, inque aliis multis, *Jacobi Capelli* hoc de loco judicium est.

(*g*) Joh. 12. 44.

(*h*) Joh. 5. 45. 46, 47.

(*i*) Joh. 12. 48.

XII. Hactenus perſecuti ſumus Sacrificii Chriſti ſingulas antè propoſitas partes. Quarum prima fuit oblatio illa, quâ ſe pro victimâ piaculari morti dedidit. Altera autem mors ipſa. Tertia denique oblatio iſta, quâ ſe, ut victimam piacularem pro peccatis noſtris antè cæſam, in ſacrario cœleſti Deo obtulit. Quas partes etſi nobismet ipſis rectè ſtatuiſſe videamur, qui tamen ſecus judicaverit, ut ſibi libuerit, rem inſtituat, modò hac in re inſtituendâ tria ſemper arctè tenere velit. Quorum *primum* eſt, Sacrificium Chriſti, quibuſcunque in rebus contineatur, circa Deum proximè verſatum eſſe. Quippe quod ad omnia Sacrificia ita pertinere demonſtravimus, ut nihil uſquam in ſacris literis Sacrificium vel metaphoricè dicatur, niſi quod vel natura ſuâ proximè verſatur circa Deum, ut preces, & gratiarum actiones; vel ſaltem ejuſmodi vim habet, quæ gratiam apud eum conciliet; ut beneficia in egentes collata, & alia ejuſmodi rectè facta; quæ & ipſa cùm eâ unâ de cauſâ Sacrificia appellari ſoleant, quia ejuſmodi vim habent, quæ propriè circa Deum verſatur, & ad gratiam ejus impetrandam ſpectat, ſanè Sacrificia propriè dicta eodem planè ſpectaſſe patet. Nihil enim eâ ipſâ de cauſâ, quia propriè verſatur circa Deum, & ad gratiam ejus conciliandam pertinet, Sacrificium *metaphoricè* dici potuit, niſi Sacrificia *propriè* dicta eodem etiam pertinuiſſent. Præterea cùm Sacrificium Chriſti in genere piaculari fuerit, *alterum* illud quoque tenendum eſt, ita id circa Deum verſatum eſſe, ut ad peccatorum remiſſionem à Deo impetrandam pertinuerit. Quippe quâ in re victimæ cujuſque de peccatis ullis noxiſve cæſæ finis omnino proprius cernitur. *Extremum* id eſt, ita

quemque

quemque instituere debere Domini nostri Sacrificium, ut morti ejus pœnæ vicariæ rationem tribuat. Utpote quod & victimæ piacularis ratio, & sacræ quoque literæ flagitant. Quorum quæ duo proximè posita sunt (in quibus & primum continetur) magno consensu tradiderunt (prout alii (*k*) satis docuere) veteres omnes Christiani, firmâque & constanti fide amplexa est Ecclesia Catholica.

(*k*) *v. Testimonia Veterum ad finem libri quem Grotius de satisfactione Christi scripsit.*

XIII. De regno autem Christo, ut Μεσίτῃ, dato (cui *Crellius* cum Sacerdotio ejus, prout hoc à nobis instituitur, nullam esse posse conjunctionem, nullam societatem putat) nos quidem ita judicamus. Posse Christum, quæ vult, omnia; Nihil autem velle, quod non sit idem Deo grátum. Quæ talia sunt, ea velle omnia. Deo autem pergratum esse, (utpote quod ad honorem illum, quem sibi propriùm esse voluit, illustrandum & amplificandum pertinet) ut Iesus Christus, quem ipse tam Μεσίτῃ hominum apud se, quàm suum apud homines constituit (*l*), non solummodo populum suum vera doceat, legibus contineat, Spiritus sui auxiliis juvet, & ad vitam sempiternam resuscitet, sed & sibi, ut Patronus, commendet. Neque enim Deum Majestatis suæ solio cessisse (*m*), neque Iesu Christo, ut Μεσίτῃ, ita regnum tradidisse, ut illud sibi abrogaverit, aut semetipsum Christo subjecerit (*n*). Id si ita esset, nullas nisi Christo ut Μεσίτῃ rite adhiberi posse preces, perperámque contra ab Apostolis, & Ecclesiâ Catholicâ factum esse. Christum quidem factum esse omnium Judicem, omnia nunc administrare, verùm ad Dei voluntatem. Fieri non posse, ut *in quo vivimus, movemur, & sumus*, qui omnia implet,

(*l*) 1 *Tim.* 2. 5.

(*m*) *v. Heb.* 1. 3. & 4. 16. & 12. 2.

(*n*) 1 *Cor.* 15. 27.

& intuetur, eorum, quæ ad nos pertinent, nihil cogitet, nihil velit, nihil ad ſe pertinere putet; ita Ieſu Chriſto omnia adminiſtranda dederit, ut nihil ipſe de rebus noſtris apud ſe ſtatuat, ſed omnia ſuſque deque habeat. Eſſe itaque erga nos homines (ut & adverſus alia omnia) aliquam Dei voluntatem, Chriſtúmque, ut Pontificem noſtrum, id agere, id in primis velle, ut benevola & propitia ſit Dei erga nos voluntas; eámque ob cauſam nos, ac noſtra commendare Deo. Hac cerni in re Patrocinium illud, quod Chriſti *interceſſio* dicitur. Ac denique his ex rebus intelligi regni & Sacerdotii Chriſti facilem eſſe Societatem, nec alterutrum alterum labefacere.

Id unum, quod moneamus, reſtat, his omnibus, quæ & hîc, & alibi de regno Chriſti paſſim diximus, non regnum illud naturale, quod ad æternum λόγου pertinet, ſed alterum illud deſignari, quod quidem Chriſto, ut Μεσίτῃ, propter ſummam ejus omnibus in rebus, præſertim in voluntariâ morte Deo præſtitam obedientiam, & datum (*o*) docent ſacræ literæ, & Deo tandem reddendum eſſe (*p*).

(*o*) *Phil.* 2. 9, 10, 11.
(*p*) 1 *Cor.* 15. 24

FINIS.

# INDEX

## Rerum Præcipuarum,

Quæ his in

## LIBRIS CONTINENTUR.


A

Aaronis conſecratio. *p.* 52. *& ſeqq.*

Adeps, renes, & jecoris particula quare in arâ adolebantur, 187. §. 11

Adipum duo genera, quorum alterum in arâ adolendum erat, altero veſci licuit, 188 §. 11

Adjurandi, ſeu obteſtandi formulæ apud Hebræos uſitatæ, 132. §. 9

A

Adyta Tentorii ſacri, & Templi Ieroſolymitani duo, exterius & interius, *p.* 20, 21 §. 2

Adytum interius cœli ſupremi, exterius mundi aſpectabilis ſimulachrum, 21

Agitatio ſacrorum quid ſit, & quid ſignificet, 162. §. 5

A quibus peracta, & quomodo; 184, 185

Agni aut arietis ad Sacrificia pro noxâ ſemper adhibendi, *p.*145.§.9

Animæ Martyrum quare ſub arâ conſpiciendæ objiciuntur, 181.§.6

Ἀνθίλυτρον & λύτρον quid ſint, 336,337. §.4. & 340. §.6

Antitypo id reverà ineſt, quod Typo ſpecie tenus adumbratur, 204,205.§.2.& 256.§.7

Ἀπολύτρωσις quid paſſim valeat in ſacris literis, 344, 345,346

Aquæ luſtrales apud Hebræos quæ, 76,§.1

Puros polluunt, impuros luſtrant, *ib.*

Ara aurata ubi poſita, 21

Ara major ſeu victimaria ubi poſita, *ibid.* & 81, 160. §.3

Ara menſa Dei, 88

Aræ vicem præſtabat menſa ſacra, 88,89.§.7

Arca ſacra ubi poſita, 21

Atrium Tentorii ſacri, *ibid.*

Atria Templi, 23.§.3.& 24.§.5

Aves ad ſacrificia adhibitæ quare a Sacerdote cædendæ, 158.§.2

Quomodo ſacrificandæ, 182

B

Baptiſmus quidam apud omnes fere gentes initiandi ritus, *p.*52

C

Calcei ſacrificantibus exuendi, 75

Caput opertum verecundiæ, apertum audaciæ apud populos orientales ſignum, 56 §.3

Caro victimarum ex fœtu maſculo primo matris partu edito factarum Sacerdotibus data 122.§.6

Caro victimarum pro decimis cæſarum offerentibus data, 124

Caro victimarum quæ, ubi, quibuſque perſonis comedenda, 195,196,197.§.4,5

Caro victimarum quo temporis ſpatio comedenda, 198 & *ſeqq.* §.7,8,9. & quare, 199. §.8

Caro victimarum ultra tempus ſtatutum aſſervata quare comburenda, 200.§.8.

Caudæ ovium quare in arâ adolebantur, 148.§.8

Chriſti

Christi sacrificium circa Deum versatur, *p.*247.§.8. & 370
Christo tribuendum quicquid Typis ejus adumbrabatur, 252.§.5
Christus λύτρον, καθάρσιον, Ἀντίψυχον, & Πρόβαλον ἀντίψυχον dictus, 268.§.2
Christus Sacerdos est ad rationem Melchisedeci, 288. §.2. non *Aaronis*, 289
Christus quibus rebus ad Sacerdotium consecratus, 292, 293
Christus Sacerdos est propriè dictus, 294, & *seqq.*
Christus quomodo nos Deo commendat, sive pro nobis intercedit, 302,303.§.9
Christi Sacerdotium & regnum se invicem non tollunt, *ibid.* & 371,372.§.13
Christi sacrificium ad genus piaculare pertinet, 305
Spiritus Sancti auxilia impetrat, *ibid.*
Christi sacrificium tribus rebus continetur, 307,308,309 §.3
Christus se ut victimam piacularem mactandum obtulit, 307,308.§.3
Christi preces, quibus se ad mortem consecravit, *p.*308
Christus se in cœlo obtulit ut victimam piacularem pro peccatis nostris antè cæsam, 308,309,352,353
Christus in sacrificio suo triplicem rationem habuit, Offerentis, Victimæ, & Pontificis, 309, 310. §.4
Christus morte suâ voluntariâ multa præstitit, quæ involuntariâ præstare non potuisset, 311,312. §.1
Christi ad mortem obedientia Martyrii rationem habuit, & Evangelio fidem fecit, 312,313,314. §.2
Christi ad mortem obedientia exempli rationem habuit, 314,315.§.3
Christi ad mortem obedientia Apostolis & Discipulis ejus Spiritus Sancti auxilia impetravit, 315, 316, 317 §.4
Christi mortis triplex vis & ratio, 318.§.1
Christi mors pœnæ vicariæ rationem habuit, 319. & *seqq. ad* 351
Christum pro nobis puniri aliud est ac Nos puniri in Christo, 331

Christi mors quomodo Deo satisfecit pro peccatis nostris, 344, 345. §. 10. & 351.
Christi, ut victimæ piacularis, mors cum Dei gratiâ & justitiâ consistit, 350
Christus nos, ac nostra, inprimis preces nostras Deo commendat, 353, & *seqq.*
Christus in cœlo Patroni nostri munus obit, 360, & *seqq.*
Christus in cœlo vitam degens quare peccata expiare dictus est, 367, 368, §. 10
Cœlum supremum adyto intimo adumbratum, 21. §. 2. 40, §. 8
Cœtus universus nulla nisi imperata sacrificia fecit, nulla votiva aut voluntaria, 153 §. 3
Cœtus universus nullis nisi statis precibus usus est, *ibid.*
Conclavia Sanctuarii Hierosolymitani, 24, 25, 26. §. 5
Conclavia illa afflatu Divino designata, 37. §. 6
Coronati olim sacrificabant, 57 §. 2
Cultûs sacri ratio omnibus sacrificiis inerat, 107. §. 2. 226, 227. §. 9, 10. 233
Sed alia aliis atque aliis sacrificiis, 107. §. 2. 109. §. 3
Cultus Dei naturalis & cultus sacrificalis iisdem in rebus versantur, 108. §. 3
Cultus omnis Sacer sive naturalis sive institutus ad Dei gratiam vel impetrandam vel commemorandam pertinet, 108. §. 3
Cultui externo in sacrificiis adjungendus erat cultus internus, 233, 234

D

DAmna proximo illata quomodo Lege *Mosaicâ* præstanda, 138. §. 3
Decimæ ex grege & armento apud Judæos Deo sacræ, & quare, 122, 123. §. 7
Decimandi pecudes qui apud Judæos modus fuit, 123
Deus quare ambulâsse in mediis Hebræorum castris dictus, 30. §. 1

E

ΕΝΤΥΓΧΑΝΕΙΝ κατὰ & ὑπὲρ quid, 365, 366. §.8
Episcopius an rectè legem explicet, *Lev.* 6. 2, 3, &c. latam, 138, 139, 140. §.4
An alias duas, *Exod.* 20.7. *Num.* 15. 30. latas rectè explicet, 140, 141. §.5,6
Eucharistica Sacrificia quorsum facta, 119, 120. §.5
Eucharistica ad sacrificia aliquo modo referri possunt sacrificia ea salutaria, quæ *festiva* & *lætifica* dicta sunt, Item aries Naziræi, & sacrum fœtu primogenito factum, & quod decimando obveniebat, 120, 121. §.6 122, 123. §.7
Eucharistica sacra quare breviori temporis spatio, quàm votiva & voluntaria, comedenda, 200. §.9
Eucharisticis victimis panis omne genus additum, & quare, *ibid.*
Expiatio sacrificalis pœnâ vicariâ facta, 332, & *seqq.*

F

FErmenti nihil in arâ adolendum, 88. quare, 91, 92 §. 2
Ferta Judæorum ex farinâ triticeâ aut hordeaceâ facta, 84 §.4
Ferta libaminum dicta quæ, *ib.* quibus victimis addita, 85. §.4. quanta, 85. §.5
Ferta libaminum in arâ integra adolebantur, 87. §.6
Vinum iis additum aræ crepidini affusum, *ibid.*
Ferta totius Cœtus nullo vini libamine aucta quæ, & quot, 87. §.7
Ferta singulorum hominum nullo vini libamine aucta quot, & quæ, 89, 90, 91 §.8
Ferta fontium & zelotypiæ dicta nullo thure aut oleo aucta, & quare, 90
Flamines Gentium profanarum inverecundi, 15. §.3.

G

GRatiæ Deo actæ per sacrificia Eucharistica, p. 120. §.5

H

HIrcus de Idololatria cædi dictus quæ peccata expiabat, 148, & *seqq.* §.1.2
Holocausta genus antiquissimum sacrificiorum, 106. §.1
Holocausta & ad impetrandam & ad commemorandam Dei gratiam facta, & quare, 108. §.3. 110. §.5
Holocaustum quare עולה dictum, 109. §.5
Holocausta facere quinam jussi, 110. §.6
Holocausta *apparitionis* quare sic dicta, 111. §.6
Holocausta votiva, & voluntaria, *ibid.*
Holocausta quæ peccata expiare censebantur, 111. §.7
Holocausta Deo apud Templum Ierosolymitanum facere tam extraneis, quàm Hebræis licuit, 112. §.8
Aliter de aliis sacrificiis judicatum, *ibid.*
Holocausta Diis extraneis facta, 113. §.9
Holocausta quotidiana quorsum facta, 155. §.5. 239

I

IDololatræ Sacerdotio exuti, 64. §.2
Idololatræ quinam apud Judæos habiti, 226. §.9
Ierosolymæ eadem, quæ castrorum populi ratio, 34 & 194
Ἱλαστήριον quid sit, 21
Immurim quæ Judæis dicta, 183, 184
Impuritatis apud Judæos fontes undecim, 67, 68
Impuritates corporis quædam quare piaculis expurgandæ, 128, 129. §.4
Impuri quomodo lustrandi, 131 §.8
Intercessio Christi circa Deum versatur, 359, & *seqq.*
Jusjurandum Hebræis quadruplex, 133. §.10
Juvencus de re ignoratâ cæsus quæ peccata expiabat, 148, & *seqq.* §.1, 2

K

KOrban in sacris literis dicitur quod Deo pro arâ offerebatur, p.81
Korbanoth quæ dicuntur, non omnia in arâ adolebantur, 82. §.1
Korbanoth quæ propriè dicta sacrificia erant, 82. §.2

L

LEpra quorum peccatorum pœna, 130.§.6
Leprosus quare sacrum piaculare facere jussus, *ibid.*
Levitarum consecratio, 76,77 §.1
Levitæ corpora sua novaculâ radere jussi, *ibid.*
Levitæ populi manibus sibi impositis consecrantur, 77 §.1
Levitæ Deo ab *Aarone* offeruntur, *ibid.*
Levitæ sacrificiis lustrantur, *ibid.*
Levitæ à Deo Sacerdotibus dantur, *ibid.*
Levitarum munera, 77, 78 §.2
Levitæ quâ ætate ad munera sua obeunda vocabantur, 78, 79. §.3
Lex lata *Lev.* 1. 7. quomodo intelligenda, 190,191
Ligna vermibus corrupta ab arâ rejecta, 65
Loca ad sacrificandum licita, & illicita, 19,20. §.1
Locum sacrat insignis aliqua Dei præsentia, 30, 31. §.2
Locorum varii sanctitatis gradus apud Judæos, 39.§.8
Lugentibus Sacerdotibus sacrificare interdictum, 69
Lustratione egere quinam dicti 69

M

MActatio victimæ quæ legitima censebatur, 174
Mactationis locus, 175
Manus ante sacra lavare mos antiquus, 73
Manuum impositio quibus singulorum hominum victimis adhibita, 163, 164
Manuum impositio quibus victimis totius cœtûs adhibita, 165
Manuum impositio quorsum pertinebat, 166
Manuum impositio precandi & imprecandi ritus erat, *ibid.*

Melchisedecus quare Sacerdos in æternum dictus, 45. §.3
Melchisedecus an rebus tantùm inanimis sacrificabat, 288, 289
Melchisedeci Sacerdotium quomodo ab *Aaronico* differt, 288. §.2
Mellis nullus in sacrificiis usus, & quare, 91,92. §.9
Mensa rite dedicata aræ vicem præstat, 88,89
Mensâ cum Deo communi utebantur, qui sacris vescebantur, 197. §.5
Mensa communis fœderatæ amicitiæ speciem præbuit, *ibid.*
Ministri Sacrorum quinam ante Legem *Mosaicam*, 44,45 46. §.3
Mola salsa, 86. §.6
Mors per Dei manus qualis, 96. §. 11
Mundus aspectabilis exteriori Tentorii sacri adyto adumbratus, 21. §. 2
Muadus à Philone παράκλητος, & Dei Filius dictus, 360, 361

N

NAziræi funestati sacrum piaculare facere jussi, 132. §.
Nethinæi qui, & quæ eorum munera, 80. §. 4
Nomina Tribuum quare Humeralibus Et Ephodo inscripta, 55. §. 3

O

OBlatio quid sit Judæis, 81 §. 1
Oblatio victimæ quid sit, 161
Oblatio duplex in sacrificiis. Altera ad. offerentes, Altera adSacerdotes pertinens, *ibid.*
Oblatio Christi in terrâ, 307, 308, §. 3.
Oblatio Christi in cœlo, 353 §. 1
Oblatio Christi in cœlo perperam à Socinianis explicata, 354. §. 3
Oblatio Christi in cœlo circa Deum versatur, 354 & *seqq.*
Oblatio Christi in cœlo reipsâ non differt ab intercessione ejus, 359

Offerre Deo est idem nonnunquam quod Deo porrigere, *p.*225. §. 7
Offerentibus quæ ex victimis suis partes datæ, 196. §. 5
Offerentibus ex victimis suis piacularibus partes nullæ datæ, 197, 198. §. 6. & quare, *ibid.*
Oleum quibus fertis additum, 91. §. 9
Omer primitiarum, 87. §. 6
Ante primitias illas Deo oblatas far recens nemini gustare licuit, *ibid.*

P

PAnes duo Deo Pentecoste oblati 87,88. §. 7
Panes *facierum* qui, quot, quare ita dicti, & fertis annumerati, 88
Παράκλητος qui sit, 360. & *seqq.*
Paschale sacrificium quibus imperatum, 146. §. 10
Unde nomen habet, *ibid.*
Quibus ex animantibus lectum, *ibid.*
Quo tempore faciendum, *ibid.*
Sacrificium erat proprie dictum, 147. §. 11
Quod ad genus pertinuit, *ibid.*
Peccare *elatâ manu* quid sit, 141, 142. §. 6
Peccata quædam cogitatò admissa sacrificiis expiari poterant, 143. §. 7
Peccata, quibus exitium denunciatum fuit, 127, 128. §. 3
Peccata sontibus ignorata quibus sacrificiis expiabantur, 146. §. 9. 155, 156. §. 5
Peccata hominum συμβολικῶς ad pecudes translata, 255. §. 7
Pelles quomodo victimis detractæ 182, 183
Phylacteria ubi posita, 56. §. 3.
Piaculare sacrificium. Vide Sacrificium.
Pœna Vicaria quid sit, 248. §. 1
Pœna Vicaria quò pertineat, *ibid.*
Pœnæ Vicariæ duo genera, 249. §. 1
Pœna vicaria victimis piacularibus irrogata, 249. & *seqq.*
Idem Christianis Veteribus visum, 264. & *seqq.*
Idem Judæis visum, 269. & *seqq.*

Idem

Idem Gentibus profanis visum, 278. & *seqq.*
Pœna victimis piacularibus averruncata fontium ipsorum mors fuit, 257, 258, 259 §. 10
Pœna vicaria & pœna fontis cujusque propria quatenus conveniunt, 259, 260. §. 12
Quatenus differunt, 260, & *seqq. item.* 350
Pœna vicaria cum culpæ remissione consistit, 262. §. 14
Pœnitentia cum sacrificiis conjungenda, 168. §. 9
Pontificis Hebræorum dignitas, & officia, 48, 49. §. 5
Pontificis consecratio, 52, & *seqq.*
Pontificis vestes, 53. §. 2, 3
Pontifex quare dictus Sacerdos unctus. 61. §. 7
Pontifex Judæorum populi preces Deo *symbolicè* offerebat, 357
Pontifex Judæorum suffitum sacrum Deo adolens Christum adumbrabat preces nostras Deo in cœlo nunc commendantem, *ibid.*
Pontificatus virtutis merito, Sacerdotium jure hæreditario ad Sacerdotes pervenit, 61. §. 7
Præfecti Templi quot, & qui, 27. §. 6
Precatio in sacrario exteriori die expiationis habita, 95
Preces & Sacrificia quatenus differunt, & conveniunt, 108, §. 2. 234
Precantes quò faciem & oculos dirigebant, 164
Preces juxta victimas mox cædendas cum manuum impositione adhibendæ, 166, 167, 168
Precum earum formulæ, 168, & *seqq.*
Preces semper cum sacrificiis adhibendæ, 166, 167
Preces variæ variis sacrificiis adhibitæ, 167, 168
Preces sacræ inter sacrificandum habitæ, 228. §. 11
Preces sacræ quare vituli labiorum dictæ, 228, 229
Quare sacrificia dictæ, 229. §. 12
Preces sacrificales Gentium profanarum, 243. §. 5
Preces nostræ Deo à Christo commendatæ, 353, 354, 357
Primitiæ frugum fructuumque θεοφοραὶ quodammodo dici possunt, 92. §. 10

Un-

Unde petitæ, *ibid.*
Quibus ex rebus lectæ, 93. §.10
Quâ pompâ sanctuario illatæ, *ibid.*
Primogeniti an primi sacrorum Ministri, 42, & *seqq.*
Primogeniti hominum quare redimendi, 121
Primogeniti mares pecudum ad sacrificia puraram quare sacrificandi, *ibid.*
Primogeniti asinorum quare redimendi, *ibid.*
Prosecandi victimas qui ritus erat, 183, & *seqq.*
Prosecta holocaustorum quæ, ubi, quoties, & quare lavanda, 186
Prosecta holocaustorum totius cœtus quâ pompâ ad aram offerebantur, 188. §.12
Quomodo in arâ dispositæ, 189. §.13
Sale respergenda, *ibid.*
Puerperæ quare sacrificia piacularia facere jussæ, 131, §.7

Q

Quadrupedis omnis sacrificio puri sanguis aræ aspergendus erat, & ablegmina in eâ adolenda à Judæis deserta peragrantibus, 116. §. 1. & 160. §.3

R

Reges quinam apud Judæos uncti 61,62. §.7
Remissio peccatorum duplex. Perfectior, & minus perfecta, 342. §.9
Minus perfecta multiplex, 342,343,344
Ritus quidam extranei Sacerdotibus Hebræorum interdicti, 68,73,75
Ritus Sacrificales in holocaustis obeundi, 157. §.1
Ritus sacrificales aliis quibusdam victimis adhibiti, 158 §. 1
Ritus sacrificales quinam ab offerentibus, quinam à Sacerdotibus obeundi, & quinam ab aliis rite obiri poterant, 158,159, §.2

Ri-

Rituum quorundam sacrificalium significatio, 224, 225. §.7.233
Ritus externi in cultu sacro eodem, quo cultus internus, spectant, 225. §.8

S

SAbbati otium in sanctuario nullum, 183. §.7
Sacerdotes Hebræorum quæ sibi propria munera habuere, quæ cum aliis communia, 47. §. 4
Sacerdotum apud Hebræos duo gradus, octo dignitatis loci, 48,50,51.§.5
Sacerdotum, Levitarum, & virorum stationariorum classes, 55. §. 5
Sacerdotum Hebræorum consecratio, 52 & seqq.
Sacerdotes quâ ætate Sacerdotium adibant, 79, 80, §.3
Sacerdotibus ex victimis quæ partes datæ, 195, 196. §. 4,5
Sacerdotibus ex pecore ad victum familiarem cæso quæ partes datæ, & quare, 196.§.4
Sacerdotes quo animo pro sontibus sacrificare debuerint, 232. §.13
Sacerdotem summè perfectum quæ faciunt, 290,291,292 §.4
Sacerdotale munus quomodo ab Apostolico differt, 220
Sacerdotium quid sit, 287
Sacra sacerrima, & sacra levia quænam dicta, 156, §.6
Sacra quare ad ostium Tabernaculi oblata, 160
Sacra solida. Vide Holocausta.
Sacrificare quibus Sacerdotibus interdictum, 63, & seqq.
Sacrificium quid sit ad Hebræorum sensum, 82. §.2
Sacrificiorum origo quæ fuerit, ambigitur, 2 & seqq. §,3,4,5
Sacrificiorum originem multi veterum Christianorum humanæ rationi tribuerunt,7,8 §. 6
Sacrificiorum originem Judæorum nonnulli humanæ rationi tribuerunt, 9. §.6

Sacrificia nihil habuerunt, quod Deo propter se gratum fuit, 11,12. §.7
Sacrificia quare Judæis imperata ex Veterum Christianorum sententia, 11, & *seqq.* §. 8,9
Sacrificia quare Judæis imperata ex Judæorum nonnullorum sententia, 15, §.9
Sacrificia Judæis imperata, ut adumbrarent sacrificium Christi, 17. §.10. & 209. & *seqq.*
Sacrificia ad consecrandos Sacerdotes quæ, quo ordine facta, & quare, 58, 59 §.5
Sacrificia iis ex rebus lecta, quæ in victu humano erant, 84. §.3
Sacrificia qualia ex inanimis à Gentibus profanis facta, 96. §. 12
Sacrificia salutaria ante latam Legem *Mosaicam* facta, 107 §.1
Sacrificia omnia vel ad impetrandam vel ad commemorandam Dei gratiam facta, 108, 109
Sacrificia salutaria unde ortum habuere, 116. §.2
Sacrificia salutaria quare שלמים dicta, 114,115. §.1
Sacrificia salutaria quare זבחים dicta, 115
Sacrificiorum salutarium tria genera. Voluntarium, votivum & Eucharisticum, 116 §.2
Sacrificium voluntarium & votivum quorsum facta, *ibid.*
Sacrificium voluntarium & votivum quomodo differunt, *ibid.* & 117. §.3
Sacrificia quando voveri solita, 118
Sacrificia votiva & voluntaria à populis profanis facta, 120 §.5
Sacrificium fœtu primogenito factum. Vide Primogenitum.
Sacrificium ex pecore decimato factum. Vide Decimæ.
Sacrificia piacularia alia de peccato, alia de noxâ facta, 125. §.1
Ea quomodo differebant, 143,144,145. §. 8,9
Sacrificium piaculare pro peccato duplex. Definitum, &

& indefinitum, *p.*125. §.1
Sacrificium piaculare definitum quibus de peccatis factum, 125, 126, 127. §. 2, 3
Sacrificium piaculare indefinitum quibus de peccatis & impuritatibus factum, 129 & *seqq.*
Sacrificium piaculare pro noxâ duplex. Alterum de noxâ dubiâ factum; alterum de noxa certâ, 135. §. 1
Sacrificium piaculare pro noxâ dubiâ quibus imperatum, *ibid.*
Quâ lege, 136. §. 3
Sacrificium piaculare pro noxâ certâ quibus imperatum, 137 138. §. 3
Sacrificium piaculare sine damno præstito noxam non expiat, 138. §. 3
Sacrificia piacularia voto aut voluntate nunquam facta, & quare, 146. §. 9
Sacrificium piaculare hominis plebeii quare grati Deo odoris esse dictum, 230, 231
Sacrificiorum piacularium vis circa Deum versatur, 231, 232. §. 13
Sacrificiorum omnium vis circa Deum versatur, 218, & *seqq.*
Idem Judæis visum, 235, & *seqq.*
Et Gentibus profanis, 241, & *seqq.*
Et veteribus Christianis, 246, 247. §. 7
Sacrificia metaphoricè dici quæ soleant, & quare, 225, 226, §. 12.
Sacrificia precum vim habuere, 108, §. 2. 234, 239, 240
Sacrificium. Vide Victima.
Sal omnibus fertis addendus, 92. §. 9
Sanctitatis duo genera in sacris literis Deo tributa, 1. §. 1
Sanctitatis duo genera aliis quibusdam rebus tributa, 2. §. 2
Sanctuarii quanta apud Hebræos reverentia, 37, 38 §. 7
Sanguis victimarum ubi, & quomodo aspergendus, 176, & *seqq.*
Sanguinis aspersio quibus in sacrificiis Pontifici imperata, 159

Sanguinis aſperſio rituum omnium ſacrificalium ſacerrimus, 181. §.6
Sanguinis aſperſione vita victimæ Deo ritu ſacrificali reddita, 254,323,324
Septenarius numerus perfectioni ſacer, 180. §.5
Spiritus Sancti incrementa Chriſti precibus & obedientiâ Apoſtolis impetrata, 315,316. §.4. & 343
Spiritus Sanctus quare παράκλητος dictus, 364. §.7
Spiritus quare ἀντίλυτρον ὑπὲρ ἡμῶν dictus, 366. §.9
Statio quid ſit Hebræis, 27. §.6
Quare ita dicta, 74
Stationarii viri qui, & quare conſtituti, 27. §.6
Strues quotuplex in arâ majori 189,190. §.13
Suffitio quotidiana quomodo in Templo facta, 94. §.11
Suffitio annua quomodo facta, 95
Suffitio ſacra & populi preces quare ſimul adhibitæ, *ibid.* & 357
Suffitus ſacer quibus ex rebus factus, 94. §.11
Suffitus ſacer precum populi ſymbolum, 357

T

Τὰ πρὸς τὸν Θεὸν quid, 220,221
Templum Ieroſolymitanum quorſum, & à quo conditum, 22. §.3
Templum ſive ναὸς & Sanctuarium ſive ἱερὸν quomodo differunt, 24. §.5
Templi Ieroſolymitani & Tentorii ſacri quæ natura & ratio fuit, 29, & *ſeqq.*
Tentorii ſacri adyta, altaria, &c. 20,21
Tentorium ſacrum, ejuſque vaſa omnia ſacro unguento uncta, 22. §.2
Tenupha & Teruma. Vide Agitatio.
Thus quibus fertis additum, 91. §.9
Typus quid ſit, 201

Typus quomodo antitypum adumbrat, 202, 207, 208
Typus quomodo à simili differt, 202,203
Typus quomodo à symbolo differt, 203
Typi est rem futuram adumbrare, 203,204
Typi semper minor est vis quam antitypi, 204, 205 §.2
Typi fines alii esse possunt, atque is, qui typi proprius est, 208,209. §.4
Typi Christi, ut victimæ, omnes erant Judæorum victimæ, 209, 210, 211, §.5
Typi præcipui Christi, ut victimæ, eæ victimæ erant, quarum corpora extra castra cremabantur, 211,212.§.6
Et in eis præcipuè eæ, quarum sanguis in adytum intimum illatus erat, 212
Typi Christi, ut Victimæ, malè à Socino intellecti, 213,214. §.7

V

VAcca rufa extra populi castra comburenda, 152.§.3
Vaccæ rufæ cineres quorsum pertinebant, *ibid.*
Vacca rufa sacris totius cœtus accensenda, 193.§.1
Vacca de homicidio cæsa sacris totius cœtûs annumeranda, 153. §.3
Vacca eâ quorsum cæsa fuit, 324,325
Vestes Sacerdotum gregariorum, 58.§.4
Victimæ Judæorum quibus ex generibus animantium lectæ, 97.§.1
Quare iis ex generibus lectæ, 97. *& seqq.*
Victimarum apud Judæos vitia, 101.§.2
Victimarum apud profanas Gentes vitia, 102.§.3
Victimarum ætas apud Judæos spectata, 103.§.4. 104. §.6

Victimarum ætas apud Gentes profanas ſpectata, 104, §.5
Victimarum apud Judæos exploratio, 101. §.2
Victimarum apud Gentes profanas exploratio, 102.§.3
Victimarum ſexûs quibuſdam in ſacrificiis ratio habita, 105.§.7
Victimarum genera omnia Lege *Moſaicâ* deſignata, 106. §.1
Victimarum ſalutarium varia genera, *ibid.*
Victimarum ſalutarium partes aliæ aræ, aliæ Sacerdotibus, aliæ offerentibus datæ, 114, 115.§.1
Victimæ totius cœtus quare ſic dictæ, 148. §.1
Victimæ totius cœtûs aliæ pro re natâ, aliæ ſtatis temporibus immolatæ, *ibid.*
Victimæ totius cœtûs pro re natâ immolatæ quæ, *ibid.*
Quibus de peccatis immolatæ, 148, & *ſeqq.*
Victimæ totius cœtus ſtatis temporibus immolatæ quæ, 153,154,155.§.4
Quorſum immolatæ, 155.§.5
Victimarum partes in arâ adolendæ quæ, 107.§.11
Victimæ extra caſtra comburendæ quæ, 192
Offerentium peccatis συμβολικῶς in ſe conjectis pollutæ, 192, 193, 249,250, 251
Idem Judæis viſum, 271, 272
Cremantes polluebant, 192, 193
Victimarum piacularium corpora apud profanas Gentes pro impuris habita, 195, §.3
Victimarum delectus quæ cauſa fuit, 223,224. §.6
Victimæ quorſum factæ, 235, 236,239,241, & *ſeqq.*
Victimæ ſalutares quorſum factæ, 237
Victimæ piaculares quorſum factæ, 238
Victimis piacularibus pœna vicaria irrogata, 249, & *ſeqq.*
Ita Chriſtianis veteribus viſum, 264, & *ſeqq.*
Et Judæis, 269. & *ſeqq.*
Et profanis populis, 278, & *ſeqq.*
Victimæ Judæorum piaculares ſon-

sontibus surrogatæ, 349. §. 13
Vinum interdictum Sacerdotibus vices suas in sanctuario obeuntibus, & quare, 70, 71, 72
Viscera, & visceratio quid, 113. §. 9
Vitia corporis quænam in Sacerdote, 66, 67
Unguentum sacrum quibus adhibitum, & quam significationem habuit, 57. §. 3
Uxores Sacerdotum quales esse debebant, 65, 66

Y

Υπὲρ & περὶ ἁμαρτιῶν mori quid, 345, 346, 347. §. 11
Υπὲρ ἡμῶν mori quid, 348

*Finis Indicis.*

VAN 15283839

# ERRATA.

Pag. 21. lin. 3. lege *propitiatorium*). p. 25. l. 32. הגוית. p. 26. l. 20. utroque. p. 38. l. ult. sanctuarii. p. 41. l. 16. quovis. p. 48. l. 32. dele אלם, & lege יותר שלם ממנו. p. 50. in marg. קתיקולין. p. 63. l. 20. בשוגג. p. 74. l. 8. petunt. p. 91. l. 30. at. p. 99. l. 17. הרעת. ib. l. 20. מגרלים. p. 100. l. 26. הבהמות. p. 108. l. 3. נרר. p. 120. l. 1. לך). p. 121. l. 22. asinarum. p. 128. l. 31. quidam. p. 130. l. 16. תורת. p. 132. l. 36. קול. p. 157. l. 25. quidam. p. 167. l. 10. at. p. 169. l. 1. ככתוב. p. 170. l. 24. נא. p. 171. l. 8. ובושתי. p. 241. l. 9 שיקרבו. p. 251. l. 27. dictus est. p. 254. l. penult. & ult. *sive ejus repræsentatio sanguinis aspersione in arâ facta.* p. 270. l. 11. היו. ib. l. 20. ונפשו. ib. l. 29. שלא. p. 319. l. 13. dividet. p. 363. l. 8. בעולם.

Interpunctionis vitia Lector ipse suo ex judicio corriget.

179
C
16